This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

L.C 13.220 (-)
-X-

HARVARD COLLEGE LIBRARY

FROM THE LIBRARY

OF

ARTHUR STANLEY PEASE

BIBLIOTHECA

CLASSICA LATINA

SIVE

COLLECTIO

AUCTORUM CLASSICORUM LATINORUM

CUM NOTIS ET INDICIBUS.

On souscrit, à Paris,

CHEZ N. E. LEMAIRE, Éditeur, rue des Quatre-Fils, n° 16.
DEBURE frères, libraires du Roi, rue Serpente, n° 7.
J. DIDOT, l'aîné, imprimeur du Roi, rue du Pont-de-Lodi, n° 6.
F. DIDOT, imprimeur du Roi et de l'Institut, rue Jacob, n° 24.
DONDEY-DUPRÉ PÈRE ET FILS, imp.-lib. rue Saint-Louis, n° 46, au Marais; et rue de Richelieu, n° 47 *bis*.
TREUTTEL et WURTZ, libraires, rue de Bourbon, n° 17.
J. RENOUARD, rue de Tournon, n° 6.
BOSSANGE père, libraire, rue de Richelieu, n° 60.
BRUNOT-LABBE, libraire, quai des Augustins, n° 33.
MONGIE aîné, libraire, boulevart des Italiens, n° 10.
H. VERDIÈRE, libraire, quai des Augustins, n° 25.
ARTHUS-BERTRAND, libraire, rue Haute-Feuille, n° 23.
Et chez tous les Libraires de France et des pays étrangers.

A. PERSII FLACCI

SEX SATIRÆ.

EXCUDEBAT JULIUS DIDOT
NATU MAJOR
REGIS TYPOGRAPHUS.

AULUS PERSIUS FLACCUS.

[illegible] FLACCUS

[illegible]

[illegible]

[illegible] FRAGMENTA

[illegible]

[illegible]

CUM JU[illegible]

[illegible] MEN TERTIUM [illegible]

PARISIIS

[illegible] NICOLAUS ELIGIUS LEMAIRE
POESEOS LATINAE PROFESSOR

MDCCCXXX

A. Perreau

A. PERSIUS FLACCUS

CUM INTERPRETATIONE LATINA

LECTIONUM VARIETATE ADNOTATIONIBUSQUE NOVIS:

ITEM

LUCILII FRAGMENTA,

SATIRA SULPICIÆ;

CUM NOTIS, EXCURSIBUS, ET INDICIBUS,

CURANTE

A. PERREAU,

IN REGIO S. LUDOVICI COLLEGIO RHETORICES PROFESSORE.

QUOD EST SATIRICORUM LATINORUM

CUM JUVENALE

VOLUMEN TERTIUM ET ULTIMUM.

PARISIIS

OLLIGEBAT NICOLAUS ELIGIUS LEMAIRE

POESEOS LATINÆ PROFESSOR.

MDCCCXXX.

Li 13.220 (3)

HARVARD
UNIVERSITY
LIBRARY
NOV 6 1964

ERUDITO ET BENEVOLO LECTORI.

Novo hoc volumine et his A. Persii Satiris, amice Lector, integra absolvitur opera, quam nos Romanorum Satiricis scriptoribus adhibituros pollicebamur in nostra ad Juvenalem præfatione (Vol. I, pag. ix.) Anxie curavimus, ne non labor jam tum tibi debitus adimpleretur, immo et contineret hæc ultima pars quidquid pertinere potest ad *Satiricorum Romanorum* corpus, unum si exceperis Horatium, cujus satiras a reliquis ejusdem operibus sejungere nullo modo licuit.

Ergo, sicut actum fuit cum Juvenale, reperies in Persio latinam numeris solutis interpretationem; singulis præmissa satiris argumenta; in fine satiræ cujusque Varias lectiones, emitationes, notasque omne genus quas summa cura elaboratas amicitiæ nostræ impertiit vir ingeniose eruditus L. Perreau, in Regio Sancti Ludovici Collegio Rhetorices Professor. Qui quum sæpe multumque adversa valetudine impediretur, non destitit tamen a suscepto erga me bonæ voluntatis officio, quin ultimam manum ultimæ satiræ notis imponeret : quo jure totam hujus voluminis gratiam ad eum referri æquum censeo.

Persii satiras sequuntur *Lucilii* fragmenta et centones; multa quidem et claudicans compositio, ita tamen ut non vile remendumve debeat operæ pretium esse, si quis fulcire ac sarcire illas ruinas fuerit aggressus. Quibus auxiliis et qua mente id susceperimus, videsis in procemio ad hunc auctorem (infra, pag. 291).

Satiricorum seriem claudit *Sulpiciæ* satira, animosum et

grande sonans carmen, quod suus ibi potissimum reposcebat locus.

In calce demum voluminis reperies et quæ jam prænuntiaveramus, et quæ tu ipse requiras, amice Lector, pro tuo bonarum literarum et opportunæ doctrinæ studio: Vitam scilicet Juvenalis et Persii; Dissertationes de Satira Romanorum, de satiricis Romanorum poetis, de diversa Satirârum Lucilii, Horatii, Persii, Juvenalis indole; exquisitissima Eliæ Vineti de Cornuto, et Joannis Britanniei de Satira Fragmenta. Accedunt et Catalogus editionum, et Indices Persii atque Lucilii.

Quum autem amplissima documentorum copia ad manum nobis esset, debuimus oblatis parce uti, nec saccum, ut aiunt, effundere. Tuum erit, amice Lector, judicare, num intra justam mensuram substiterimus, numve tertium illud et ultimum Juvenalis Persiique volumen eadem, qua cætera, benignitate tibi sit excipiendum. Quod quidem et peropto, et, ut mei conscius sum, spero.

Scribeb. Paris. die April. prim. an. 1830,

N. E. LEMAIRE.

A. PERSII FLACCI

SATIRÆ SEX.

6209 4.

A. PERSII FLACCI

SATIRÆ SEX

CUM INTERPRETATIONE LATINA

VARIIS LECTIONIBUS

ET SELECTISSIMIS DOCTISSIMORUM VIRORUM

COMMENTARIIS.

PROLOGI ARGUMENTUM

ET ANALYSIS.

Satira est et ipse satirarum prologus. Persius rustici inculti-que hominis personam gerens, professusque se neque Parnassi juga, neque fontes attigisse sacros, neque quidquam habuisse cum Musis cæterisque poetarum numinibus, dicit se velle tamen carmina fingere. Alia sunt enim quam Parnassus et Musæ, quæ ingenium et artem largiantur; fames scilicet, et lucri cupido.

PROLOGUS.

Nec fonte labra prolui caballino,
Neque in bicipiti somniasse Parnasso
Memini, ut repente sic poeta prodirem:

PROLOGI INTERPRETATIO.

Neque Hippocrenes aquas hausi labris; neque, si non fallit memoria, in Parnasso, qui se tollit gemino vertice, somniavi, ut, temporis momento, poeta divinitus evaderem. Musarum

Heliconiadasque pallidamque Pirenen
Illis remitto, quorum imagines lambunt
Hederæ sequaces. Ipse semipaganus
Ad sacra vatum carmen affero nostrum.
Quis expedivit psittaco suum XAÎPE,
Picasque docuit verba nostra conari?
Magister artis ingenîque largitor
Venter, negatas artifex sequi voces.
Quod si dolosi spes refulserit nummi,
Corvos poetas et poetrias picas
Cantare credas Pegaseïum melos.

favorem et undas pallidæ nimphæ Pirenes non ego mihi assumo, sed illis relinquo vatibus, quorum statuæ frontem habent hedera usque et usque serpente revinctam. Homo sum pæne rusticus; ego quoque tamen carmen addo meum sacris vatum carminibus. *Sunt enim aliæ res, præter memoratas, quæ acuant ingenium.* Quis nempe expedivit psittaco linguam, ut pronuntiaret vocem hanc sibi quasi propriam, SALVE? Quis docuit picas tentare verba hominum? fames, quæ optima est artis magistra, quæ largitur ingenium, docetque voces imitari a natura negatas. Quod si spes lucri affulgeat, fucumque faciat oculis, homines vel maxime imperiti, corvis et picis similes, fient poetæ; et ita canent, ut audire credas melos suavissimum, quale oritur ex Hippocrene.

VARIÆ LECTIONES

ET NOTÆ

IN PROLOGUM.

DE PROLOGO. PECULIARI aliquo carmine reliquis præludere carminibus jam ante Persium erat usitatum. Qui mos a comicis ad cæteros poetas forte pervaserat. Præludit fabulis Phædrus prologo; atque hanc præfatiunculæ rationem, poetæ et Phædro et Persio recentiores, sæpesæpius usurpaverunt, inprimisque adhibuit Cl. Claudianus. Noster vero cur Iambicis[1] potissimum versibus sequenti hexametro præluserit, disputare ferme est supervacaneum, quum mens poetæ nullis in hoc regatur legibus, nisi judicio suo. Cæterum prologus satirarum hoc versu scribi satis decuit, quem in prologis suis comici sequebantur, cujus vero fuit inventor, ille satirarum scriptor, vel princeps, vel certe mordacissimus Archilochus.

Non defuerunt qui hos versus prologi ad satiram primam pertinere autumarent. Quam ob causam in quorumdam editionibus invenias illos cum sequentibus hexametris continuatos. Sane in satirico Petronii scazontes hexametris præpositos et cohærentes reperire est. Immo vero tota alterius generis satira nihil aliud erat, quam mistura quædam carminum modis diversorum cum soluta oratione. Vide Casaubonum de Satirica Poesi, *lib. II.* Verum istorum errare sententiam et res ipsa monet, et prologi titulus, et membranæ veteres, quas vidimus plurimas.

Jam vero quid in hoc scribendo prologo sibi proposuerit Persius multis modis quæsitum est, et diversissimis explicatum rationibus. Quarum præcipuas non possum non referre. Alii quidem censent, auctore celeberrimo Anglo *Dryden*, Persii mentem fuisse, ut nomen conditionemque vitæ suam per prologum dissimularet, quippe qui tempora nactus esset infesta bonis artibus ac veritati: hinc se dixisse *semipaganum*, quum esset moribus et ingenio politior; hinc se fame usum esse *magistra*, quum divitiis abundaret. Alii vero, inter quos eminet noster *Casaubo-*

[1] Iambicus quo Persius utitur in prologo non est communis Iambicus, qualis est tragicorum comicorumve. Hic pecularis est generis, vocaturque *scazon*, a græco vocabulo, σκάζω, claudico. Claudicat enim in sexto pede qui non est iambus, ut in iambico perfecto, sed spondæus. Vid. J. C. Scalig. Poet II, 9 et 24.

nus, Persium contendunt nihil aliud in animo habuisse, quam ut carmen suum hoc prologo offerret vel Apollini, cujus erat tunc temporis templum in Palatino maxime celebratum, vel aliis poetarum numinibus; hinc dixisse *ad sacra vatum carmen affero nostrum*, totumque prologum *ἀναθηματικὸν* esse genere pronuntiant, etsi forma sit irrisorium. Quas eruditissimorum virorum sententias vix ac ne vix quidem huic prologo convenire crediderim, in quo nihil aliud sibi proposuisse videtur Persius, quam ut malos poetas irrideret, quorum ea tempestate magnus erat Romæ proventus, qui speciosa et inania de se prædicabant, fame laborantes et mala lucri cupidine. Horum omnium prologos insolentes ac stolidos obsoletosque novo quodam genere prologi redarguere noster instituit. Rusticitatis speciem, et professionem paupertatis, et in edendo carmine incondito temeritatem præ se tulit non necessitatis causa, sed ironiæ; satirisque inscripsit præfationem satiricam.

Notæ. 1. *Nec labra prolui.* — *Proluere* pro madefacere, rigare, sæpius ponitur. *Proluere* se vino, aut *prolui* vino, pro epotare vinum, vinum largius haurire. Virg. Æneid. I, 738: « Pleno se *proluit* auro. » Horat. Sat. I, 5, 16: « Multa *prolutus* vappa. » Quæ vis huic loco bene convenit: nam, ut poetæ antiqui, qui modestiores essent, se bibisse tantum ex Musarum fontibus dixerunt, eorum imitatores non potuerunt esse illo modico haustu contenti, ipsique aqua illa Apollinis et Musarum numine et vi medicata affatim repleti esse voluerunt, *totamque solent*, ut ait Ausonius, *haurire Aganippen*. Illud igitur ridet Persius, quum illa voce utitur *prolui*. Nonnulli tamen interpretes *labra prolui* sic explicant: ne primoribus quidem labris attigi; in quâ interpretatione vis ejus verbi *prolui* minime mihi videtur fuisse servata, quod largiorem haustum procul dubio indicat. Neque quemquam vox *labra* moretur: metaphora enim ducta est a pecudibus, quæ vehementer sitientes labra et totam proboscidem aquis immergunt. Conf. cum Propertio lib. III, 2, 52: Statio Silv. V, 3, 122. — *Fonte caballino*. id est, Hippocrene, quem fontem Pegasus, ut aiunt, e terra ungulæ ictu effudit. Arati Phæn. 206 sqq. Ovid. Fast. III, 450 sqq. Inde Propertius aquam Hippocrenes *humorem equi Bellerophontei* vocat III, 3, 2. *Caballino* utitur noster consulto, ut voce minus honesta. Caballus enim, etsi non semper pro equo ponitur minus generoso, ut et apud Juvenal. X, 60, tamen vulgo significat jumentum dossuarium, asellum, pessimum equum. Horat. Epist. I, 18, 36: « Olitoris aget mercede *caballum*. » Auson. Epist. XXI, 33:

> Cui subjugabo de molarum ambagibus,
> Qui machinali saxa volvunt pondere
> Tripedes caballos, terga ruptos verbere.

Caballino autem voce minus honesta maluit dicere, tum quia mos est satiricis poetis deprimere ac irridere omnia, tum quia hic Persius sese semipaganum professus, sermone debuit uti minus culto et eleganti; sic dixit *prolui labra*; sic *heliconiadasque*, *pallidamque Pirenen illis remitto*

quorum imagines lambunt hederæ sequaces. Non solum ex hoc Persii loco verum etiam ex multis aliis poetarum, in primis recentiorum apparet, et illi fonti et aliis quibusdam singularem vim fuisse attributam, ut aquæ illorum haustæ facultatem poeticam inspirarent. Videtur ea persuasio incessisse hominum mentes post Homeri et Hesiodi tempora, in quorum operibus nusquam recurrit : neque apud tragicos, neque apud Pindarum tale quidquam legimus, quamquam fontium Apollini sacrorum mentio ibi fit. Primum hujus rei vestigium occurrere videtur apud Moschum Idyll. III, 77 sqq. Ἀμφότεροι (Homerus et Bion) παγαῖς περιλάμενοι· ὃς μὲν ἔπιν παγασίδος κράνας, ὁ δ' ἔχεν πόμα τᾶς Ἀρεθοίσας. Mirum sane videri potest, quod Pausanias IX, 28 sqq. ubi de Helicone ejusque fontibus loquitur, hujus rei mentionem nullam faciat. Plinius Major, et Strabo, quorum uterque loca illa et fontes recenset, rem pariter omiserunt. Solus fere Solinus c. 9. hanc rem verbo tantum attigit. Quamobrem hoc videtur recentiorum esse poetarum commentum: unde natum sit, ne quæramus. Cæterum res ita postea est accepta et exculta, ut, discrimine fontium facto, ex Hippocrene et Aganippe majores, ex Permesso minores poetæ dicerentur.

Variæ lectiones. 2. *Parnasso.* In quibusdam codd. *Parnaso* per unicum *s*. Laudanda utraque lectio est: nam Græci varie scripserunt παρνασὸς, παρνασσὸς et παρνησσός.

Not. 2. *Nec in bicipiti somniasse Parnasso memini.* — Hoc quoque ad ridiculas poetarum prædicationes spectat. Quemadmodum enim fontes illi sacri poti credebantur facere poetas, sic vicini montes Helicon, Cithæron, Parnassus eos qui conscenderent, aut inibi versarentur. Hæc superstitio, antiquissimis quoque poetis recentior; inde forsan nata quod opinabantur antiqui, quibus in locis vel deo vel deæ consecratis somnum caperent, ab horum numine sibi aliquam facultatem impertiri. Solebant ægroti in Apollinis aut Æsculapii templis incubare, ut somnia captarent, quibus morborum remedia præscribi credebant. Vid. Heyn. ad Virg. Æneid. VII, 86 sqq. Ovid. Heroid. XV, 157 sqq. Aristoph. Plut. 411 et 679 sqq. Vid. infra Satiram II, 57. — *Somniasse memini* dixit pro somniavi, ad ridiculum augendum servandamque simplicitatis speciem quam induit Persius. Potuisset scilicet fieri, ut illius rei tam memorabilis oblivisceretur. — *Bicipiti Parnasso.* h. e. habente duo capita, duo cacumina, quæ erant *Cyrrha* et *Nisa*, sive, ut aliis placet, *Helicon* et *Cithæron*. Alterum Apollini et Musis sacrum, alterum Baccho. Lucan. V, 71 sqq. Ovid. Met. I, 316 sqq. In antiquis scholiis legimus hic Persii versibus tangi Ennium, qui dixerit sibi in Parnasso somnianti visum fuisse Homerum, et facultatem poeticam sibi inspirasse. Propert. III, 3, 6.

Var. 3. *Ut repente sic poeta prodirem.* Multum in hoc versu variant codd. tum in ordine verborum, tum in unoquoque verbo. Habent alii *prodirem*, alii *fierem*. *Prodirem* præteli, quod est elegantius, et a Græco mutuatum ἐπανέρχεσθαι. Epist. 22 : Ὅτι ἄφνω φιλόσοφος ἡμῖν ἐπανελήλυθε.

NOT. 3. *Sic... prodirem.* — *Sic*, h. e. sine labore, sine studio, diis juvantibus. Græca locutio est : οὕτω enim passim accipitur, ut hic *sic*. Demosth. Philip. I : ὑμεῖς δὲ οὕτω πῶς ἄνευ πραγμάτων λαμβάνετε.

VAR. 4. *Heliconiadasque*. Habent et codd. *Heliconidas*. Admittit utrumque lex versus, et Græca analogia. Ἑλικωνίς enim dicitur æque ac Ἑλικωνιάς. *Heliconiadas* vero prætuli 1°. quia magis usitatum fuisse videtur *Heliconias*. Hesiod. Gen. Deor. princip. Μουσάων Ἑλικωνιάδων ἀρχώμεθ' ἀείδειν. Lucret. III, 1050 : « Adde *Heliconiadum* comites, quorum unus Homerus. » 2°. Non vulgari judicio poeta maluit *Heliconiadas*. Aucto enim syllabarum numero ac præsertim inserta vocali grandisona *a*, versum videbat effici amplioris soni et κομπωδέστερον, quod optime conveniebat sententiæ, qua grandiloquos poetas modestissimus ipse agitaret. Peculiaris laus est magnorum scriptorum aptare affectibus voces et sonos. Vid. infra ad Satir. V, initio.

NOT. 4. *Heliconiadasque pallidamque Pirenen.* — *Heliconiadas*, Musas, ab Helicone monte ubi maxime colebantur, dictas. — *Pirene* fons erat in Acrocorintho. Diod. IV, 74; Paus. Corinth. II, 3; Strab. p. 582. Sic de illo fonte memorat Plinius secundus, l. IV, c. 5 : « Medio hoc intervallo, quod Isthmum appellavimus, applicata colli habitatur colonia Corinthus, antea Ephyra dicta, sexagenis ab utroque littore stadiis, e summa sua arce, quæ vocatur Acrocorinthus, in qua fons Pirene, diversa duo maria prospectans. » Hæc ideo diligentius notanda fuerunt, ut eorum opinio refelleretur qui Pirenen vallem esse crediderunt, ubi studerent poetæ. Vetus scholiastes hic notat Pirenen esse fontem Heliconis montis : cujus errare sententiam et Plinii locus ille demonstrat, et Stat. Genethl. Lucani; et idem Thebaidos III. Ceterum huic fonti vim impertiendi facultatem carminum iis qui bibebant ex aquis, non tribuere Græci, sicuti Latini scriptores. Hoc inde forsan repertum est quod juxta fontem illum simulachrum erat Apollinis. Religio hujus fontis satis antiqua videtur. Legitur in Euripid. Medea, 69 : σέμνον ὕδωρ Πειρήνης. De hujus fontis origine variatum quoque est a poetis. Narrat scholiastes Euripidis loco citato, Æsopum Oceani filium hunc fontem in gratiam Sisyphi invenisse. Conf. Troad. 207. Memorant alii hunc ortum esse passu ungulæ Pegasi. Eurip. Elect. 475. Stat. IV, 60 sqq. et alibi passim. Denique *Pirene* vel Acheloi, vel Æbali filia vi lacrymarum, quas ob mortem Cenchriæ filii ab Artemide interfecti profuderat, in fontem mutata esse dicitur. Fons erat illustris. Pind. Olymp. XIII, 86 sqq. ibi schol. Ovid. ex Ponto I, 3, 75. *Pallidam* vocat *Pirenen*, sive quod nympha, mœrore filii confecta, pallida apud poetas nuncupabatur, sive quod ii qui bibebant ex aquis Pirenes, poetæ facti, scribendi lassitudine pallebant.

VAR. 5. *Illis remitto*. Habent et multæ membranæ veteres *relinquo*; sed *remitto*, laudatissimæ : quod placuit magis. Signatum enim verbum est apud optimos scriptores pro oblatum rejicere, cedere proprium.

NOT. 5, 6. *Quarum imagines lambunt hederæ sequaces.* — Sub imperatoribus, litterarum studium vel colentibus vel similantibus, poetarum

celebrium *imagines* vel hedera vel lauro coronatæ, in bibliothecis, cum publicis, tum privatis exponi ornatus causa solebant. Hor. Sat. I, 4, 21:

.... Beatus Fannius ultro
Delatis capsis et imagine....

Seneca, de Tranquil. an. 9; Plin. lib. XXXV, sect. 2; Sueton. Tib. 70; Juvenal. VII, 29; Plin. Ep. IV, 18; X, 25.

Not. 6. *Ipse semipaganus.* — *Paganus* est rusticus, et opponitur *militi* Juvenal. XVI, 33; Plin. Ep. X, 18; Veget. II, 23. h. l. Semipaganus is est, qui in litteris prima faciat stipendia, qui nondum poetis sit annumerandus.

Not. 7. *Ad sacra vatum carmen affero nostrum.* — Sacra opponuntur vulgaribus; sunt igitur ea quæ ad omnium intelligentiam non veniunt, ideoque arcana cujuscumque artis et disciplinæ, non nisi artem colentibus nota. Possunt itaque sacra vocari præcepta artis poeticæ et carmina ipsa. Virgil. Georg. lib. II, v. 475 : « Musæ, quarum *sacra* fero. » Bene noster ironiam tuetur, et vocat carmina istorum poetarum, *sacra vatum*, quasi familiariori Musarum commercio earumque afflatui proprio debeantur, suum contra opus simpliciter carmen. Hoc *carmen* afferre se *semipaganum* ait *ad sacra vatum*, id est, addere *sacris vatum* carminibus illis, quæ ipse Apollo et musæ dictaverunt. Sic egregie *semipaganus vatibus, carmen nostrum* opponitur *sacris*. Unde sensus oritur simplicissimus : carmen edo hoc meum, et præstantissimis poetarum operibus jam evulgatis adjungo quam modestissime. Alii, inter quos Lambinus, sub *sacris* intelligunt illam Apollinis Palatini bibliothecam, quo auctores *scripta* sua deferre, et recitare solebant. Sueton. Aug. 29; Dio, LIII, princip. Ovid. Trist. III, 1, 59 sqq. etc. Hoc non displicet, verum cave existimes Persium de delatione carminis sui in illud templum et de recitatione cogitare.

Not. 8, 14. Subjicit Persius rationem propter quam, quum non sit poeta initiatus, carmina nihilominus scribere audeat. Sunt enim aliæ res præter memoratas, præter musas, Parnassum et fontes sacros, quæ ingenium hominibus largiantur; fames scilicet et spes lucri. Respuunt sensum illum nonnulli interpretes, inprimisque noster Casaubonus, et indis gnantur sententiam tribui minus honestam viro liberali. Verumenimvero hæc ironice dicta esse, et jocari Persium, poetas insolentes et famelicos irridentem, quis non intelligit?

Var. 8. *Suum χαῖρε.* Habent ferme omnes membranæ veteres : *suum Chere.* Græcam vocem, sive potius græcam scripturam restitui maluimus. €

Not. 8. *Quis expedivit psittaco suum χαῖρε.* — Poeta exprimit similitudinibus a psittaco et pica ductis hanc sententiam suam : vel natura infantes fame eloquentes redduntur. — *χαῖρε*, humanitatis verbum, quo psittacus intrantes salutabat.

Var. Octavum inter et nonum versum nostræ editionis, subreptitium habent

hunc versum nonnullorum editiones : « CORVOS QUIS OLIM CONCAVUM SALUTARE. » Quem ego neque in ullo codice, neque in ullius codicis scholiis reperi. Adde quod auctor præ cæteris brevis sententiam rursus ederet jam editam versu præcedenti, id est, octavo.

VAR. 9. *Verba nostra conari.* Habent et quidem ant. Codd. *blandiri.*

NOT. 9. *Picasque docuit verba nostra conari.* — *Verba nostra*, i. e. voces hominum. — *Conari*, i. e. cum difficultate assequi. Quint. Inst. I, 1 : « Has primum audiet puer ; horum verba effingere imitando conabitur. » Ad luxum pertinebat Psittacos alere, et corvos, et picas, quæ intrantes salutarent. Ovid. Amor. II, 6, 37 sqq. Mart. XIV, 73, 76 ; Petron. 28 ; Stat. Silv. II, 4, 16 sqq. Plin. H. N. X, 42 sqq. Manilius libro quinto sic avium meminit, quæ voces hominum docentur :

> Quin etiam linguas hominum sensusque docebit
> Aerias volucres, novaque in commercia ducet,
> Verbaque præcipiet naturæ sorte negata.

NOT. 10 et 11. *Magister artis, ingenîque largitor venter negatas artifex sequi voces.* — *Magister artis venter*, i. e. fames quæ docet artes optima magistra. Juvenal. III, 78. — *Ingenîque largitor.* Has voces sic conjunxit de industria : ingenium sortimur a natura, non consequimur per artem. Sed poeta significare voluit, quæ vis esset famis, cum vel ipsam naturam corrigeret. *Ingenium* h. l. facultas poetica. Ovid. Ars Am. III, 57. — *Artifex sequi.* Græca constructio, ut in Virg. Ecl. V, 1 et 2 : *boni inflare calamos, boni dicere versus.* Durior tamen Persii locutio ; nam sensus est : *artifex* in docendo, ut *sequantur*, i. e. assequantur, *voces negatas.*

VAR. 12. Pro *refulserit*, in quibusdam legitur membranis veteribus *refulgeat.*

NOT. 12. *Quod si dolosi spes refulserit nummi.* — *Refulserit* pro ostentata sit, vel a stella salutari, quæ nautis subito in tempestate apparet, ut apud Horat. Od. I, 12, 27 sqq. Vel ab auri et argenti colore, qui fulget. Virg. Æneid. VI, 204. Conf. Vellei. Patercul. II, 103. — *Nummi dolosi*, i. e. qui homines quasi circumvenit, et ad ea perducit, ad quæ nati non erant.

VAR. 13. *Et poetrias picas.* Habent et codd. alii *poetridas*, alii *poetricas*, alii *poetidas*. *Poetridas* præsertim miro consensu tuentur, quod quidem analogiæ non omnino repugnat. Maluimus *poetrias*, in græco usitatum.

NOT. 13. *Corvos poetas et poetrias picas*, i. e. mares ineptos ad poesim, et feminas garrulitate insignes. Alludit, ut reor, ad æquales.

VAR. 14. *Cantare credas Pegaseïum melos.* Non parva fuit in hoc restituendo versu difficultas. *Pegaseum* habent codices antiqui quam plurimi ; *melos* omnes. At *Pegaseum* metro non convenire manifestum est. *Pegaseïum* igitur admisimus quod dedit laudatissimus Codex Thuanus (n°. 8072). Admittamus vero quoque necesse est, *Pegaseïum* hic producere *e* per formationem ionicam, uti docet Casaubonus. Quemadmodum enim Τήϊος pro Τέιος Ionice dicitur, sic Πηγασήϊος pro Πηγασέιος. — An *melos* legi deceat, et ipsi dubitaverunt antiqui interpretes, qui ejus verbi loco

nectar scribi posse in scholiis suis monuerunt. Etenim ea vox *melos* priorem vulgo corripit, uti testatur ille notissimus Horatii locus, Od. III, 4, 2:

Descende cælo, et dic age tibia
Regina longum, Calliope, *melos*.

Attamen et producere aliquando potest. Hom. Hym. Mercurii, v. 502; θεὸς δ' ὑπὸ μέλος ἄεισεν. Memoratur quoque vetus hic versus in fragmentis Ennii, XIII, Annal.

Matronæ *melos* complent spectare faventes.

Sic licuit per vim liquidarum consonantium quarum una est λ. *Melos* igitur, in quo membranæ veteres consentiunt omnes, retinendum censeo. — *Néctar* posuit Kœnig, quod non nihil habet auctoritatis in veterum grammaticorum scholiis atque in græcis exemplis. Pind. Olymp. VII, 12 et seq. Theocrit. Idyll. VII, 82. — Cæteras ejus versus correctiones, uti hæc; CANTARE PEGASEIUM MELOS CREDAS, damnat lex harmoniæ, quæ in hoc versu perfectior esse debuit; ita ut fortasse Persius vocem *melos* consulto posuerit, quæ per prioris dubiam quantitatem Iambum imitaretur.

NOT. 14. *Pegaseïum melos*, i. e. carmen tam dulce, quam aquæ fontis Pegasei, sive Hippocrenes; aut tam dulce, quam ii cantus, quos fundunt poetæ ex Hippocrene bibentes.

SATIRÆ PRIMÆ

ARGUMENTUM.

Eversa veteri Republica, plerique Romanorum litteris et scripturæ, quæ prius erant paucorum, sese tradiderunt. Eo res brevi devenit, ut, imperantibus Claudio ac Nerone, scriptoris famam aucuparentur Equites, Patres, ipsique Principes: versus undique et declamationes. Hinc recitantium cœtus prope quotidiani; hinc pretio conducti auditores; hinc ineptæ admirationes et adulationes pudendæ: hinc denique orationis, et poeseos, et ipsius linguæ præceps corruptela.

Hæc sunt æqualium vitia, quæ Persius in prima corripere instituit; *periculosæ plenum opus aleæ.* Cui, quo minus haberet offensionis, formam induit quamdam deliberationis, an scribenda sit satira, necne? atque ejus deliberationis dialogo personas apposuit nullas, tanquam velit in ambiguo relinquere, quinam loquantur. Interdum etiam res et nomina hominum, Neronis præsertim, verbis figurisque dissimulavit. Quas quidem necessarias artes etsi quæsiisse videtur Persius, constantior tamen ejus oratio quam callidior, qualis esse debuit adolescentis, et stoici, et poetæ tempora cernentis uti virtutibus, sic et litteris infesta.

SATIRÆ PRIMÆ

ANALYSIS.

Persium satiras meditantem et jam scribere aggressum superveniens aliquis a proposito dehortatur. Unde sic instituitur dialogus: o ineptias hominum!... — Nemo ista tua leget. — Quid hoc ad me? quasi vero curem perversa judicia Romanorum. Censuram gravem cives merentur: defungi liceat vice censoris. — At nolumus. — At risu temperare nequeo, 1, 12.

Tum sermone satirico invaduntur ejus ætatis litteræ. Monitor quasi excusaturus æquales ait: Recedimus a tumultu, ut scribamus... — Ut coram populo olim recitemus, subjicit Persius;

et illud recitationis genus, Romæ tunc temporis usitatissimum, festive describit, 13, 23. — Quid igitur juvat didicisse, objicit Persio adversarius, si reticeas? 24, 26. — Non ad ostentationem studendum, refert noster, et valet per se doctrina, 27, 28. — At enim gloriosum est in ore versari hominum, in scholis tractari.... — et laudari a saturis hominibus ait Persius; hinc videlicet erit poeta felix et immortalis. Hic recitationes depingit et ridet quæ in divitum magnatumque conviviis frequentabantur, 28, 40. — Jocaris et nimius es, dicet ille mihi propositus adversarius; quis est enim qui nolit se fieri per scripta immortalem? 40, 43. — Non ego si quid possim laudabile scribere, respondit poeta, laudari metuam; sed nihil ad veram gloriam conferunt laudes turpia mirantium, 44, 53. — Quid, quod magnates venalem auditorem conducunt veste aut prandio? O proceres, exclamat, noscite vos, et cavete ab assentatoribus. Quæritis quid de scriptis vestris sentiat populus? Fallunt vos, qui narrant populum mirari versus vel fractos et inertes, vel turgidos; aut ipse fallitur populus, si miratur, 53, 68. — Nunc adolescentuli a scholarum declamationibus ad summum quodque poeseos genus cito transcurrunt, 69, 75. — Nunc pessima quæque æqualium, et desueta veterum opera mirantur stolidi parentes, proponuntque pueris velut exemplaria, 76, 80. — Hinc orationis corruptela invecta est; hinc ineptiæ oratoriæ, quæ in deliciis habentur, quas requirunt patroni, neglectis clientium vita et fortunis, 80, 91. — At vero politiores et ornatiores sunt æqualium versus quam priorum. Hoc variis famosisque ridetur exemplis. Quo facto, judicium de omni recentiorum scriptura suum aperit Persius, 92, 106.

Hic adversarius non bene se habere Romæ litteras, et censura dignos esse scriptores vel tacitus fatetur. Contendit vero periculum esse satiram scribentibus, 107, 110. — Respondit Persius: 1° per ironiam; ergo, inquit, omnia probe erunt, et miranda, et sacra. 2° Per exempla Lucilii Horatiique; liceat mihi idem quod illis, 110, 119. — Minime, 119. — At vates quasi propositi victor, jurisque sui factus, et se scripturum pollicetur, et ad satiram vocat lectores, quales velit habere philosophus et vir probus, 120, 134.

SATIRA PRIMA.

O curas hominum! o quantum est in rebus inane! —
Quis leget hæc? - Min' tu istud ais? - Nemo hercule. - Nemo?
— Vel duo, vel nemo. Turpe et miserabile. — Quare?
Ne mihi Polydamas et Troiades Labeonem
Prætulerint? nugæ. Non, si quid turbida Roma
Elevet, accedas, examenve improbum in illa
Castiges trutina : nec te quæsiveris extra.
Nam Romæ quis non...? — Ac si fas dicere...? — Sed fas
Tunc, quum ad canitiem et nostrum istud vivere triste

SATIRÆ PRIMÆ INTERPRETATIO.

Persius. O ineptas hominum curas! o quantum est vanitatis in rebus humanis! — Monitor. Quis leget istiusmodi scriptum? — Pers. Mihine hæc dicta sunt? mene alloqueris? — Mon. Te ipsum alloquor. Nemo te leget profecto. — Pers. Itane? Nemo? — Mon. Ita; vel duo ad summum legent, vel nemo omnium. Quæ auctoris conditio turpis est ac miseranda. — Pers. Cur tandem? Quia videlicet timendum forsitan, ne Trojanæ et Polydamas (*Romani et Princeps*) Labeonem, insulsum poetam, mihi anteponant? At leve hoc incommodum. Si quid insana civium turba damnaverit, non tu ad sententiam accesseris, neque tentaveris iniquum judicium apud iniquum judicem corrigere : tu tenor æstimaveris conscientia tua, neque te quæsiveris extra te ipsum. Ne curaveris judicia Romanorum; nam Romæ quis non est...? — Mon. Ac *quid tandem audeas*, si verbum proferre liceat, si fas dicere? — Pers. Sed fas esse arbitror mihi dicere quid sentiam, tum quum video quibus in studiis consenescamus, quam pravis moribus vivamus, et quibus omnis generis magis indulgeamus, vel postquam ludos reliquimus puerorum; quum que pueritia egressi

Adspexi, et nucibus facimus quascumque relictis;
Quum sapimus patruos: tunc... tunc... ignoscite. — Nolo.
— Quid faciam?... sed sum petulanti splene cachinno.
— Scribimus inclusi, numeros ille, hic pede liber....
— Grande aliquid, quod pulmo animæ prælargus anhelet.
Scilicet hæc populo pexusque, togaque recenti,
Et natalitia tandem cum sardonyche albus
Sede leges celsa, liquido quum plasmate guttur
Mobile collueris, patranti fractus ocello.
Hic neque more probo videas neque voce serena
Ingentes trepidare Titos, quum carmina lumbum
Intrant, et tremulo scalpuntur ubi intima versu.
Mun', vetule, auriculis alienis colligis escas?

insorum gravitatem jam vultu referimus: tum... tum... *difficile est satiram non scribere, et non damnare nequitia Romanos.* noscite mihi igitur, *quoniam notandi sunt mores.* — Mon. Nolo noscere; quidquam scribas satiricum nolo. — Pers. Quid jam igitur?... *Velim equidem tacere;* sed natura sum risor et cax, et risu temperare nequeo.

13. Mon. *Quid tandem mali est?* Abditi in secretis scribimus, alius rsibus, alius solata oratione.... — Pers. Sublime aliquid et turdum, quod olim recitetur anhelo pulmone vel spiritus capaimo. Namque aderit aliquando exspectatus ille dies, quum, ris capillis, et toga nova ornatus, et annulum digito gerens naionem gemma insignem pretiosa, et munditiis vesteque recenti adidus, opus tuum, loco sedens superiore, recitabis ad circumum populum, postquam guttur dulci aliqua potione laveris bibitusque ad voces reddideris; dumque recitabis, recitanoculi blandissimi resoluti erunt voluptate, more hominis i rem patrat. Tum vero videre erit magnos Titi pronepotes manes) movere motu minime decoro et tremulos edere ganus, quum versus descendunt in lumbos titillantque sono civo intima voluptatis penetralia. Siccine, o stolide senex, udas in condendis operibus, quibus exsatures aliorum auries, hominum auriculas ineptissimorum, quibus tu ipse labo-

Auriculis, quibus et dicas cute perditus, ohe?
— Quo didicisse, nisi hoc fermentum, et quæ semel intus
Innata est, rupto jecore exierit caprificus?
— En pallor seniumque! o mores! usque adeone
Scire tuum nihil est, nisi te scire hoc sciat alter?
— At pulchrum est digito monstrari, et dicier, hic est!
Ten' cirratorum centum dictata fuisse
Pro nihilo pendas?... — Ecce inter pocula quærunt
Romulidæ saturi, quid dia poemata narrent.
Hic aliquis, cui circum humeros hyacinthina læna est,
Rancidulum quiddam balba de nare locutus,
Phyllidas, Hypsipylas, vatum et plorabile si quid,
Eliquat, et tenero supplantat verba palato.
Assensere viri; nunc non cinis ille poetæ
Felix? non levior cippus nunc imprimit ossa?

rans intercute superbia dicere cogaris, ohe, satis est laudum? — Mon. Quid autem juvat doctrinam conquirere, nisi doctrina illa intus concepta erumpat disrupto jecore, perveniatque ad alios, ut fermentum quod exuberat, ut ficus sterilis, quæ, ubi semel innata est intra parietes, sibi viam aperit, exitque ad auras. — Pers. En igitur cur libris impallescis? in hoc igitur consenuisti? o pravi mores! Usque adeone doctrina tua nulla foret, nisi alii scirent hanc esse in te doctrinam? — Mon. At enim gloriosum est, si te digito designent transeuntes, ut *virum quem;* si dicant de te, hic ille est. Num tu nihili esse putas si scripta tua dictitent in scholis magistri plurimis nobilibus adolescentibus?... — Pers. Ecce nostri proceres saturi rogant inter pocula quid memorent egregia carmina poetarum, i. e. recitentur rogant. Tum convivarum aliquis cœnatoria molli veste indutus coloris violacei, balbutiens, et præfatiunculam nescio quam putidam præmissam recitationi locutus e naso, clara, quantum valet, et liquida voce recitat Phyllidas, aut Hypsipylas, aut alias quaslibet lacrymosas poetarum elegeias, et inter recitandum verba mollit frangitque palato leniter illidens. Probant hæc magno consensu auditores. Age, nonne est poeta felix, post-

Laudant convivæ: nunc non e manibus illis,
Nunc non e tumulo fortunataque favilla
Nascentur violæ? — Rides, ait, et nimis uncis
Naribus indulges. An erit, qui velle recuset
Os populi meruisse; et, cedro digna locutus,
Linquere nec scombros metuentia carmina, nec thus?
— Quisquis es, o modo quem ex adverso dicere feci,
Non ego, quum scribo, si forte quid aptius exit,
(Quando hæc rara avis est) si quid tamen aptius exit,
Laudari metuam; neque enim mihi cornea fibra est.
Sed recti finemque extremumque esse recuso
Euge tuum et belle. Nam belle hoc excute totum:
Quid non intus habet? non hic est Ilias Attî
Ebria veratro? non, si qua elegidia crudi
Dictarunt proceres? non, quidquid denique lectis

quam sic exceptus est? Nonne cinis ejus mollius requiescit? Nonne lapis qui surgit in sepultura, levior incumbit jacenti? audant excepti convivio et pasti homines: nonne hinc erit immortalis? Nonne tumulo flores innascentur, orienturque ex ejus eatissimo busto? — Jocaris, dicet mihi adversarius, et risui imis indulges. Etenim, an est quisquam hominum, qui nolit iereri famam et laudes; qui, si modo quid condiderit dignum servari cedrino oleo, nolit hoc consecrari ad immortalitatem, ita haberi in pretio, ut neque salsamentarios metuat, neque urarios? — O tu, quisquis es, quem ego mihi statui adverrium et mecum modo colloquentem, si quid forsitan, dum ribo, satis probandum ediderim (quanquam hæc avis rara t, *ut ait proverbium*) sed si quid tale ediderim, non is sum qui udari timeam; neque enim cor est mihi lapideum, quod nulla ossit laude titillari. Verumenimvero nego rectum pendere his acclamationibus *pulchre*, *bene*, quas tu tantum jactitas, que iis terminari. Explora enim istas voces paulo attentius, quid significent intueare. Cui operi non tribuuntur? Nonne ti Iliadi tribuuntur, quam scripsit Attius, ebrius elleboro? onne istis versiculis elegis, quos dictaverunt proceres gravem

Scribitur in citreis? Calidum scis ponere sumen;
Scis comitem horridulum trita donare lacerna:
Et, verum, inquis, amo; verum mihi dicite de me.
Qui pote? Vis dicam? nugaris, quum tibi, calve,
Pinguis aqualiculus propenso sesquipede exstet!
O Jane, a tergo quem nulla ciconia pinsit,
Nec manus auriculas imitata est mobilis albas,
Nec linguæ, quantum sitiat canis Appula, tantum!
Vos, O patricius sanguis, quos vivere fas est
Occipiti cæco, posticæ occurrite sannæ.
Quis populi sermo est? Quis enim, nisi carmina molli
Nunc demum numero fluere, ut per læve severos

cibum ægre digerentes? Nonne denique ineptissimis operibus, quæcumque scribunt divites in lectulis e citro factis recubantes? *Scilicet, vos divites procerèsve, conducitis auditores laudatoresque.* Vos his epulandum apponitis delicatissimum calidumque cibum; vos comitem frigore horrentem mala quadam veste donatis. Atque hæc qui fecit vestrum aliquis dicet: Verum amo; vere dicite mihi, quid sentiatis de meis carminibus. At qui fieri potest, ut verum tibi dicant homines, tuis empti muneribus? Visne dicam ego tibi verum? Dicam equidem: o libidinose et nequam, tu vis ludere versibus, cum tibi venter obesus promineat uno et semi pede protentus! Felix profecto Janus est, qui geminum habet vultum! Nemo potuit illum a tergo ludificari; nemo illum insecutus est, aut ciconiam repræsentans tundentem rostro et vellicantem, aut asininas aures motibus manuum imitatus; nemo ad eum deridendum exeruit linguam tam longe, quam sitiens canis sub sole Apuliæ. At vos, Romani proceres, quibus non contigit habere oculos in occipite, date operam ne a tergo irrideamini ab assentatoribus. *Sic vos eos interrogatis:* quis est de me rumor? quid dicit populus de meis carminibus? *Isti vero respondent:* Enimvero quid aliud potest populus dicere, nisi eam esse carminum eorum concinnitatem, quam nemo adhuc fuerit assecutus, et ita justis numeris versus eos decurrere,

Effundat junctura ungues? Scit tendere versum
Non secus, ac si oculo rubricam dirigat uno.
Sive opus in mores, in luxum, in prandia regum
Dicere, res grandes nostro dat Musa poetæ.
Ecce modo heroas sensus afferre videmus
Nugari solitos græce, nec ponere lucum
Artifices, nec rus saturum laudare, ubi corbes,
Et focus, et porci, et fumosa Palilia fœno;
Unde Remus, sulcoque terens dentalia, Quinti,
Quum trepida ante boves dictaturam induit uxor,
Et tua aratra domum lictor tulit.... Euge, poeta.
Est nunc Briseïs quem venosus liber Acci;

it nulla asperitas appareat, vel commissura, ad quam hæreant ungues vel diligentissime opus explorantis? Ille poeta, iit populus, versum ita rectum novit fingere, ut opus videatur d rubram lineam clauso uno oculo dirigere, *sicuti facit faber ignarius*. Musæ, ait populus, favent nostro poetæ, et illi concelunt sublimia ad omne argumentum, sive dicendum sit de moibus (*in* comœdia) sive de luxu (in satira) et de regiis epulis in *tragœdia*).

69. Nunc videre est heroïcum quid cito proferentes, et sublinia quæque poeseos genera affectantes adolescentulos, qui iodo circa nugas græce compositas in scholis operabantur, qui ondum descriptiones laudationesve fingere noverunt, qualis t nemoris, vel pinguis ruris, in cujus imagine *quam isti adumrant, recurrunt res usque et usque eædem, minimæ cum maximis mere copulatæ*, corbes scilicet, et focus, et porci, *quos juxta apnuntur* festa deæ Palis, succensis et fumantibus fœni acervis lebrata, et Remus ab agris oriundus, et tu, o Cincinnate, qui emebas vomerem sulcis attritum, quum trepidans uxor iniit tibi dictaturæ ornamenta prope boves tuos, quumque tores aratra tua domum retulerunt... Pergite, descriptioim optimi artifices; præclari vos eritis poetæ.

76. Nunc videre est homines ineptos, qui poemate inflato ccii, quod inscribitur *Briseïs*, delectentur; qui detineantur

Sunt quos Pacuviusque et verrucosa moretur
Antiopa, « ærumnis cor luctificabile fulta. »
Hos pueris monitus patres infundere lippos
Quum videas, quærisne unde hæc sartago loquendi
Venerit in linguas; unde istud dedecus, in quo
Trossulus exsultat tibi per subsellia lævis?
Nilne pudet, capiti non posse pericula cano
Pellere, quin tepidum hoc optes audire DECENTER?
Fur es, ait Pedio. Pedius quid? crimina rasis
Librat in antithetis : doctas posuisse figuras
Laudatur : bellum hoc. Hoc bellum! an Romule ceves?
Men' moveat quippe, et, cantet si naufragus, assem
Protulerim? Cantas, quum fracta te in trabe pictum
Ex humero portes. Verum, nec nocte paratum

vetustis Pacuvii operibus ejusque *Antiopa* (tragœdia) verrucis deformï, et, ut ait auctor, « ærumnis cor luctificabile fulta. »

79. Quæ judicii aberrationes ubi fiunt, et quum patres, senio et stultitia cœci, suos monent pueros istius modi scripta esse imitanda, non est quærendum, unde corruptela linguam infecerit, unde invectæ fuerint pudendæ ineptiæ, quibus delicatuli nostri adolescentes in foro et judiciis tantopere exsultant et efferuntur. Nullone pudore afficeris, quod nequeas periculum a capite cano avertere, quin efficere coneris, ut frigida ista laudatione oratio tua excipiatur : dixit *decenter*. Fur es, ait accusator Pedio. Quid ad hanc atrocem injuriam Pedius? Crimen objectum versat in sententiis ad antithesim compositis, laudaturque quod figuras ponere noverit oratorias. Hoc pulchrum, inquiunt. Proh fidem hominum! hoc vos pulchrum judicatis! o Romuli nepotes, num vos canibus similes facti estis, qui segnes cauda remissa blandiuntur? Scilicet an naufragus me movere possit, qui cantet? An efficiat lætis vocibus, ut misertus assem ei largiar? Minime. Porro, tu cantas, dum experiris naufragium, naufragiique depictam imaginem

Plorabit, qui me volet incurvasse querela.
— Sed numeris decor est et junctura addita crudis.
— Claudere sic versum didicit: « Berecynthius Attin,
« Et qui Cæruleum dirimebat Nerea Delphin;
« Sic costam longo subduximus Apennino. »
ARMA VIRUM, nonne hoc spumosum et cortice pingui?
Ut ramale vetus prægrandi subere coctum.
Quidnam igitur tenerum, et laxa cervice legendum?
« Torva Mimalloneis implerunt cornua bombis,
« Et raptum vitulo caput ablatura superbo
« Bassaris, et lyncem Mænas flexura corymbis,
« Evion ingeminat: reparabilis assonat Echo. »
Hæc fierent, si testiculi vena ulla paterni
Viveret in nobis? summa delumbe saliva
Hoc natat in labris, et in udo est *Mænas* et *Attin*,

portas in humero. Qui voluerit me querelis commovere, veras effundet lacrymas, neque dolorem quasi recitabit per noctem accuratius compositum.

92. MON. At enim versus, qui prius erant incompti et rudes, lecore et concinnitate nova nunc ornantur. — PERS. Scilicet ecens inventum est hujusce modi versus fingere:

.... Berecynthius Attin,
Et qui cæruleum dirimebat Nerea Delphin;
Sic costam longo subduximus Apennino.

Carmen Virgilianum, præ istis, nonne res est vilis ut spuma, inguis ut crassus cortex? Immo etiam vilis ut vetusti rami, n quibus exstat suber prægrandis sole et tempore concoctus. Quid autem est molle ac delicatum? Quid est quod recites suinus et cervice blandius rejecta? Hæc nempe carmina:

Torva Mimalloneis implerunt cornua bombis,
Et raptum vitulo caput ablatura superbo
Bassaris, et lyncem Mænas flexura corymbis,
Evion ingeminat; reparabilis assonat Echo.

n simile quidquam scriberetur, si quid retinuissemus paterni igoris? Hi versus fracti et elumbes summis labris innascuntur

Nec pluteum cædit, nec demorsos sapit ungues.
— Sed quid opus teneras mordaci radere vero
Auriculas? vide, sis, ne majorum tibi forte
Limina frigescant: sonat hic de nare canina
Littera. — Per me equidem sint omnia protinus alba:
Nil moror. Euge, omnes, omnes bene miræ eritis res.
Hoc juvat; Hic, inquis, veto quisquam faxit oletum.
Pinge duos angues: pueri, sacer est locus; extra
Mejite: discedo. Secuit Lucilius urbem,
Te, Lupe; te, Muti; et genuinum fregit in illis.
Omne vafer vitium ridenti Flaccus amico
Tangit, et admissus circum præcordia ludit,
Callidus excusso populum suspendere naso:

saliva madentibus; et *Mænas* et *Attin* in udo sunt, *ut ait proverbium*, nec sunt opus poetæ abacum præ cura et ardore infringentis, aut ungues ad vivum mordentis.

107. Mon. At vero hæc, Persi, ut vera sint, quid necesse est tu profitearis, et profitendo aures delicatas et molles offendas? Cave, quæso, ne male excipiaris in limine palatiorum; namque in hac satira tua multa sonant, in modum canum qui hirriunt. — Pers. *Ergo satiram adulatione muto;* ergo licet per me, ut omnia omnino jamjam sint bona. Nulla mora est in me. Agite dum; omnes, omnes res valde eritis admirandæ. Tibi placet hoc opus; et veto, inquis, ne quisquam illud polluat, ne quisquam hic ventrem exoneret? Ergo pinge duos angues, qui indicent sacrum esse hunc locum, qui moneant transeuntes uti procul mingant: jam ego recedo præ reverentia. Lucilius satiras scripsit, quibus cives omnes cecidit; cecidit vos, Lupe et Muti, *famosa in ejus operibus nomina;* atque in illis hominibus dentes quasi fregit impactos: Horatius vicissim malitiose inquirit et tangit vitium quodcumque amicis ridentibus, neque irascentibus, penetratque ludens et reserat intimos sensus hominum, ipsis quasi volentibus, vir felicior in irridenda multitudine: Mihine piaculo vertetur et sceleri, si tacite immurmurem, si in secreto, si more deprimentis scrobes in ter-

Men' mutire nefas, nec clam, nec cum scrobe?—Nusquam.
— Hic tamen infodiam: vidi, vidi ipse, libelle:
Auriculas asini Mida rex habet. Hoc ego opertum,
Hoc ridere meum, tam nil, nulla tibi vendo
Iliade. Audaci quicumque afflate Cratino,
Iratum Eupolidem prægrandi cum sene palles,
Adspice et hæc, si forte aliquid decoctius audis.
Inde vaporata lector mihi ferveat aure:
Non hic, qui in crepidas Graiorum ludere gestit
Sordidus, et lusco qui possit dicere, LUSCE;
Sese aliquem credens, Italo quod honore supinus
Fregerit heminas Arreti ædilis iniquas:
Nec qui abaco numeros et secto in pulvere metas
Scit risisse vafer; multum gaudere paratus,

ram?.... — MON. Nusquam licentia dabitur. — PERS. At sumam ego mihi; atque hic libro sensus committam arcanos. O libelle, vidi egomet, vidi ipse: auriculas asini habet rex Mida. Hunc ego risum accuratius dissimulatum innocuumque, usque adeo nullum, nolim tamen commutare tecum tota Iliade. Ergo agite, lectores lectissimi, sive audacia Cratini afflati estis, sive impallescitis legendo Eupolidem, aut maximum seniorum comicorum (Aristophanem), huc adeste, et nostrum quoque opus respicite, si forte in hoc recurrit aliquid limatius perfectiusque. Ille mihi requiritur lector, qui sit optimis Græcorum satiricis quasi instinctus, cujus aures, per optimam lectionem, purgatæ ferveant. Istum vero lectorem amoveo, cui insulso lepida res est Graiorum irridere crepidas, aut dicere homini lusco, luscus es; qui sese magnum virum putat, quod humillimum munus in provincia obierit, unde superbiret; quod Arreti, oppidulo Italiæ, jusserit, pro sua ædilis potestate, frangi et aboleri mensuras justo minores. Neque alium istum malim, cui adeo callidum est ingenium, ut numeros abaco inscriptos, aut lineas ductas in pulvere, *res per se et doctas, et simplices*, irrideat risu inepto; qui, magnam inde percipiet lætitiam, si meretrix stoïcum quemdam

Si Cynico barbam petulans nonaria vellat.
His mane edictum, post prandia Callirhoen do.

impetierit, eique petulanter barbam vellicaverit. Istius modi homines audiant edictum matutino tempore, Callirhoen post prandia : hæc illos decent.

VARIÆ LECTIONES

ET NOTÆ

IN SATIRAM PRIMAM.

DE SATIRA PRIMA. Vetus est interpretum querela de obscuritate hujus in primis satiræ. Cujus quidem non verba solum et singulæ sententiæ minus interdum apertæ sunt; verum etiam dialogus vicibus alternis vix ac ne vix quidem est distinctus, ipsumque argumentum, sicuti nonnullis placet, haud ita *simplex et unum*. Incommoda hæc invexit omnia, præter scriptoris ingenium, ipsa materiæ conditio. Scilicet, uti supra argumento monuimus, æqualium vitia litterarum litteratorumque pravos mores redarguere Persius instituit; periculosum opus profecto, et quod aperta fronte vix peragere sustineat, quum impetendus sit populus, et magnates, et ipse ante alios Nero, vel in bonis artibus nequissimus. Hinc sententiæ hominumque nomina sæpe sæpius verbis atque omnis generis figuris dissimulata; hinc dialogus personis non dicam indistinctus, sed potius carens, tanquam si velit auctor in ambiguo relinquere, cuinam tribuenda sint, quæ dixerit; hinc denique induta toti operi forma, quæ est *deliberatio* quædam, an satiram scribendum sit, necne?

Quas ambages quum paulo sit difficilius resolvere, continuumque orationis propositum relegere, et quocumque pertineat pervidere; sibi in animum induxerunt nonnulli commentantium, non hoc esse perfectum unius operis corpus, sed truncas diversorum operum partes, et hanc satiram e plurium satirarum laciniis fuisse consutam atque inprobe contextam. Ea de re disserentem doctum *Kœnig* audire est. Equidem semper statui atque etiam nunc me in eadem opinione esse confiteor, primam hanc Persii satiram e duabus diversi argumenti satiris casu aliquo esse conflatam; in quarum una necessitatem satiras scribendi exposuerit, in altera scribendi et recitandi libidinem pravumque hominum de carminum virtutibus judicium acriter perstrinxerit; neque nuca ex utraque intercidisse. Ad priorem mihi pertinuisse videntur 1—12, et 107 usque ad finem; ad posteriorem reliqui. Atque in iis verbus quos ad alteram satiram pertinuisse diximus, non uno in loco vidimus transitus adeo duros et abruptos rerumque expositionem adeo mancam ac debilem, ut Persii manibus injuriam facere pæne videamur, si illa sic, ut nunc circumferuntur, ab eo profecta esse arbitremur, præsertim quum ex secunda, quinta et sexta satira perspicuum sit, eum non dolere singula tam leviter attingere, eaque tantum rerum lineamenta

ducere ex quibus, quales sint, nemini innotescere possit; sed potius iis interdum justo diutius inhærere, nec minutissimas quidem partes negligere, ut omnes facere solent, qui ubertate ingenii destituuntur. Hæc sane sunt quæ suspicionem hiatuum præbeant necesse est; qui hiatus postea, interdum non satis feliciter consuti, rugas passim et plicas reliquerunt, quibus nunc quidem offendimur. » Edit. Kœnig. p. 38. Not. ad v. 107, 134, prim. sat. — Hoc argumento potissimum illa nititur opinio, quod deliberatio de scribendi necessitate initio operis instituta subque finem recurrens, in medio videatur intermissa aut omnino sublata. At vero non intermissam fuisse aperte declarant vers. 24 et sequentes ad 30, in quibus dialogi vices manifestæ; et vers. 40, 44, 49, 84, et alii complures, in quibus redeunt illæ sententiæ in principio et sub finem operis agitatæ. Ita ut appareat per totam satiram continuari deliberationem, modo frequentem dialogi vicibus alternis, quum Persio vocem præcludere conatur adversarius, modo vices alternas jam non admittentem, quum sermonem quasi suum fecit Persius propositi tenax et victor. Quod quidem et ipse auctor lectorem monitum voluisse videtur, qui scripsit versus 40 et 44, quibus nos docet se ipsum vices agere monitoris et suas. Cæterum deliberatio illa, ut ipsa interdum foret intermissa, non ideo omissum confusumque foret argumentum. Neque enim ipsa argumentum est, uti plures falso censent interpretes, sed induta argumento forma callidior, quam Persius nunc adhibet, nunc ponit, pro operis necessitate; quam Juvenalis in prima usurpavit, quamque recentiorum satiricorum nonnulli retulerunt. — At enim *manca ac debilis est rerum expositio*. Minime, sive ad operis mensuram spectes, quæ non est cæterarum Persii satirarum mensuræ dispar, sive potius ad ipsius materiæ naturam, cujus nulla pars omissa fuisse videtur, modo ad rem conferret. Quam multa enim æqualium in litteris vitia paucis versibus consectatus est! scripturæ et inanis laudis studia, recitationes modo apud populum, modo in principum conviviis habitas, conductos pretio auditores, ineptas admirationes adulationesque pudendas, adolescentulorum litterarias ambitiones, stolida patrum magistrorumve judicia, insanum vetustatis aut novitatis amorem, oratorias fori ineptias, poeseos denique et linguæ corruptelam. Doceant quam intractatam reliquerit Persius argumenti partem, qui damnant jejunitatem operis. — At enim rursus, *duri sunt, abrupti transitus, et hiant partes operis*. Quod si res ita se haberet, non esset admiranda in poeta, in vetere, in Persio inprimis, qui fuit brevitatis studiosior, quam transitionum. Verumenimvero varias corruptæ litteraturæ imagines, quas Persius adumbravit, neque continentes alias ex aliis procedere necesse fuit, neque tamen disjectas temere copulari decuerat. Hoc ipsum intellexit auctor compositionis diligens, qui varias rei partes, satirica illa deliberatione ab initio ad finem operis perducta, recolligit in unum et complectitur. Quid plura? sensit et ipse *Kœnig* profecto, minus habere ponderis sententiam, quæ nullis innitatur codicum antiquorum indiciis; ideoque *suspicionem* vocavit.

Hæc ego paulo fusius disputavi, ad vindicandum ab injuria auctorem;

simul quia nonnihil lucis in partes operis sperabam, si totum illustraretur. Fatebor equidem nonnulla hic esse, quibus lucem ipse dedisset Persius malim; culpam vero temporum vel nostram viro tribuamus cavendum. Scriptum enim quodcumque (satiricum præsertim), cui dedit occasionem tempus aut vita hominum, quandiu manebit ejus temporis eorumve hominum vitæ memoria, clarum erit et apertum legentibus; idem vero, ubi ad remotam ignaramque vetustissimi ævi posteritatem pervenerit, obscurum arduumque sit necesse est. Quid, si per tyrannidem libere et candide loqui non licuit? quid, si, ad exprimendos proferendosque animi sensus, dolo et artibus non minus quam audacia scriptori opus fuit? — Porro Persianæ hujus satiræ conditio hæc ipsa est. *Clam* et *operte* se dixisse ea quæ dixerit, ipse nobis auctor denunciavit; neque ita fecit amore obscuritatis, credo, sed necessitate. Attamen, ea Persianam obscuritatem interpretandi ratione modeste utamur; neque commentatorum quorumdam vestigiis insistamus, qui quidquid est in satira dictum minus aperte, hoc de Nerone dictum putaverunt; ita ut opus pæne totum in unum hominem, eumdemque crudelissimum ac potentissimum imperatorem, fuisse compositum arbitrari videantur. Quod facere neque voluntatis fuit Persii, neque dignitatis.

Notæ. 1. *O curas hominum! o quantum est in rebus inane!* — *Curæ*, hoc loco, pro rebus quas curant homines, quibus animum intendunt. — *Quantum inane.* Græce, ὅσον τὸ κενόν. — Quam vanæ sunt res quas homines curant! — Persio vitia urbis moresque civium consideranti, erumpunt hæ voces philosophicæ vel satiricæ. Minus probanda videtur eorum interpretatio, qui tribuendas illas censuerunt homini Persium interpellanti monentique ne scribat. Orditur enim Persius satiricorum ferme omnium more, qui, quasi coacti neque sibi temperantes ab indignatione, ad scribendum accinguntur. Sic Horatius, inconstantiam et temeritatem hominum admiratus: *Qui fit, Mœcenas*, etc. Sic Juvenalis, æqualium vitiis actus: *Semper ego auditor tantum?* Verum hocce nostri exordium non minus philosophi dolorem, quam poetæ iras arguit; atque adeo similius illi Ecclesiastæ exordio: *vanitas vanitatum*, etc.

Not. 2. *Quis legat hæc? — Min' tu istud ais? — Nemo hercule. — Nemo!* — Fingit Persius defixo sibi in his cogitationibus, ac priore versu in scripto, supervenisse aliquem, qui eos secum sermones habuerit, ipsos refert. Tota enim satira instar dialogi cujusdam manifesto contexta est, etsi personæ non appositæ sunt; qui Persii mos est, ut ex sequentibus cuiris compertum erit. — *Quis legat hæc?* verba sunt ejus hominis Perium interpellantis. Cui ille, subita admonitione quasi e cogitationibus vocatus: *Min' tu istud ais?* — *Min'* pro: *mine; mi* pro: *mihi*, in versibus Persii recurrit. « Et *mi* genus ab Jove summo. » Virg. — *Nemo hercule.* Monitor sibi ipsi, quum in respondendo Persius vel hæreat, vel nihil dicat, respondit, judiciumque juramento confirmat in sermonibus usitato: *Hercule*, hoc est quasi, teste *Hercule*. — *Nemo!* tam poeta, qui de se

melius speravit, vel potius, lectores an sit habiturus, parum curat, subjicit quadam ficta et derisoria desperatione : *nemo;* sub : mea scripta leget!

Not. 3. *Vel duo, vel nemo ; turpe et miserabile. — Quare?* Totum hunc versum, excepto *quare,* monitori tribuimus; aliter vero a nonnullis legitur. Initium versus cum fine præcedentis cohærere volunt, tribuuntque Persio hæc verba : *vel duo, vel...*, quasi ille non concederet adversario satiras suas prorsus a nemine legendas esse; saltem enim *vel duos vel* tres repertum iri, qui legant. Sed monitor, non exspectans donec inchoatam sententiam Persius absolvat, interpellat et subjicit : *nemo.* Non est inepta quidem hæc lectio. Nostram vero tuentur et sensus clarior et græca analogia. Græci nempe, quoties summam raritatem volunt exprimere, sic faciunt : ἢ ὀλίγοι, ἢ οὐδείς, vel ἢ τις, ἢ οὐδείς. Hippocrates, de Morbo sacro, οὐκ ἔτι ἢ νοῦσος αὕτη ἐπιλαμβάνει, ἀλλ' ἢ ὀλίγους ἢ οὐδένα; Ælianus, de Anim. l. VII, c. 8 ; θαυμάζει τις ἢ οὐδείς ; Dion. l. XLVIII, ἐκείνῳ ἢ τις ἢ οὐδεὶς στεφάνος ἐδόθη. Igitur *vel duo, vel nemo,* id est, paucissimi. — *Turpe et miserabile* verba sunt quoque monitoris, hoc labore Persium nullam gratiam capturum reputantis. Verum hoc *turpe et miserabile* tantum iis videri potest, qui multitudinis plausus captant, non item Persio. Itaque Persius, quasi rationem cur id *turpe et miserabile* sit ignorans, sic interrogat : *quare?*

Variæ lectiones. 4. *Ne mihi Polydamas.* — Pro *ne* legitur sæpe sæpius in MSS. *neç,* aut *næ*. Quarum lectionum prior cum ea voce *nugæ,* quæ Persii profecto est, convenire nullo modo potest. Posterior vero non insulsa est. Dabit enim hunc sensum versus : *næ,* id est *profecto, antoponent mihi Labeonem. Nugæ ;* id est, *sed hoc parum curo. — Polydamas,* quod habent Codd. omnes, servavi, etsi me non fugit græcam vocem esse : Πουλυδάμας, atque primam in : *Polydamas,* esse corripiendam, ut in : *Polydorus.* Legit Kœn. *Pulidamas,* alii : *Pollydamas ;* qua auctoritate inducti, nescio.

Not. 4. *Ne mihi Polydamas et Troiades Labeonem Prætulerint? nugæ.— Polydamas,* Trojanus vir fortis et sapiens, cujus Hector censuram reverebatur. Hom. Iliad. lib. X, vers. 100 et 105 :

Πουλυδάμας μοι πρῶτος ἐλεγχείην ἀναβήσει...
Αἰδέομαι Τρῶας, καὶ Τρῳάδας ἑλκεσιπέπλους.

Videntur hi versus in proverbium quasi abiisse apud antiquos, quoties erat designandus aliquis, cujus vel censuram timerent, vel nomen vellent reticere. Sic utrumque Homeri versum usurpavit Tullius, in Epistola V ad Atticum, lib. II ; et in I, lib. VII : « aliter sensero ? *αἰδέομαι* non Pompeium modo, sed Τρῶας καὶ Τρῳάδας. Πουλυδάμας μοι πρῶτος ἐλεγχείην ἀναβήσει. Quis? tu ipse laudator et scriptorum et factorum meorum. » Epist. XVI, l. VIII : « *αἰδέομαι* Τρῶας. » Sic noster dixit : *Polydamas et Troiades.* Per *Polydamanta* intellige aut magnum quem, cujus multitudo judicium temere sequatur, aut ipsum principem. Ac pessimum omnium Neronem honestissimi viri nomine designari, non est mirandum, quum tantum sit in ejus principis vituperatione periculum ; adde quod laus hic vituperationis locum obtineat. Per *Troiades* intellige Romanos, quos, propter mollitiem, ne virorum quidem nomine dignos judicavit. Sic Virg. Æneid.

lib. IX, v. 617 : « O vere *Phrygiæ;* neque enim Phryges. » — *Labeonem.* De *Attio Labeone*, et inepta Homeri versione quam ediderat, præter Persii et vetusti scholiastæ testimonia, nihil habemus compertum. Vide infra v. 50 ejusdem satiræ. — *Nugæ*, id est, nihil hoc agit. Sæpe sæpius vox usitata in sermone latino, ut in gallico : *bagatelles.*

Nor. 5. *Non, si quid turbida Roma.* — *Turbida Roma*, id est, turba Romanorum animis in diversa distractorum. Sic enim in magna urbe vivitur, ut in turba, in qua homines se mutuo trudunt impelluntque. Sæpius de urbis incommodis queruntur satirici latini, de vitiis historici philosophique. Vide Plinium Secundum, lib. II, Epist. ad Calvisium.

Nor. 6. *Elevet, accedas; examenve improbum in illa Castiges trutina.* — Sermo allegoricus. Hæc enim omnia ab arte stathmetica petita sunt. *Elevare*, proprie levius facere, parvi pendere. *Examen* est lingula super scapo erecta. Hac neutro inclinante et sub ansa latente, aut intra *trutinam* manente, æqualitas rerum pensarum ostenditur. Unde Virg. Æneid. lib. XII, v. 725 :

> Juppiter ipse duas æquato *examine* lances
> Sustinet.

Trutina foramen est intra quod vergit lingula aut *examen*. *Castigare*, uti vetus interpretatur scholiastes, est digito libram percutere ut temperetur, et præ agitatione post æquum conquiescat. Sententiam igitur per similitudinem Persius expressit : Si quid turba civium parvi æstimaverit, ne accesseris ad ejus sententiam, neque tentaveris pravum illud judicium corrigere, examen, quod est natura sua improbum atque in æquum redire non potest, castigando in trutina Romanorum; alio modo : res ne perpendere aggrediaris lancibus iniquis, quibus utitur populus? Frequenior est apud poetas ducta illa a lancibus metaphora.

Nor. 6. *Nec te quæsiveris extra.* — Mollierat ejus sententiæ rigiditatem Horatius : « Non aliis de te plus quam tibi credas. » Stoicum redolet magis Persii versus. Legitur in Pythagoreorum aureis carminibus : πάντων δὲ μᾶλλον αἰσχύνου σαυτόν; atque in stoicorum libris sæpe sæpius recurrit eadem sententia. Vide Enchiridion Epicteti et stoicorum scripta.

Var. 8. *Nam Romæ quis non ac si fas dicere sed fas.* — Hæc sunt quæ habeant deinque MSS. codices, nisi quod *at* pro *ac* interdum reperiatur. *Ah* correctio videtur esse interpretum editorumve, qui, quum omnia ejus versus verba Persio tribuant, minusque conveniat *ac* ad sensum quem sequuntur, in ejus locum posuere *h*, sicque legerunt hunc versum : *Nam Romæ quis non?... ah, si fas dicere! sed is*, etc. Quæ quidem lectio non inepta est, quamvis *ah si* minus usitatum sit pro : *si*. At vero non est quod quidquam immutemus verbis quæ reperiuntur in MSS., modo sensum habeant probandum. Habent autem, ubi ad suam personam unum eodque verbum refertur, atque in hunc modum distinguitur : *Nam Romæ quis non...? — Ac si fas dicere...? — Sed fas*, etc. Qui dialogus neque latinitate caret, neque veritate. Sermonem arripiens uterque adversarius vocem adversario præcludere conatur.

Nor. 8. *Nam Romæ quis non?... — Ac si fas dicere...? — Sed fas.* —

Dicturus fuit Persius: *quis non Romæ est ineptus?* Inchoatam verò sententiam aut ipse non audet absolvere, aut absolvat non sinit adversarius, qui succlamat: *ac si fas dicere...?* Quibus verbis promptior subjicit Persius: *sed fas*, etc. recurret infra idem illud *quis non*: vid. not. ad versum 120.

Not. 9. *Tunc quum ad canitiem et nostrum istud vivere triste Aspexi.* — *Canities* pro senectute, quam *canities* denuntiat. — *Nostrum vivere*, græca locutio pro: nostra vita, uti infra v. 122, *hoc ridere meum;* sæpius enim res apud Persium recurrit. Multum in hoc interpretando versu variatum est, ut in loco difficili. *Canitiem* vetustissimi in scholiis grammatici explicant per veterum Romanorum *venerandam vitam*, cui opponitur *istud nostrum vivere triste*, id est, *pudenda præsentium temporum vita.* Qui sensus minime displiceat, si modo *canities* veterum Romanorum vitam possit una designare. Censet Kœnig *Canitiem et nostrum istud vivere triste*, item ac: *et nucibus facimus quæcumque relictis*, et: *quum sapimus patruos*, non ad Romanos eorumque mores pertinere, verum ad ipsum Persium ejusque vivendi genus severum ac idoneum moribus reprehendendis; quasi poeta senis induat personam, cui censoris munus conveniat. At vero in ea interpretatione *aspexi* et *nostrum vivere triste* ad eumdem referantur necesse est, quæ constructio paulo durior videtur. Tum junctura præcedentium sententiarum cum his verbis *tunc.... tunc.... ignoscite* minus habebit virium et claritatis. Denique si sententia ironice accipitur, levior et auctoris ingenio parum digna videbitur; sin vero serio, gravior et satirico generi parum accommodata; referret enim in jocis poeta gravissimam illam Solonis vocem, Pisistrato causam audaciæ in se reprehendendo interroganti respondentis: *Senectus et ingenium.* Festivior videtur et *cachinnonis* personæ habilior sententia, si hæc omnia referantur ad Romanos, si satiram scribendi necessitatem excuset Persius per satiram; sic fecit Juvenalis, in satira prima. Videamus tamen ne, Casaubono assentientes, arbitremur hic tangi vel juvenes luxu diffluentes, vel senes, *qui Curios simulant et Bacchanalia vivunt.* Meminerimus poetam hic loqui de literis, non de moribus.

Not. 10. *Et nucibus facimus quæcumque relictis.* — Ludebant *nucibus* veterum pueri. Phædr. III, 14; Catull. XIV, 183 sq.; Mart. v. 86, 1; Petron. 81. Ex quo lusu metaphora usitatior *nuces relinquere* pro, egredi pueritia. Usus quoque invaluerat, ut maritus *nuces* spargeret, dum uxorem ducebat. Hinc Virgilius, Eclog. VIII. 29 et 30.

> Mopse, novas incide faces; tibi ducitur uxor:
> Sparge, marite, *nuces*....

Not. 11. *Quum sapimus patruos: tunc.. tunc... ignoscite.* — *Nolo.* — *Patruus* proprie frater patris. *Patrui* vulgo patribus severiores in corrigendis pueris; sic in comœdia repræsentantur. Hinc metaphorice *patruus* pro censore. *Ne sis patruus mihi.* Horat. satir. II, 3, 88. Sensus: quum *patruos*, i. e. viros graves ac severos, vultu et ætate jam referimus. — *Tunc... tunc...* Sententiam, quæ periodi alteram partem conficeret, bis in-

choatam per hanc vocem *tune*, reliquit imperfectam, simili ratione ac supra, quum dixit : *nam Romæ quis non...*; et, quasi verba quæ reticuit emisisset, subjicit : *ignoscite*, h. e. veniam date. — *Nolo*; recusat monitor, quasi de sententia multitudinis, dare veniam.

Nor. 12. *Quid faciam?... Sed sum petulanti splene cachinno.* — Hac voce *nolo* quasi retractus, paululum dubitare videtur Persius, an sibi perstandum sit in consilio? mox vero confirmatus se dicit temperare non posse a risu. — *Cachinno, onis*, risor et dicax, qui in risum solutior est natura. — *Petulanti splene. Splen* græca vox est σπλήν. *Petulans splen*, i. e. quod se tenere nequit aliosque appetit. A *petendo* enim, ut ait Tullius, *petulantia* nominata est. Cuicumque affectui quasi sedem posuerant veteres; lætitiæ quidem in *splene*. Curiosius ea monent in scholiis vetustissimi interpretes.

VAR. 13. *Scribimus inclusi numeros ille, hic pede liber.* — Sic eum versum emendavit Gronovius, Diatrib. c. 24 : *Scribimus, inclusus numeris ille, hic pede liber.* Quæ correctio concinnitatis laude commendatur. Nihil est vero quod verba corrigamus, quæ et probæ sunt latinitatis, et sensum habent optimum. — Cæterum hic versus monitori potius quam Persio tribuendus videtur, sive ad verba, sive ad sententiam spectes tenoremque orationis. Etenim non ejusdem coloris, non ejusdem animi est hic versus, atque ii qui sequuntur. Alius placidus ac lenis, alii vero violentiores et aperte satirici. Adde quod *scribimus* vix bene jungeretur in ejusdem ore personæ cum : *scilicet, leges, collueris*. Orationem igitur monitoris Romanos excusantis abrumpi a Persio verisimilius est; quod et infra recurrit ad v. 30. Hanc sectionem videtur admisisse in argumento suo Kœnig., quam neque in Persii versibus secutus est, neque in notis tuetur.

Nor. 13. *Scribimus inclusi numeros ille, hic pede liber.* — Quasi velit Romanorum excusare mores, ait monitor : quid tandem est culpæ, si a turba recedamus studiis nos tradituri? quam sententiam refellit Persius per ea quæ sequuntur. — *Inclusi* a turba recedentes et abditi in secretis. Persianis enim temporibus reperta sunt secreta illa, illi recessus quibus esse continebant scriptores. Tacit. Dialog. de Orat. cap. 12 et passim. a lectulo quoque meditari solebant poetæ et oratores. Ovid. Trist. I, 1, 1; Cic. de Orat. III, 5; Plin. Epist. V, 55. — *Numeros*, i. e. versus. Ne mireris *scribere numeros* pro : scribere aut condere versus. Sæpe sæpius occurrunt apud Persium locutiones minus usitatæ apud cæteros scriptores; *pede liber*, rythmi legibus solutus; opponitur *numeris*.

Nor. 14. *Grande aliquid, quod pulmo animæ prælargus anhelet.* — Tonice denotat tumidam et inaniter inflatam orationem. Quod dicendi genus sic reprehendit Petronius, c. 1 : « rerum tumorem et sententiarum grandissimum strepitum. » Eodem sensu Horat. in Arte, 457 habet : « *sublimes versus.* » — *Quod pulmo* etc., i. e. quod pulmo et capacissimus, et largius spiritum hauriens sine anhelitu recitare non possit. — *Animæ prælargus*, græc. locut. uti *infelix studiorum* in Virg. Georg. III, 498. — *anima* pro spiritu accipitur. Ovid. Metamorph. VIII, XV, 33 :

Nutrit et ad flammas *anima* perducit anili.

— *Anhelet.* Quod cum gravi anhelitu pronuntiandum est, hoc *anhelare* dicimur. « Verba quasi *anhelata* gravius », Tull. 3, de Orat. Contra hoc vitium in recitando monet Quintil. Instit X, 5 : « Sunt qui crebro *anhelitu* et introrsum etiam clare sonante imitentur jumenta onere et jugo laborantia. Quod adfectant quoque, tanquam inventionis copia urgeantur, majorque vis eloquentiæ ingruat, quam quæ faucibus emitti possit. »

Nor. 15. *Scilicet hæc populo pexusque togaque recenti.* — Nimirum hæc recitabis olim ad populum. De illis recitationibus non solus meminit Persius in hac satira, sed æquales ejus omnes; et postea Tacit. de Orator. Dialog. cap. IX, et passim. Plin. Epist. VII, 17; Martial. III, 44; Juvenalis et I, princip. et III, 9, et VII, 82 sqq. :

> Curritur ad vocem jucundam et carmen amicæ
> Thebaïdos, lætam fecit quum Statius urbem,
> Promisitque diem. Tanta dulcedine captos
> Afficit ille animos, tantaque libidine vulgi
> Auditur!....

Pexusque togaque recenti. — *Pexus* non de capillis tantum forsitan intelligi debet, sed de totius corporis munditiis. — *Togaque recenti*, vel nova, vel a fullone recenter accepta. Recentem enim et a fullone candentem Romani assumebant die quovis festo, sive publica sive privata solemnitate.

Nor. 16. *Et natalitia tandem cum sardonyche albus.* — *Natalitia*, vel qua *natali* die solum utebatur, vel quam *natali* die dono acceperat. Juvenal. Sat. IX, v. 50; Plaut. Curc. v. 2, 56. — *Sardonyche* genus *onychis*, *onyx sardus*. Plin. Hist. Nat. lib. XXXVII, cap. 23. Hæc gemma in signaculis primum locum obtinebat. Juvenal. Satir. XIII, 138 sqq. Cæterum gemma pro annulo posita est. De gemmarum aut annulorum usu vid. Juvenal. I, 27 sqq. VI, 379 sqq. Petron. 55; Martial. V, 11, 1; Quintil. Inst. XI, 3, de cultu oratoris : « Manus non impleatur annulis, præcipue medios articulos non transeuntibus. » Mart. II, 29 :

> Cujus et hinc lucet *sardonychata* manus.

— *Tandem* refer ad longam recitationis exspectationem, potius quam eo quod qui ornantur postremo loco annulos sumunt (quæ interpretatio est Casauboni), vel eo quod de isto delicatulo recitatore idem dicendum est, ac Terentius de mulierculis : « dum comuntur, annus est. » — *Albus*, vel a veste recenti, vel a totius corporis munditiis, ut apud Horat. Sat. I, 2, 61 :

> .... festos
> *Albati* celebrare dies....

Adde quod veste candida prodibant, qui populi gratiam aucupabantur; unde etiam *Candidati* dicti sunt. Minus probabilis eorum interpretatio, quibus *albus* idem est ac pallidus vel labore vel metu. Neutrum enim homini ridiculo convenit, cujus hic adumbratur imago.

Var. 17. *Sede leges celsa.* — Habent et *leget* quidam MSS. codd. *legens* ferme omnes. Atque postremam hanc lectionem admisit Salmasius ad Solin. p. 85; neque profecto inepta est, sed minus simplex et commoda, quam ea quam admisimus. Subaudiretur enim necesse foret *recitabis* ad ea verba : *scilicet hæc populo;* et quasi

nasmo oratio laboraret, si rursus recurreret *legens*. Præterea *collueris*, quod quitur, quasi monet legi oportere *leges*. Et quidem habent nonnulli codices *uerit*. In his ambagibus eligendum est quod maxime sit probabile; nam certum sperandum est.

Not. 17. *Sede leges celsa*. — Id est, ex cathedra unde conspici queas omni circumfusa multitudine. Indicat recitantis ostentationem. Simi- recitationes sic irridet Juvenalis, Sat. VII, v. 39:

....At si dulcedine famæ
Succensus *recites*, Maculonus commodat ædes;
Ac longe ferrata domus servire jubetur,
In qua sollicitas imitatur janua portas.
Scit dare libertos extrema in parte sedentes
Ordinis, et magnas comitum disponere voces.
Nemo dabit regum, quanti subsellia constent,
Et quæ conducto pendent anabathra tigillo,
Quæque reportandis posita est orchestra cathedris.

ar. 18. *Mobile collueris*. — Habent et MSS. codices *colluerit*, de quo jam supra uimus. Quæ persona non nisi cum *legens* vel *leget* admitti potest. Cæterum æ latinitatis est tertia persona pro secunda, ut probat vers. 85, infra.

lot. 17, 18. *Liquido quum plasmate guttur Mobile collueris*. — *Li- lo plasmate*; unguenti genus aut sorbitionis, quo poetæ et oratores, auces illinerent mollirentque ad vocem, uti solebant. Apud Græcos que res erat usitata, uti hæc verba testantur: φωνὴν πλάττειν, φωνῆς ης, πλάσματα, remedia ad vocem effingendam. Sic de illa consuetu- : memorat Quintil. « Sit in primis lectio virilis, et cum suavitate qua- ı gravis.... non tamen in canticum dissoluta, nec *plasmate*, ut nunc erisque fit, effeminata. » — *Guttur mobile*, quod efficitur ad omne ge- vocis flexibile. — *Collueris*, gargarizando laveris.

ot. 18. *Patranti fractus ocello*; oculis fractis et in libidinem præ lio resolutis, quales esse solent rem veneream exercentium. — *Ocello* temere pro oculo. Semiclausos enim tenent oculos, qui gratiores in endo videri volunt. Horat. I, od. 36, 17, *oculos putres*. Juvenal, V, *oculosque in fine trementes*. Sic rhetoris imaginem adumbravit Lu- ıs, quæ recitatoris Persiani non est absimilis: πάνσοφόν τινα καὶ πάγ- ἄνδρα (εὑρήσεις) διασεσαλευμένον τὸ βάδισμα, ἐπικεκλασμένον τὸν αὐχένα, κῆον τὸ βλέμμα, μελιχρὸν τὸ φώνημα, μύρων ἀποπνέοντα, etc.

rt. 19. *Hic neque more probo videas, neque voce serena*. — *Hic*, in a recitatione; elegantius quam *tum*. — *Neque more probo*. Vid. :. Epist. 52; Plutarch. de Officio audiendi; Plin. Epist. II, 14, 12. *que voce serena*. Sicuti lector, franguntur et ipsi voluptate audien- remulosque edunt gannitus.

r. 20. *Ingentes trepidare Titos, quum carmina lumbum Intrant*. — *tes Titos*, i. e. Romanos. Præclaram appellationem curiosius esse quæ- , quum de puerili et inhonesta levitate agatur, nemo non videt. Sic , v. 87, *an, Romule, ceves*. Populum Romanum irridens per vocabula sæpius designat Persius honestissima: *Romulidæ*, *Romulus*, *Titus*,

Marcus, etc. quæ ducta sunt a regibus, aut principibus viris. — *Trepidare*, gestire, subsilire lætitia, lascivius efferri. — *Quum carmina lumbum intrant. Lumbus* est proprie ea pars dorsi, quæ sedes dicitur libidinis. Sic Juvenalis, Satir. VI, 314 : *Quum tibi tibia* lumbos *incitat.*

Not. 21. *Et tremulo scalpuntur ubi intima versu.* — *Tremulo versu*, id est, *versu*, qui tremula voce recitatur; unde nascitur in audientium animis voluptas quædam titillans, contraria gravitati et constantiæ, ut ait Tullius. Horat. IV, od. 13, 5:

Et cantu *tremulo* pota Cupidinem
Lentum sollicitas...

— *Intima*, sunt αἱ ὀρέξεις, pars animi qua concupiscimus et quæ voluptate alitur, ut ait idem Tullius; vel potius ipsæ corporis partes, quæ concupiscentiæ serviunt. — *Scalpuntur*, quasi raduntur, obscœna notione; ut apud græcos ξύειν et κνήθειν. Juvenal, VI, 195; XI, 162.

Not. 22. *Tun', vetule, auriculis alienis colligis escas?* — Referenda hæc non ad monitorem qui Persium interpellavit, sed ad recitatorem istum qui describitur. — *Tun'* pro *tu-ne*, sicuti supra *min'* pro *mihi-ne*. — *Vetule*, i. e. stulte, eoque stultior quod in stultitia consenuisti; tanguntur hic fortasse quidam famosi Romani, quos in senectute nugari non pudebat, ideoque jam dixit: *Tunc quum ad canitiem*, etc. Attamen *vetulus* in apostrophe sæpius accipitur quasi delirus senex et turpis, aut simpliciter quasi stolidus et nequam, vix habita ætatis ratione. Plaut. Epid. II, 2, 4. Aristoph. Nub. 789. — *Auriculis alienis escas colligere*, facete dictum pro : alienis auribus scribendo vel recitando inservire. Tritissimum est apud Græcos ἐναχῦσθαι λόγοις, et ἐνωχίας καὶ ἐστιάσεις ἀκοῶν. Ælian. V. H., III, 1 : καὶ ἑστιῶσιν οὐ μᾶλλα τὰς ἀκοάς, i. e. et mire vescuntur auditionibus.

Var. 23. *Quibus et dicas cute perditus : ohe.* — Scribitur in MMS. *hohe* et *hoe* et *ohe*. Postremam prætuli lectionem, quæ videtur fuisse usitatior. Nullam vero harum admiserunt quidam editores; sed posuerunt *evhe*, aut *evæ*, bacchantium vocem, quam huic loco minime convenientem vix interpretari potuerunt. In quem errorem forsan versu Horatii inducti sunt, in quo vocis *ohe* prior corripitur :

Importunus amat laudari? Donec *Ohe* jam...

Sat. II, 5, 96. Produci vero quoque potest, ut apparet per hunc Martialis locum, lib. IV, 90 : Ohe jam satis, *ohe* libelle.

Not. 23. *Auriculis quibus et dicas cute perditus : ohe.* — *Auriculis;* hoc iteratum auget rei indignitatem. — *Cute perditus*, proprie vitium corporis hæc verba indicant, quæ vel de scabioso possumus interpretari, vel de eo qui aqua intercute laboret. Transferuntur autem hic ad animi vitium, quo erubescere non possit recitator impudentissimus. Sic Lucilius : *aquam te credo in animo habere intercutem;* sic opinio sui vocatur *hydrops*. Sid. Apollin. lib. IX, ad Faustum. — *Ohe*, interjectio est satietatem usque ad fastidium designans. Horat. II, Sat., 5, 96 :

Importunus amat laudari? donec, *Ohe!* jam
Ad cælum manibus sublatis dixerit, urge; et
Crescentem tumidis infla sermonibus utrem.

VAR. 24. *Quo didicisse, nisi hoc fermentum et quæ semel intus.* — Pro *quo* legitur *quod* et *quid*. *Quod* latinum non foret in interrogatione; *quid* lectio non inepta: significabit enim: *quid est didicisse?* Prætuli *quo*, frequentius in MMS. recurrens; tum quia *quid didicisse* minus est gratum auribus. *Quo*, pro quorsum, cui bono, quem ad finem sæpius occurrit apud laudatissimos. Horat. Epist. I, 5, 12:

Quo mihi fortunas, si non conceditur uti?

Cic. Ep. ad Fab. Gall. « Martis vero signum *quo* mihi pacis auctori? » — *Semel* habent Codd. laudatissimi. Cur *simul* esse admittendum censere videatur Casaub. non video.

NOT. 24, 25. *Quo didicisse, nisi hoc fermentum et quæ semel intus Innata est, rupto jecore exierit caprificus.* — Objectio adversarii, eodem ferme sensu quo Horat. IV, Od. 9, 29:

Paulum sepultæ distat inertiæ
Celata virtus...

Sententiam vero similitudinibus expressit Persius satiricis, quibus illa recitandi cupido et quasi necessitas irrideatur. Doctrinam illam, quæ aliis se jactare gestit, vocat modo *fermentum*, quod massam cui admixtum est, tumidam reddit ac tandem disrumpit, modo *caprificum*, sterilem ficum, quæ muris innascitur illorumque compagines solet laxare. Mart. X, 2, 9:

Marmora Messalæ findit *caprificus*.

Juven. Sat. V, 144:

...Ad quæ
Discutienda valent sterilis mala robora *ficus*.

— *Rupto jecore. Jecur* est sanguinis officina, sedes omnium affectuum, præcipue libidinis, quæ hujusmodi carmina, de quibus h. l. sermo est, dictat. Carminibus *jecur rumpitur* foras exeuntibus per recitationem, quemadmodum muri compages per *caprificum*. Cf. Horat. I, Od. 25, 18 et sqq.

NOT. 26, 27. *En pallor seniumque! o mores! usque adeone Scire tuum nihil est, nisi te scire hoc sciat alter?* — Hæc verba *en pallor seniumque* tribuunt monitori nonnulli editores, e quibus unus est Kœnig. At sensus veritatis plus habere videtur, si versus omnis tribuitur Persio. Sic interpretati sunt in scholiis et glossis grammaticorum vetustissimi. — *En pallor seniumque;* hoc est, quod palles et consenescis. Senec. Ep. XXXVIII: « O pueriles ineptias! In hoc supercilia subduximus? in hoc barbam demisimus? hoc est quod tristes doceamus et *pallidi.* » — *O mores!* exclamatione solemni utitur Persius, perversam cogitandi rationem incusans. — *Scire tuum* pro scientia tua. Sic superius, *vivere nostrum*. Notum est proverbium græcum: Οὐδὲν γὰρ ὄφελος ἀπορρήτου φανῆ καὶ ἀφανοῦς τῆς μουσικῆς. Lucian. Harmon. tom. I, p. 852, ed. Reiz. — Vetus glossa hoc habet: « Hæc periodus apud Lucillium posita est: *Ut me scire volo mi, mi conscius sum, ne damnum faciam. Scire hoc se nescit nisi alios id scire scierit.* » Quem locum sic restituit integrum Theod. Marcil.:

...Id me
Nolo scire, mihi cujus sim conscius unus,
Ne damnum faciam: scire est nescire, nisi id me
Scire alius sciens...

hæc in commentario quem edidit Parmæ anno 1622 Asterius Manlius leguntur, præterea nusquam.

Not. 28. *At pulchrum est digito monstrari, et dicier:* hic est! — Tuetur se Persii adversarius communi amore laudis. — *Monstrari digito*, græce δακτυλοδεικτεῖσθαι. Quæ locutio apud nos dedecus designat, eadem apud antiquos laudes et decus. Plin. Epist. XXI, lib. 6, loquens de Virginio Romano, dicit eum, *operum varietate monstrabilem.* — *Et dicier:* hic est. Frequentior illa apud latinos locutio: *hic ille est.* Hanc pro signo famæ posuit Persius. Οὗτος ἐκεῖνος Lucian. Somn. tom. I, cap. 2, ed. Reiz. Conf. Cicer. Tuscul. lib. V.

Var. 29. *Ten' cirratorum centum dictata fuisse Pro nihilo pendas?* — Utrius ea verba sint, monitorisne, an Persii, non satis liquet per ipsam orationem; neque ad hoc quidquam est lucis in MMS. codicibus. Cæterum res haud ita magni momenti est; cujuscumque enim ea verba sint, satirica profecto sunt. Receptam cæteris editoribus lectionem admisi, usui morem gerens; altera vero minime mihi displiceat.

Not. 29, 30. *Ten' cirratorum centum dictata fuisse Pro nihilo pendas?* — *Ten'* pro *te-ne.* Ejusmodi elisio jam non semel superius posita est. — *Cirratorum*, puerorum nobilium, a *cirris* quos calamistro studiosius fingebant magnorum domorum adolescentuli. Martial. Epig. IX, 30, 7. « *Cirrata* caterva magistri. » — *Dictata fuisse*, lectionibus in ludo dictandis inservisse. Quæ res non nisi probatissimis auctoribus contingere, ideoque honori esse debuit. Itaque in *scholis dictari* aut legi, interdum eamdem vim habet ac inter optimos censeri. Hinc dixit, *pro nihilo pendas.* Honorem vero illum vel corruptum ludi magistrorum judicio, vel per se obscurum fastidit jam ante Persium Horatius, Satir. X, 73, lib. I:

> ... Neque te ut miretur turba labores,
> Contentus paucis lectoribus. An tua demens
> Vilibus in ludis *dictari* carmina malis?

Monent ad hunc Persii locum interpretes, hic tangi occulte Neronem, cujus carmina, quia imperabat, in scholis celebrabantur. At vero neque hoc exstitisse satis constat; neque, ut exstitisse constaret, idcirco Neronem potius quam alium quemlibet tangi crediderim. In plurimos sententia videtur fuisse jactata, uti est apud Horatium.

Not. 30—40. Horum omnium versuum verba ab his: *Ecce inter....* esse Persii, non monitoris, patet ex ipso sensu qui enuntiatur et ex ea ratione qua enuntiatur, tum ex versu 40. Hoc enim versu se locutum esse in præcedentibus docet poeta, dum adversarii objectionem prævertit.

Not. 30, 31. *Ecce inter pocula quærunt Romulidæ saturi quid dia poemata narrent — Ecce;* hac voce utitur non semel Persius ut vividiore locutionis forma et breviore transitu. Vid. infra, v. 69 hujus satir. « *Ecce* modo heroas sensus... » Vid. etiam alteram satir. 31. « *Ecce* avia, aut metuens divum matertera... » — *Inter pocula*, solemnis apud Latinos locutio pro inter epulandum, vel potius pro sub finem convivii, quum, jam remotis mensis, vino et confabulationibus indulgerent. — *Romulidæ*, cognomen Romanorum honestius. Virg. in splendido epici carminis loco, Æneid. 8, 638:

...Subitoque novum consurgere bellum
Romulidis...

Hic vero ea vox eamdem vim habet satiricam, quam superius, v. 20 : *ingentes Titos*. Componuntur consulto *Romulidæ* et *saturi* per jocum. — *Quid dia poemata narrent*. Elegantior locutio pro, recitationem rogant, atque in ore *saturorum* comica. *Dia* pro diva, diva pro præstantissima. — Mos erat apud veteres, nostro non omnino absimilis, referendi aliquid in convivio depromptum ex illustrissimis poetis auctoribusve aliis, unde occasio sumeretur disserendi, insulse sæpius et inepte, ut fit ab hominibus cibo et vino probe repletis. Petron. 55 et 59; Juvenal. VI, 433 et sqq.; XI, 177 et sqq.; Plin. Epist. I, 15, 2; IX, 36, 4.

VAR 32. *Cui circum humeros hyacinthina læna est.* — Habet *circa* 8072; *Jacinthina læna* cæteri ferme omnes. *Circum* maluimus, quod est magis usitatum in versibus leniusque hoc loco ad elisionem. *Hyacinthina læna* analogiæ græcæ magis est consentaneum. Scribitur enim in græco Ταχύνθινος et χλαίνη. Conjiciunt quidam editores legendum *Janthina*, sese tuentes hoc loco Plinii Major. lib. XXI, c. 6. « Solæque (cujusdam generis violæ) græco nomine a cæteris discernuntur, appellatæ *Ja*, ut ab iis *Janthina vestis*. » Quæ correctio necessaria foret, si neque vox *hyacinthina* usurparetur, ut vox *janthina*, neque in edendo *hyacinthina* MMS. consentirent.

NOT. 32. *Hic aliquis, cui circum humeros hyacinthina læna est.* — *Hic* pro tum sæpe sæpius et in Persio et in aliis recurrit. — *Læna* proprie vestis græca amplior, χλαίνη, quam supra cæteras induebant. Apud Romanos lacernæ genus, quæ et militiæ et domi vel in sacris vel in cœnis gestabatur, atque pro usu vario forsitan variabat. Strabo, lib. IV, de habitu Gallorum « lana quidem aspera, cæterum oblongis villis, unde et hirsuta texunt sagula, quæ *lænæ* vocantur. » Cicero, in Bruto, c. XIV « M. Popilium *dicit*, quum sacrificium publicum cum *læna* faceret, quod erat Flamen Carmentalis, ut erat *læna* amictus, ita venisse in concionem. » Hic notandum verisimile esse ex ejus vestis usu *Lænates*, cives romanos, traxisse nomen. Martial. Epigr. in Luscum, furacissimum convivam :

Et tectus *lænis* sæpe duabus abit.

— *Hyacinthina*, colore *hyacinthino*, id est, ferrugineo. Flos, ut placet poetis, dictus est a cruore *hyacinthi*. Ovid. Metam. lib. X, fab. 5. Quis vero fuerit ille flos, haud ita constat. Vid. Floram Virgilio adnexam in hac LATIN. CLASSIC. edit. ad voc. *Hyacinthum*. — *Hyacinthina læna* vestis est pretiosior, et quæ nobilem divitemve aliquem designet. Cæterum *aliquem* illum esse Neronem ipsum admodum infirma tuentur argumenta. Sic enim conjiciunt interpretes ex hac veste pretiosa, atque inde quod *exiguæ et fuscæ vocis* fuisse Nero dicitur apud Suetonium; quod quidem vitium perperam exprimeret *balba de nare locutus*.

NOT. 33. *Rancidulum quiddam balba de nare locutus.* — *Rancidulum*, eamdem vim habet ac putidum, quod interdum ponitur pro inepto ac sordido; metaphorice utrumque a carnibus ad corruptionem vergentibus. — *Balba de nare*. Durior hæc junctura pronuntiationem *balbam* simul et per *nares* emissam designat reprehenditque. Horat. Sat. II, 3, 274.

Quid? quum *balba* feris annoso verba palato.

— *Locutus quiddam.* Non ea ego verba cæteraque ejus versus ad ipsam recitationem referam, sed ad præfatiunculæ genus quoddam insulsum, quæ recitationi præmittitur. Scilicet verbum *loqui* recitationem nullo modo designare potest, sed sermonem; præterea *rancidulum quiddam* minime convenit cum his verbis, *dia poemata;* denique aliud est *balba de nare loqui*, aliud *eliquare*, id est, liquida et delicatula voce recitare. Solent qui aliquam suam artem coram cœtu edere rogantur, haud ita generose et aperte se ac sua commendare, et sese excusantes balbutire, vel e naso loqui, vel aliquid minus gratum admittere præ metu mixto cum superbia. Hæc qui facit recitationem rogatus, sive Nero sit, sive alius quispiam, eum irridet poeta.

Not. 34. *Phyllidas, hypsipylas vatum et plorabile si quid.* — Elegeïas, delicatulas compositiones et lacrymosas designare voluit, quas effeminatus ille recitator decantat, et leves convivæ admirantur. Vi comica non eget locus. — *Phyllidas, hypsipylas. Phyllis*, Sithonis filia Thracumque regina, a Demophoonte, Thesei filio; *hypsipyle*, Thoantis Lemniorum regis, ab Jasone Argonauta deserta fuit. Tritum utraque vatibus argumentum. Exstant etiam nunc inter Ovidii Heroïdas duæ (II et VI) inscriptæ, prior *Phyllidis*, posterior *hypsipyles* nomine; ad quas forsitan respicit elegeïas versus Persii. — *Plorabile si quid*, si quid elegiacum, heroïdicum ejus generis; idem ac si dixisset: *aut alias quaslibet elegeïas.*

Not. 35. *Eliquat, et tenero supplantat verba palato.* — Vividior locutio pro liquida et fracta voce recitat. — *Eliquat*, quasi guttatim fundit, gallice: *distille.* — *Supplantat verba. Supplantare* proprie dejicere planta supposita. Hic metaphorice, *supplantat* verbum altero supposito verbo. Verba enim nondum efformata decurtat et quasi dejicit. — *Tenero palato*, delicatula pronuntiatione, molli voce. Vid. Ovid. Art. Am. II, 283 sqq. III, 293 sqq. Martial. X, 65, 10 sqq.

Not. 36. *Assensere viri.* — Ironice utrumque verbum; delicatulos enim et leves et saturos vocat *viros;* et illud *assensere* grave aliquid sonans et in gravibus rebus plerumque adhibitum (Ovid. Metam. IX, 259; XIV, 592; Virg. Æn. II, 130) h. l. in re futili usurpatum est felicissime.

Var. 36. *Nunc non cinis ille poetæ felix?* — Pro *nunc non* habet per correctionem 8272: *Nunc nunc cinis ille poetæ felix!* Quæ lectio probanda certe et ipsa est. Altera vero æque laudabilis plus habet auctoritatis, quæ recurrat in cæteris meis MMS. — Habent 8070 et 8072. *Nunc non* sic transposita: *non nunc;* quod paulo durius videtur.

Not. 36. *Nunc non cinis ille poetæ felix?* — Nonne lætatur tali laudatione poeta vel in tumulo?

Not. 37. *Non levior cippus nunc imprimit ossa.* — *Cippus*, brevior columna, aut lapis in tumulo positus, aut ipsa terra tumulo aggerata. Erat apud antiquos res optata et inter religiones recepta, si mortui cinis minus gravi tellure premeretur. Unde hoc votum: *sit tibi terra levis!* Quod etiam sepulchris committebant, his incisis litteris: S. T. T. L. Unde

secratio : *sit tibi terra gravis!* Senec. Hippol. 1280 : *Urgeat ossa lapis.* ecurruntque passim apud omnes poetas ejus modi verba. Virg. Ecl. , 33; Ovid. Trist. III, 3, 76. Vid. Plin. major. de terra.

Not. 38. *Laudant convivæ.* — Egregia et callida, ut ait Horatius, nctura. Innuitur enim ingeniose qualis ea sit laus, quæ proficiscitur hominibus pransis et potis, quos paverit ille ipse nobilis recitator.

VAR. 39. *Nunc non e tumulo fortunataque favilla.* — « Hic versus procul dubio, Kœnig. ex interpretamento τοὺ *manibus* prioris versus concinnatus et intrusus .» Ingeniosa quidem et vera forsitan conjectura. Fieri tamen potuit ut auctor olita brevitate hic aliquid remitteret, quo fusius exprimeret, quam multi undeque flores innascantur, primum e manibus, tum e tumulo atque ex ipsa calida illa. Habent hunc versum MMS. omnino omnes, neque eorum quisquam monet, in ulla quidem scholia, subreptitium hunc esse versum.

Not. 38, 39, 40. *Nunc non e manibus illis, Nunc non e tumulo fortutaque favilla Nascentur violæ?* — Veteres Græci et Latini, quorum feliatem plus quam humanam volebant videri, dicebant de vivis, ex eorum tigiis flores nasci, vel terram sponte sua in illorum honorem flores oducere : de mortuis, ex ipsorum tumulis suave olentes omnis generis res erumpere. Quæ sentiendi ratio e veteri more orta videtur asperndi floribus honoris causa et favoris, præcipue in ludis, uti testantur lti Pindareorum carminum loci; Pyth. 9 sub finem, et alibi passim. nc vox etiam facta est φυλλοβολεῖν. Hinc illud Epigramma in Analect. unck. t. III, p. 303 :

Ἄνθεα πολλὰ γένοιτο νεοδμήτῳ ἐπὶ τύμβῳ·
Μὴ βάτος αὐχμηρὴ, μὴ κακὸν αἰγίπυρον,
Ἀλλ' ἴα, καὶ σάμψυχα, καὶ ὑδατίνη νάρκισσος,
Οὐίβιε, καὶ περί σου παντὰ γένοιτο ῥόδα.

nc illud Virgilianum, Eclog. IV, 23 :

Ipsa tibi blandos fundent cunabula flores.

ic Juvenal. Sat. VII, vs. 207 :

Dii majorum umbris tenuem et sine pondere terram
Spirantesque crocos et in urna perpetuum ver....

ic noster in secunda, v. 38.

...Quidquid calcaverit, hic rosa fiat.

ic alia innumera in græcis latinisve scriptoribus. — Hæc omnia *manes, ulus, favilla*, pro reliquiis per periphrasim et amplificationem dicta t. *Manes* proprie sunt animæ, umbræ defunctorum. *Favilla*, cinis idus qui e busto collabitur. Virgil. Æn. VI, 226.

Postquam collapsi cineres, et flamma quievit,
Relliquias vino et bibulam lavere *favillam*.

læ pro omnis generis floribus.

Not. 40, 41. *Rides, ait, et nimis uncis Naribus indulges.* — Hic diaus videtur intercidere. *Ait* enim constanter habent membranæ, non : ita ut de adversario loquatur, non jam ad adversarium. Sic fecit sus ad vers. 44; qui versus non sinit legi *ait* intra parenthesin, et

quasi citra dialogum poni. — *Uncis naribus* pro risui, subsannationi, satiræ. Nares soluto risu contrahuntur et incurvantur; unde *suspendere naso adunco* et *indulgere uncis naribus* pro ridere, deridere.

Not. 41, 42. *An erit qui velle recuset Os populi meruisse.* — *Velle recuset* fortius veriusque quam nolit. — *Os populi*, famam et laudes hominum. Sic ferme, Virg. Georg. III, 9 : « *Virum* volitare *per ora.* » Sic græce, πᾶσι διὰ στόματος ἶναι.

Not. 42. *Et cedro digna locutus.* — *Cedro*, pro oleo *cedrino* positum; et *cedro digna* sunt digna quæ serventur, digna immortalitate. Vitruv. II, 9. « Ex *cedro* oleum, quod *cedrinum* dicitur, nascitur, quo reliquæ res, quum sunt unctæ, ut etiam libri, a tineis et a carie non læduntur. » Hor. in Arte, 332 sqq.

... Speramus carmina fingi
Posse linenda *cedro*, et lævi servanda cupresso ?

Unde liquet non oleum tantum, sed et capsas ex iis lignis fuisse factas, in quibus libris asservarentur.

Not. 43. *Linquere nec scombros metuentia carmina, nec thus.* — *Scomber*, piscis marinus. Plin. maj. H. N. XXXI, s. 43. — *Thus*, quo ad sacra et ad alias res utebantur. Mali aut vetusti libri ad eos recidebant qui eas merces vendebant, quemadmodum etiam nunc fieri solet. Catull. XCV, 8; Martial. III, 2, 3 sqq; IV, 87, 8.

Not. 44, 69. Jam, remota ironia, Noster mentem suam aperit; se laudis quidem studium non improbare, sed negare carmina ad aures hominum corruptas esse exigenda, et laudem, quæ sit epulis aliisve munusculis coempta, vanam esse. Vera virtus est esse bonum, non videri. Æqualis ejus Seneca Epist. 102, observat nihil æque eloquentiam cæteraque id genus studia corrupisse, quam populi assensum.

Not. 44. *Quisquis es, o modo quem ex adverso dicere feci.* — Hi sunt versus, quibus *Kœnig* aliique editores offenduntur, ut indignis Persio et ad suturam appositis. Longe aliter vero non possum non sentire, si modo ad eam dialogi formam reflexero oculos, quam Persius consulto instituit. Quæ forma ad proponendas objectiones commodior vel instituitur, vel omittitur auctori, prout necesse est. Hic omitti monet Persius : sed sæpesæpius an omiserit, aut quinam loquatur monere parum curat : hinc nos circa personas dialogique vices operamur interpretes ac desudamus.

Not. 45. *Non ego, quum scribo, si forte quid aptius exit.* — *Exit*, scilicet ex ingenio. Vox ab arte filigna forte translata, (Horat. A. p. v. 21) videtur ad ingenii opera et compositionem fuisse consecrata. Quint. Inst. Orat. lib. XII, ubi de Attico genere ac de Demosthene loquitur. « Et *si quid exierit* numeris *aptius* (fortasse non possit) *sed tamen si quid exierit*, non erit Atticum ? »

Var. 46. (*Quando hæc rara avis est*) *si quid tamen aptius exit.* — Non habet

hunc versum codex Bongarsii, teste Casaubono; habent omnes quos vidimus, ac per se laudabilis est.

Not. 46. (*Quando hæc rara avis est,*) *si quid tamen aptius exit.* — Modestiæ voces. — *Rara avis*, usitata locutio, ad designandum id quod raro contigit videre. Juvenal. VI, 164;

Rara avis in terris, nigroque simillima cycno!

Not. 47. *Laudari metuam; neque enim mihi cornea fibra est.* — *Metuam* fortius quam recusem. — *Cornea fibra*, i. e. sensus obtusus, stupidus, qui nulla re moveatur. — *Fibram* hic per *cor* omnes ferme interpretantur; cur ita faciant non video. *Fibræ* enim sunt sensus instrumenta in omnibus corporis partibus æque dispersa. Nisi forte sic explicuerint ex hoc versu, V, 29;

Quod latet arcana non enarrabile *fibra*.

In quo *fibra* ponitur pro corde. — *Cornea;* videtur ea e cornu ducta metaphora apud antiquos fuisse usitatior. Catullus : « corpora sicciora *cornu*. » Dio Chrysost. κερατοποιεῖν τὰ ὄμματα. — Homer.

Ὀφθαλμοὶ δ' ὥστε κέρα ἔστασαν, ἢὲ σίδηρος.

Quin etiam in sermone *corneos* Romæ vocabant τοὺς ἀπαθεῖς et humanis affectibus carentes.

Not. 48. *Sed recti finemque extremumque esse recuso.* — *Finis recti*, limites intra quos rectum continetur; meta ad quam tendere debemus. Sic in græco τέλος. — *Extremum* omnino græcum τὸ ἔσχατον, *extremus* terminus. Hæc omnia a stadio vel curriculo videntur translata.

Not. 49. Euge *tuum et* belle; *nam* belle *hoc excute totum*. — Euge et belle, voces laudantium pro laudibus ipsis. Sic Horat. in Arte 428 sqq. — *Excute totum*, explora diligentius. *Excutere* vulgo in hunc sensum usurpatur.

Var. 50. *Non hic est Ilias Attî.* — Habent *Acci* codd. 8070 et 8072. — Utrum eligendum sit haud facile dicernas, quum nihil de malo isto poeta sciamus quam per ipsa hæc Persii verba scholiaque interpretum veterum, quibus dicitur idem fuisse *Attius*, ac ille supra memoratus *Labeo*, v. 4.

Not. 50. *Quid non intus habet? Non hic est Ilias Attî Ebria veratro?* — *Intus* convenit cum *excute;* sic enim metaphora continuatur. — *Ilias Attî.* Transtulisse Iliadem Homeri videtur iste *Attius*, et quidem ineptissime. Ejus versum hunc memorant scholiastæ : « Crudum manduces Priamum Priamique pisinnos » qui videtur fictus ad exemplum nequitiæ. — *Ebria veratro. Veratrum* est nigrum helleborum. Porro scimus ex H. N. Plin. maj. XXV, 21, nigrum helleborum, candido vehementius, in Helicone monte provenisse; et plerosque eo uti solitos esse, qui studerent, quo *acrius providerent.* — *Ebria* igitur helleboro *Ilias*, h. e. composita a poeta ebrio per helleborum. Sic Seneca Epist. 19: sermo *ebrius.*

Not. 51. *Non si qua elegidia crudi Dictarunt proceres?* — *Elegidia* per contemptum sic vocantur elegiaca carmina minutæque compositiones, quibus ea ætate gaudebant. — *Crudi proceres*, nobiles gulæ dediti,

qui scribunt, dum digerunt. — *Dictarunt.* Romani interdum non ipsi scribebant, sed *dictabant* versus servo, qui scriberet. Horat: « centum *dictabat versus.* »

Not. 52, 53. *Non quidquid denique lectis Scribitur in citreis.* — *Citrei lecti*, id est, e ligno citri, arboris in Africa nascentis, odorato et pretiosissimo. Designantur igitur h. l. carmina divitum. De illis lectulis vid. Plin. H. N. XIII, 15; Martial. X, 80, 2; Casaub. ad Sueton. Aug. 78, et Burmann. ad Propert. III, 4, 14.

Not. 53. *Calidum scis ponere sumen.* — *Ponere* apponere epulandum. — *Sumen;* proprie mammæ porcæ post recentem partum sectæ et sale conditæ; exquisitum ferculum. — *Calidum*, gratiores enim cibi, si ferveant. — Scilicet recitaturi divites epulis opiparis excipiebant suos auditores: Horat. Epist. I, 19, 37 sqq. in Arte 422 sqq. Martial. II, 27; III; 50; VI, 48; Petron. 10 et 137; Lucian. in Merced. cond. tom. I, p. 694 ed. Reiz. — Juvenal. XIII, 31 sqq. Plin. Epist. II, 14, 4 sqq.

Not. 54. *Scis comitem horridulum trita donare lacerna.* — *Comitem*, unum e comitibus, ex iis qui tibi adhærent. Horat. Epist. I, 19, 37. — *Lacerna* vestimentum, quod primo militiæ, mox etiam domi gestaverunt, quodque supra cæteras vestes injiciebatur. — *Trita*, ad muneris vilitatem spectat. Martial. X, 14, 6.

Not. 55. *Et verum, inquis, amo! verum mihi dicite de me!* — Plaut. Mostell. act. I, scen. 3. *Ego verum amo, verum volo mihi dici; mendacem odi.*

Not. 56. Hunc et sex sequentes versus parenthesi esse includendos monet vetus scholiastes, et jure; namque 63 ejusdem est sensus, et quasi ejusdem vocis ac 55. Tenere vero risum non potuit Persius, et, ante quam absolverentur verba nobilis comites de se interrogantis, interposuit irrisorias responsiones.

Not. 56, 57. *Qui pote? Vis dicam? nugaris, quum tibi, calve, Pinguis aqualiculus propenso sesquipede exstet!* — *Qui pote;* qui fieri potest? *Pote* vel potis, idem ac possibile. Quo sensu accipienda sint hæc verba: *vis dicam? nugaris,* non satis liquet. Duo sunt enim æque laudandi. 1° Vis-ne ego tibi dicam verum, quando isti coempti tuis muneribus comites non possunt? Dicam equidem: tu, meditaris leves nugas et carmina, quum tam obeso ventre vivas! 2°. Tu velis ego tibi dicam verum? Minime vis, quum tibi ita venter promineat, et qui sis ipse possis noscere. — Placet mihi magis prior interpretatio; sed vox *nugaris* ad utrumque sensum æque valet; namque *nugaris* æque significat nugari versibus; aut jocari, non serio loqui. — *Calve;* probrosa vox quæ ad libidinosos, aut stolidos jactaretur. Sic superius dixit *vetule* et *Canitiem.* — *Aqualiculus* diminut. ab *aquali* et *aqualico;* proprie vas est, in quo bibunt porci; significat etiam imam ventris partem. Vid. Aristotel. lib. I, cap. 12, Hist. Anim. Sumitur et pro stomacho, vel pro toto ventre. Senec. Epist. XC. « Cibus, quum pervenit in ventrem, *aqualiculi* fervore concoquitur,

tum demum corpori accedit. » — *Propenso sesquipede. Sesquipes*, pes ac semis; unde et *sesquipedalis*. Dicitur vulgo *protentus in pedes*. Virg. Georg. I, 171 : « Pedes *protentus* in octo. » Dicit autem Persius *pedem protendi*, vel *protensum* esse. — *Exstet*, promineat.

Var. 58. *O Jane, a tergo quem nulla ciconia pinsit.* — Habet 8055 *pinxit*, quod quidem non ineptum; erit enim pro *depinxit*. *Pensit* habent cæteri MMS. Codd. editionesque omnes. Quanquam ambigitur utrum legendum sit *Pinsit* an *Pinsat*, an *Pisit*, an *Pisat*. In XVIII, 23, Plinii Major. meliores quidem libri habent : « *Pisente* pilo præferrato. » At in 7. Vitruvii Instit. leges : « Rudus *pinsatione* solidare » item « rudus *pinsum*. »

Not. 58. *O Jane, a tergo quem nulla ciconia pinsit.* — *Janus* ex historica persona mythica factus est, prudentiam repræsentans, ut apud Græcos Prometheus; perpetuumque fere epitheton ejus *biceps*, *bifrons*, profectum ex antiqua fabula. Ovid. Fast. I, 65 sqq. Propter geminam frontem, Janus *a tergo* derideri non potuit; unde illum felicem judicat Persius. — *Nulla ciconia pinsit;* videtur fuisse hoc genus sannæ quoddam usitatius apud antiquos. Hesiodus, Ἔργα καὶ ἡμέραι, II, 364;

Μηδὲ δομὸν ποιῶν ἀνεπίξυστον καταλείπειν·
Μή τοι ἐφεζομένη κρώζῃ λαχίπυζα κορώνη.

Qualis vero fuerit hujus sannæ figura vix exprimi potest. Secundum scholiastas *nulla manus ciconiæ rostrum imitans*. Hoc fusius illustrat J. Fr. Gronov. in Epist. ad N. Heinsium. Vid. Syllogen Epist. a viris illust. script. cur. Burmann. tom. III, p. 52. — *Pinsit* ad eam figuram respicit quam ignoramus. *Pinsitare*, vel *pinsare*, vel *pinsere*, vel *pisare*, vel *pisere*, videntur eadem esse ac tundere, vellicare.

Var. 59. *Nec manus auriculas imitata est mobilis albas.* — Habent *albas* Codd. MMS. omnes. Corrigendo legerunt nonnulli *altas;* quæ mihi correctio haud ita felix videtur. Nam vox *alta* cum voce *auricula* quomodo convenire possit, non video. Præterea *albicant* reipsa asininæ aures, atque hunc alborem imitatur manus mobilitate sua.

Not. 59. *Nec manus auriculas imitata est mobilis albas.* — Alterum sannæ genus, nunc etiam in plebe usitatum. — *Mobilis*, dum movetur.

Not. 60. *Nec linguæ quantum sitiat canis Appula, tantum.* — Paulo concisior hæc locutio; nam *exertum est tibi* subaudiatur necesse est. — *Canis Appula*, species pro genere; calidissima est Italiæ regio *Apulia*.

Not. 61. *Vos, o patricius sanguis, quos vivere fas est Occipiti cæco.* — *Patricius sanguis*, i. e. proceres; sic Horat. in Arte 291 : *Vos, o Pompilius* sanguis. — *Fas est;* ironice, non nefas est, fieri potuit. — *Vivere occipiti cæco. Vivere* sic sæpe sæpius usurpatur. Horat. Art. Poet. 36 : « Pravo *vivere* naso. » — Occiput pars capitis posterior, sicut anterior sinciput.

Not. 62. *Posticæ occurrite sannæ.* — Vetus scholiast. animadvertit

sannam dici os distortum cum vultu, quod faciamus, quum alios derideamus; inde *sanniones* dictos esse, qui non rectum vultum habeant. — *Occurrite*, ne fiat de vobis cavete. — *Posticæ*, quæ fit *post* et a tergo hominiꝫ irrisi.

Not. 63, 64. *Quis populi sermo est? quis enim, nisi carmina molli Nunc demum numero fluere.* — Jam desinit parenthesis, reditque ad priorem interrogationem sensus : *verum mihi dicite de me*, dicite mihi hoc, *quis populi sermo est?* Sic interrogant adulatorem proceres de suis carminibus. — *Quis enim*, τίς γαρ græce. Sic respondet adulator. *Quis enim nisi*, non alius esse potuit populi sermo quam etc... — *Nunc demum*, in his tantum carminibus, quum nemo ante tam mollem versuum concinnitatem assecutus sit. — *Molli numero*, id est, versibus in quibus molli junctura effectum est, ut nulla usquam asperitas appareat; cui rei exprimendæ aptum est *fluere*.

Not. 64, 65. *Ut per lævo severos Effundat junctura ungues.* — Metaphora ab operibus marmoreis ligneisve, in quibus partes ita committuntur et cohærent, ut nulla possit unguibus deprehendi rima vel asperitas. — Horat. Sat. II, 7, 86 :

...Totus teres atque rotundus,
Externi ne quid valeat *per lævo* morari.

Not. 65. *Scit tendere versum.* — A constructione obliqua transit subito ad rectam, ut ipsa populi verba sine ulla mutatione referat. — *Tendere versum*, dicitur græce ἰθύνειν.

Not. 66. *Non secus, ac si oculo rubricam dirigat uno.* — A fabris lignariis translatum, qui ad amussim rubro vel alio quolibet colore tinctum opus exigunt. Hom. Odyss. ί. 245.

Εἶσον δ' ἐπιξυμένως καὶ ἐπὶ στάθμην ἴθυνε.

— *Rubrica* terra rubra est, reperta primum ad urbem Sinopem ad littus Euxini in Paphlagonia, unde vocabatur etiam sinopis. Plin. H. N. lib. XXXV, c. 6. — « Hæc utilis ad notandas lineas architectis, etc... » — *Oculo uno*, scilicet clauso altero, quo rectius acies dirigi possit. Lucian. Icaromenipp. tom. II, p. 769. Ed. Reiz. « Ἐγὼ καὶ τοὺς τέκτονας πολλάκις ἐωρακέναι μοι δοκῶ θατέρῳ τῶν ὀφθαλμῶν ἄμεινον πρὸς τοὺς κανόνας ἀπευθύνοντας τὰ ξύλα. »

Not. 67. *Sive opus in mores, in luxum, in prandia regum Dicere.* — *Opus dicere* pro dicendum ei est, scribendum est. — De reliquorum versus verborum sensu, magna contentio est inter interpretes. Censent alii hæc omnia *in mores, in luxum, in prandia regum* designare argumenta ineptissimorum poetarum ejus ætatis, quibus mos erat describere omnia luxuriæ instrumenta, vitæ elegantias, epulasque procerum lautissimas. Alii vero, quibus ego libentius assentiam, putant per *mores* vel comœdiam vel ejusmodi opera designari, per *luxum* vel satiram vel satiricum quid, per *prandia regum* tragœdias in quibus interdum, ut in Atreo, vel in Procne, vescuntur reges hominum carnibus. Posteriorem hanc interpre-

ationem secutus est vetus scholiastes; atque eo probaverim, quod hoc ico adulator poetam, hospitem suum, ad omne genus poeseos natum sse debet affirmare.

Not. 68. *Res grandes nostro dat Musa poetæ.* — *Grandes*, sic dixit su-erius *grande aliquid* v. 14. Sublime et admirandum. — *Nostro poetæ*, e. poetæ quo *nostra* sese potissimum ætas jactitat. — *Dat musa*, a *usa* canit instinctus.

Not. 69. *Ecce modo heroas sensus afferre videmus.* — *Ecce*, breve ansitionis genus quo libentius utitur. Supra, v. 30, etc. — *Heroas sen-s*, potuerat dicere *heroos sensus;* nam in Statio legitur: « *Heroos* gressu ancare tenores. » Maluit *heroas*, quo melius inflatam scriptorum novi-tem imitaretur. Sic apud nos per neologismum dicitur: *un vers philo-phe.* Cæterum per *heroas sensus* intelligit epopœam, vel summum quod-e genus poeseos, quod affectant vel pueri e scholis recentiores. — *'ferre*, proferre, scribendo edere.

Not. 70. *Nugari solitos græce.* — *Nugari*, vox consecrata pro scri-re leviores nugas, versiculos verbi gratia, aut simile aliquid. — *Græce;* ecam linguam in scholis ediscebant, et *græcas* compositiones scribe-nt. Quintilianus, lib. I. « A sermone *græco* puerum incipere malo: ia latinus, qui pluribus in usu est, vel nobis nolentibus se perhibet: oul quia disciplinis quoque græcis prius instituendus est, unde et stræ fluxerunt; non tamen hoc adeo superstitiose velim fieri, ut diu atum loquatur *græce*, aut discat, sicuti plerisque moris est. » Unde nstat Persium his verbis, *nugari solitos græce* expressisse pueros primis teris adhuc operatos; quod et ea testantur, quæ sequuntur.

Not. 70. *Nec ponere lucum artifices.* — *Artifices ponere;* græca con-uctio, jam in prologo notata, ubi *artifex sequi.* — *Ponere* pro argumen-n tractare. Horat. in Arte, 34 « *ponere* totum. » Juven. I, 155. Etiam pictoribus dicitur, Ovid. A. A. III, 401. — *Lucum*, pro argumento olibet descriptionis aut declamationis in schola pueris proposito. — intil. lib. II, c. 4. « Hinc jam quas primas in docendo partes rhetorum em, tradere incipiam » paulo inferius: « apud rhetorem initium sit torica narratio, tanto robustior, quanto verior. » Neque tantum nar-ones dictabantur, sed descriptiones, qualis est *Luci*, vel *Ruris.*

Not. 72. *Nec rus saturum laudare.* — *Laudationes*, ut descriptiones cholis dictabantur. — *Rus saturum*, pingue, refertum bonis omni-. Virgiliana est locutio.

Not. 71—72. *Ubi corbes, et focus, et porci, et fumosa Palilia fœno.* Non ego crediderim cum nonnullis sibi proposuisse Persium, ut *rus rum* et ipse *poneret*, et qua ratione laudari deberet, commonstraret. um illa felix mihi videtur interpretatio, ingenioque hominis satirico ius accommodata. Vero similius est, poetam edidisse per jocum de-ptionem satiricam aliquam, in qua personam agens pueri declaman-olemnes istas scholarum sententias profundat: namque res cum vili-

bus sublimes, cum domesticis et villanis historicas heroïcasque ex industria fuisse copulatas ecquis non intelligat? Hinc oritur sensus eorum verborum, *euge poeta*, qui videtur vero simillimus, dum cæteri sensus per interpretes his verbis attributi, veritate pariter egent et festivitate. — *Fumosa Palilia fæno. Palilia* festum erat in honorem *Palis*, vel dei vel deæ pecorum et pastorum (Virg. Georg. III, 1), quod celebrabatur XI calend. maï. quo die Romam conditam fuisse tradebant. In hoc festo per acervos stipularum accensos transiliendo se lustrabant agricolæ. Varro. L. L. V, 3; Ovid. Fast. IV, 629 sqq. Plutarch. in Romul. 12; Propert. IV, 1, 19.

Not. 73. *Unde Remus, sulcoque terens dentalia, Quinti!* — Ineptas sententias, quæ vulgo in puerorum declamationibus recurrebant, pergit referre. Non ineptæ quidem per se sententiæ sunt, quæ in ipso Virgilio leguntur. Georgic. II, 532 et 533: « Hanc Remus et frater.... » Æneid. VI, 844: « Vel te sulco, Serrane, serentem? » Sed viles factæ, sed temere profusæ, neque loco suo, neque ordine suo dispositæ. — *Unde Remus. Unde*, subaudi oriundus erat. — *Remus*, Romuli frater et pastor. — *Quinti*, Quintius Cincinnatus, qui Romam accersitus est ab agro ad dictatoris munus obeundum. Vid. Livium, III, 26. Non solum Cincinnati nomen, quod in scholis crebro debuit usurpari, sed ipsa apostrophe videtur consulto hic locata fuisse, quo verior esset imitatio. — *Sulcoque terens dentalia*, ornate pro arans. Virg. Georg. I, 46:

...et *sulco attritus* splendescere vomer.

Var. 74. *Quum trepida ante boves dictaturam induit uxor.* — Variant in hoc versu quidam MMS. Codd. — Quidam habent *quem* pro *quum;* quidam, sed paucissimi, *dictatorem* pro *Dictaturam*. Lectionem admisimus, quæ plurimum haberet auctoritatis et in MMS. (*Dictaturam* enim legimus in 8055, 8070, 8072, et 8272, et præterea in vetustissima omnium quas habeat Reg. Biblioth. editione.) quæque per se foret elegantior. — Aliter legunt editores ferme omnes; sed MMS. potius, quam editionibus credendum reor; et *quum* melius quam *quem* in omni hac constructione poni manifestum est. Elegantius subauditur *tibi*, præsertim quum *tua* recurrat in versu insequente.

Not. 74. *Quum trepida ante boves dictaturam induit uxor.* — *Trepida*, sedula et marito festinanter navans operam in toga induenda dictatoria. — *Ante boves* per juncturam industriosam apponitur ad *dictaturam*, quemadmodum superius *Porci* ad *Palilia*. — *Induit*, subaudi: tibi. — Cæterum ne quis miretur *dictaturam* pro *vestem dictatoriam:* exquisita est poeseos dictio, et quæ sæpesæpius recurrat in auctoribus.

Not. 75. *Et tua aratra domum lictor tulit.... Euge, poeta.* — Eodem juvenili et ridiculo ardore succensus, fusius describit Cincinnati fortunam, immoraturque in describendo commixta dictatoris ornamenta cum aratoris instrumentis; dives enim ad amplificandum materies. Denique orationem subito abrumpit omittitque, et suam ipse ridet amplificationem per hæc verba, *Euge, poeta*, quibus denotat ironice quid exspectandum sit ab adolescentibus sic institutis et circa similes nugas exsultantibus.

Var. 76. *Est nunc Briseïs quem venosus liber Accî.* — Longe aliter legitur plurimis hic versus. Pro *Briseïs* ponitur *Briseï*, quod quidem nonnihil habet auctoritatis: in MMS. pro *Acci* ponitur *Atti*. — Verisimilius videtur, si *Briseïs* legatur, quæ fabula fuerit *Accii*, veteris poetæ tragici, quam si admittatur *Briseï* epith. *Accî*; nam ea vox *Briseï* vix bene possit intelligi, si *Accio* tribuatur. Contra vero interpretatio facilior, si legimus *Briseïs*; præterea vox convenit cum voce *Antiopa*, quæ ponitur quoque ut tragœdiæ veteris titulus. — Mire tamen in edendo *Briseï* conveniunt membranæ veteres. — *Acci* habent nonnulli codd. (inter quos 8272.) Et loqui Persium de antiquo poeta tragœdo *Accio*, non de *Attio Labeone* ex toto eo manifestum est; namque hic vituperat amorem vetustatis; et notissimus est Accius ille *Pacuvii* fere æqualis.

Not. 76. *Est nunc Briseïs quem venosus liber Accî.* — Transit ad amorem vetustatis, quo laborasse tunc temporis Romanos scriptores, item ac æcos, constat e multorum locis, qui circa aut non longe post Persii tempora vixerunt. Quintil. I, 6; Martial. X, 21; XI, 91; Gell. I, 10; Lucian. Rhet. Præcept. tom. III, pag. 18, edit. Reiz. Conf. Plin. jun. Epist. I, Neque mirum, ubi nos eadem apud Gallos nostros fieri videmus jam ætate superiori. — *Est nunc quem*, i. e. non desunt homines, quos tineat, etc. — *Briseïs* Hippodamia ab Agamemnone Achilli erepta. mer. Iliad. *a*, 189 sqq. Sic inscripta erat, ut conjicere licet, *Accii* bula, quam Noster vocat *librum venosum*, id est, venis inflatum, deformem, rugosum. Tacit. de Caus. corrupt. eloq. 21: « Oratio autem, sicut rpus hominis, ea demum pulchra est, in qua non eminent *venæ*, nec ia numerantur, sed temperatus et bonus sanguis implet membra et surgit toris; ipsos quoque nervos rubor tegit et decor commendat. » De *Accio* veterum permulti meminerunt, et ferme omnes eodem loco io de ejus æquali *Pacuvio*. Cic. de Orat. III; id. de Optim. gen. orat; intilian. lib. X, 1; Horat. II, Ep. 1, 56; Martial. XI, Ep. 91, 5;

Attonitusque legis: terrai, frugiferai,
Accius et quidquid *Pacuviusque* vomunt.

Not. 77. *Sunt quos Pacuviusque et verrucosa moretur Antiopa.* — *Sunt os... moretur*, i. e. sunt qui detineantur, delectentur. Horat. Epist. I, 17. — *Pacuvius et verrucosa Antiopa* fig. ἐν διὰ δυοῖν pro *Antiopa verrucosa Pacuvii*. — *Pacuvius*, Brundusinus, antiquus tragœdiographus, imo tragœdorum princeps, aliquanto junior Plauto. Respice notam seriorem. — *Verrucosa* pro tuberosa, horrida; eadem ratione positum, supra *venosus*. De *Antiopa* v. Apollod. III, 5, 5, et ibi Heyn. in notis. e nomine inscripta fuit, ut videtur, *Pacuvii* fabula.

Not. 78. « *Ærumnis cor luctificabile fulta.* » — *Fulta* ad Antiopam islatum, proprie ad cor pertinet. Tot ærumnæ cor cingebant Antiopæ, llis ipsis ærumnis ac miseriis cor *fultum*, nixum et incumbens videtur. Turneb. XXVIII, 26. Quæ translatio dura est ac ridicula. Utrum verba ex ipsa Pacuvii fabula deprompta sint, an noster Pacuvianam tionem imitatus fuerit, ut ejus poetæ duritiem ostenderet, non facile squam expediat. — Cæterum vero similius est non tam *Accium* et *uvium*, viros alioquin non contemnendos, Persio improbari ipsos,

quam Pacuvianæ vel Accianæ vetustatis et barbariei pravos imitatores. Quintil. X, 1; Vellei. Paterc. II, 9, 3; Cicer. ad Herenn. II, 23; de Finib. I, 2; Gell. I, 24. Vid. illorum ipsorum poetarum fragmenta.

Not. 79. *Hos pueris monitus patres infundere lippos. — Hos monitus* scil. ut *Pacuvium*, *Acciumve*, et vetustissimum quodque dicendi genus sectentur. — *Patres lippos;* lippitudo vulgaris fuit morbus Romæ habitantium; unde translatio apud auctores usitatior pro cæcitas, turpitudo, stupiditas. Horat. passim; Noster inf. sat. II, v. 72. « Messalæ *lippa* propago ». — *Infundere* metaphorice; *puerorum* enim ingenia instar vasorum sunt, præcepta instar liquoris. — De isto vetustatis amore atque ista desuetæ orationis imitatione queruntur optimi eloquentiæ magistri Dionysius Halicarnasseus et Quintilianus, 8 lib. procemio.

Not. 80. *Quum videas, quærisne unde hæc sartago loquendi Venerit in linguas. — Sartago*, proprie id in quo varia frigebantur, græce τάγηνον vel τήγανον. Metaphorice mistura quædam et colluvies verborum, dictionum, figurarumque. — *In linguas*, i. e. in loquendi morem consuetudinemque.

Var. 81. *Unde istud dedecus.* — Legitur in quorumdam editionibus *illud*. Consentiunt manuscripti Codd. in edendo *istud*.

Not. 81. *Unde istud dedecus. — Dedecus*, labes, corruptela orationis et eloquentiæ.

Not. 81, 82. *In quo Trossulus exsultat tibi per subsellia lævis? — Trossulus;* olim honoris nomen equitibus inditum a *Trossulo* Tuscorum oppido sine peditum ope capto. Plin. H. N. XXXIII, sect. 9. Sequenti tempore homines belli et delicatuli vocabantur *Trossuli*. Senec. Epist. 79: « Idem faciam, quod *trossuli* et juvenes? » Id. Epist. 87. — *In quo exsultat*, quum pudere homines deberet nequissimæ orationis, isti sibi plaudunt, et suo vitio superbiunt. — *Tibi*, h. l. abundat emphatice, ut et alias *mihi*. Virg. Georg. lib. I, 45;

> Depresso incipiat jam tum *mihi* taurus aratro
> Ingemere.

— *Per subsellia*, h. e. in judiciis. Prope tribunal prætoris *subsellia* erant vel assessoribus, vel testibus, vel patronis, vel ipsis auditoribus disposita. Unde *subsellia* pro judiciis et foro; unde « habitare in *subselliis*. » Cicer. de Orat. I, 62. « A *subselliis* in ostium se conferre. » Id. Orat. II, 33. « Versatus in utrisque *subselliis* cum summa fama et fide. » Id. ad familiar. XIII, 10. Vid. Sueton. August. 56; Neron. 17. — *Lævis* spectat ad habitum trossuli, qui rasus erat et vulsus; græce λεῖος, τρύφερος.

Not. 83. *Nilne pudet, capiti non posse pericula cano Pellere.* — Patronos tangit, qui non id agebant, ut reum a criminis suspicione liberarent, sed ut judicum et coronæ, ad quorum gustum orationes suas accommodaverant, captarent acclamationes. Idem improbat Quint. VII, 3. — *Capiti cano*, ad augendum πάθος et ridiculum. — *Pellere capiti* pro *depellere* a capite.

VAR. 84. *Quin tepidum hoc optes audire* DECENTER? *Tepidum* edunt manuscripti Codd. omnes; quumque sensum habeat satis probabile, retinendum putavi. *Trepidum* legendum esse censent Casaubonus et Kœnig.

NOT. 84. *Quin tepidum hoc optes audire* DECENTER? — DECENTER vox est admirantium, uti gallice *à merveille;* poniturque eadem ratione, ac supra EUGE et BELLE posita sunt. — *Tepidum* proprie dicitur de eo cujus ardor deferbuit; significabit igitur metaphorice frigidum, languidum, quod nauseam moveat. Quam ego interpretationem secutus sum. Altera vero potest admitti. *Tepidum* accipi potest ut molle ac tenerum, blandum, favens; sic enim *tepens* usurpatur apud Ovid. Metam. I, 107. Ita possis interpretari *hoc tepidum* DECENTER : *hanc vocem* DECENTER, *quæ tas aures tam blande demulcet.*

NOT. 85. *Fur es, ait Pedio. Pedius quid? crimina rasis Librat in antithetis.* — *Ait*, subaud. aliquis, aut accusator. — *Pedio.* Utrum hoc omen ponatur in universum pro nomine quolibet mali oratoris, an proprium sit certi cujusdam hominis, quæstio est. Exstitit quidem Pedius Blæsus quidam, qui, Nerone imperante, repetundarum postulatus Cyrenensibus, motus est senatu. Tacit. Ann. XIV, 18; Id. Hist. I, 77. Atque profecto haud ita vero absimile est, hic Persio describi hominem tum famosum, eumdemque æqualem suum. *Pedium* tamen illum hunc ipse, vix ausim pronuntiare. — *Pedius quid?* subaudi facit, dicit ad crimen diluendum. — *Librat*, versat et ponderat. — *Antithetis*, figuris quibus contraria contrariis summa respondent concinnitate. — *Rasis*, perpolitis, ductum ab arte tonsoria. — Quintilianus, VIII, nimium illum crudis amorem, quem Noster hoc loco carpit, sic damnat: « Ubi res petitur et vera dimicatio est, ultimus esse debet famæ locus. » Conf. Juvenal. VI, 448 sqq. Lucian. II, 31, ed. Reiz.

VAR. 86. *Doctas posuisse figuras Laudatur.* — Malim *Doctus*, ait Casaubonus; frenalis enim : « *Doctus* spectasse lacunar. » Nihil est quod lectionem mutemus, quam edunt manuscripti Codd.; quæque sensum habet probandum.

NOT. 86. *Doctas posuisse figuras Laudatur.* — Nunc tangit auditores, qui turpia mirentur. — *Doctas figuras*, translatio pro *figuras docte compositas.*

NOT. 87. *Bellum hoc. Hoc bellum! an, Romule, ceves?* — *Bellum hoc*, vox vulgi admirantis; *hoc bellum!* vox Persii indignantis. — *Romule*, idem ac *Romane;* sic superius posuit *Titos, Romulidæ.* Simili officio *Romule*, vox honesta, copulatur cum voce indecora *ceves*, ac supra *Romulidæ* cum *Saturi.* — *Cevere*, proprie clunes agitare, more equum; Cinædum agere. Metaphorice frangi et enervari. Respice infra ad versum ejusdem satir. 103; et Juvenal. II, 20, 21 :

...et de virtute locuti
Clunem agitant! ego te *ceventem*, Sexte, verebor!

NOT. 88. *Men' moveat quippe, et, cantet si naufragus, assem Protu-*

lerim? — *Men'*, elisio pro *mene*. — *Quippe*, emphatice per ironiam. — *Assem protulerim;* assem deprompserim e loculis. *As* est proprie nummus libralis; hoc loco ponitur pro quolibet nummo.

Not. 89. *Cantas, quum fracta te in trabe pictum Ex humero portes.* — Altera pars est comparationis, quæ præcedenti versu incipit. — *Quum fracta te in trabe pictum* etc. Mos erat apud antiquos, ut homines e naufragio aut ex alio quolibet periculo elapsi, depictam rei imaginem portarent, quo certius miserationem moverent transeuntibus. Unde petitæ sunt poetis sæpe sæpius figuræ. Horat. in Arte 20, 21; Juvenal. XIV, 300 sqq. Immo etiam constat picturas et ipsis patronis in foro fuisse adhibitas, quibus judicum circumstantiumque animos videndo incenderent. Quintil. libr. VII: « Sed non ideo probaverim quod factum et lego et ipse aliquando vidi, depictam tabulam supra Jovem (is est locus in foro) in imaginem rei, cujus atrocitate judex erat commovendus. »

Not. 90. *Verum, nec nocte paratum Plorabit.* — Quintil. lib. X: « Ut illa quæ dicimus non domo attulisse, sed ibi protinus sumpsisse videamur, et oratori et ipsi caussæ plurimum confert: nam et magis miratur, et minus timet judex quæ non putat adversus se præparata. » Aristot. Rhetor. II: *δεῖ λανθάνειν ποιοῦντας καί μη δοκεῖν λέγειν πεπλασμένως ἀλλὰ πεφυκότως.* — *Verum plorabit*, subaud. ploratum, quo modo dicitur *vivere vitam*.

Not. 91. *Qui me volet incurvasse querela.* — *Incurvasse;* frequentior apud antiquos ea vox translata e ludis. Pindar. Isthm. IV, 89. *ψυχὰν δ' ἄκαμπτος*; Senec. de Ira III: « Non est magnus animus quem *incurvat* injuria. » Id. Consol. ad Polybium; id. Epistol. 71. Confer omnem hunc Persii locum cum Horat. in arte, vers. 20 sqq., 96 sqq., 110.

Anal. 92, 106. Locum qui sequitur, duo sunt quæ faciant totius satiræ difficillimum ac pæne inextricabilem. 1° De rebus agitur in quibus interdum nos caligare recentiores fateamur necesse est. Agitur de carminum numeris, de junctura, de rhythmo aliisque virtutibus, quibus poetica decoratur oratio, si callide adhibeantur, sin vero, deformatur. Quæ omnia quum pauci admodum vel in nativo sermone suo intelligere ac dignoscere noverint, quis est tam insolens, qui de iisdem rebus in lingua vetere et, ut aiunt, emortua audeat pronuntiare? 2° Persius ea reprehendit carmina, eos auctores, de quibus ne ulla quidem ad nos mentio perlata est; et ita reprehendit, sive alludendo, sive truncas referendo partes versuum, ut æqualibus gratum fortasse fecerit, qui rem vel obscuram satis intelligerent, posteris vero remotissimis ænigmata reliquerit, quæ nulla satis probabili ratione resolvantur. In hoc loco desudavere et Joseph. Scaliger, et Casaubonus, et alii complures eruditissimi interpretes; de hoc disseruit *ex professo* vir doctissimus *Meisterus*, professor in Acad. Viadro-Trajectina (cujus dissertationis rationem in Comment. Societ. Philolog. Lipsiensis t. I, p. II, pag. 103 sqq. vid. expositam) neque tamen ex his disputationibus lux orta est. Commentatorum omnium solus *Kœnig* ingenue fatetur, se nescire quæ nesciat. Quum

nta sit ejus loci obscuritas, tanta de lectionibus contentio, tam multæ
: sensu disputationes, sapienter ego me facturum fuisse putavi, si ver-
is 93, 94, 95, in meo textu legerem quo modo probatissimis editoribus
gustur, eosdemque in interpretatione textui subjecta ponerem inte-
os, neque ipse interpretarer. Etenim quoniam de hoc loco nihil satis
nstat, neque aliud quidquam habemus interpretes quam disquisitiones
conjecturas, hæc omnia mihi veritatis studioso et lectorem reverenti
notas transferenda fuerunt.

Var. 92. *Sed numeris decor est et junctura addita crudis.* — Legitur quoque in
nuscriptis Codd. hic versus in hunc modum : *Sed numeris decor et junctura
addita crudis.* Quæ varietas capilli interest. — Potest hic versus æquo jure
ni aut monitori, qui defendat in hoc æquales, quod saltem veterum in pan-
dis carminibus barbariem exuerint; aut ipsi Persio, qui suas æqualibus inepti
nice gratuletur. Priorem cum plerisque editoribus lectionem prætuli, quæ re-
nit Dialogi vices; sed ita prætuli, ut in sequenti versu recurrat ironica Persii
onsio.

Not. 92. *Sed numeris decor est et junctura addita crudis.* — *Numeris;*
: verbo sæpe sæpius per catachresim utuntur poetæ, quo versus suos
ignent, Nosterque jam initio hujus satiræ in hunc modum usus est,
vers. 13. — *Decor;* id quod decet, venustas, ornatus. — *Junctura,*
politio bene compactarum inter se partium; eo enim sensu vox usur-
ur ad v. 65 ejusdem hujusce satiræ. Quintil. X, 4 : « In omni composi-
ne tria sunt necessaria, ordo, *junctura*, *numerus*. » Compositionem, h.
Quintiliani, accipe de verbis, non de totius operis partibus collocandis
connectendis; id enim dispositio vocatur, non compositio. Ita ut *jun-
ra* videatur fuisse ars collocandi et ordinandi verba, ut suavior fluat
tio. — Alia ratione nonnulli interpretes *junctura* interpretantur;
idem enim hoc loco vim obtinere putant verbum, ac vox clausula;
d eas clausulas versuum referunt, quæ infra memorantur : *Attis*, *Del-
i*; quæque versus inter se, priorem cum altero, *jungunt*. — *Crudis;*
bis incoctis et immaturis frugibus sumptum. *Crudos numeros* eos in-
go, qui non satis expoliti sunt, in quibus omnino inest aliquid quod
ndat. Sic erant versus priorum, uti defendit Persii adversarius; re-
iorum vero *junctura* molliti sunt et *decorati*.

Not. 93. *Claudere sic versum didicit.* — *Didicit;* sub. aliquis æqua-
i, vel noster ille poeta, qui vulgo probatur. Quibus durum videtur
cit sic positum absolute, meminerint ii versuum 40 et 85, in quibus
imili ratione positum est. Persio solemnis est illa constructio. *Didicit*
rpretatur *Kœnig* per *solet;* malim interpretari per *novit*, *excogitavit*.
Claudere versum, non ad solam fortasse versuum clausulam pertinet,
ti omnes arbitrari videntur interpretes, sed ad totam versuum com-
tionem. Est enim recepta apud Latinos locutio *claudere versum*, pro
um fingere vel pangere. Virg. Cir. 20 :

Et gracilem molli liceat pede *claudere versum*.

Digni sunt sensus hæ voces *junctura* et *claudere;* quæ si novum car-

minandi genus, quo versus alter cum altero per clausulam similiter desinentem jungeretur, clare et aperte designarent, nihil esset ferme cur de versibus qui sequuntur disputaretur.

VAR. 93, 94. *Berecynthius Attin Et qui Cæruleum dirimebat Nerea Delphin.* — Habent *Attis* manuscripti mei Codd. omnes. *Attin* correctio est petita e veteribus glossis, quibus monemur hos versus esse Neronis, atque ex hoc Dionis Cassii loco de Nerone: ἐκιθαρῴδησεν Ἀττίνα ἢ Βάκχας. *Attin* legendum esse, primus omnium monuit Jos. Scaliger, ut similiter caderent hi duo versus 93, 94, per clausulas *Attin*, *Delphin*; idemque docuit has ipsas esse versuum in idem desinentium *clausulas* vel *juncturas*, nuper excogitatas, quas Persius hoc loco vituperet, quemadmodum in versu sequenti consonantes syllabas *longo*, *Apennino*. Callida quidem et docta lectio est. Meminerimus tamen hoc niti totam, quod hi duo versus, *Berecynthius Attin Et qui cæruleum dirimebat Nerea Delphin*, ejusdem auctoris, atque ex eodem loco deprompti, et continentes inter se fuisse putantur; neque ulla satis certa auctoritate illam comprobari opinionem. Immo vero sunt qui legant hunc versum 94 in hunc modum: *Et qui:* CÆRULEUM DIRIMEBAT NEREA DELPHIN. Tanquam ea verba *Et qui* Persii sint, non vero ejus auctoris qui citatur, et indicent, alium esse qui scripserit: *Berecynthius Attis;* alium qui scripserit: *Cæruleum dirimebat Nerea Delphin.* Neque profecto inepta lectio est. Adde quod passim recurrant apud optimæ notæ poetas, apud ipsum Virgilium versus, qui hoc syllabarum consonantium vitio laborent, quod hoc loco irrideri Scaliger arbitratur. Monet quidem Casaubonus, Scaligeri opinionem amplexus et collaudans, invito excidisse Virgilio istiusmodi versus similiter desinentes, poetæ vero, quem hoc loco Persius agitavit, et consulto et continuo fuisse usurpatos. Quo tandem jure vir eruditus hoc disputat? Perpauca hic referuntur versuum fragmenta, qui fortasse neque sunt ejusdem auctoris, neque ejusdem loci; neque vero ejusdem clausulæ, si manuscriptis codicibus potius, quam Scaligero conjecturam facienti fides adhibeatur. Sumit sibi certum ratumque Casaubonus hoc ipsum, quod venit in quæstionem. Quanquam Scaligeri conjecturam, doctam simul et ingeniosam, nolim ego damnare vanitatis; sed eam tamen loco Dionis et vetustissimi interpretis glosæ inniti, minime vero et sensu et manuscriptorum Codd. lectione comprobari, lector fuit admonendus.

NOT. 93, 94. *Berecynthius Attin, Et qui Cæruleum dirimebat Nerea Delphin.* — *Attin*, aut *Attis*, aut *Attys*, aut *Atys*, videtur fuisse pastor ille Phrygius a Cybele amatus, cujus fabula, ut nomen, incerta est. Hemsterh. ad Lucianum tom. I, pag. 235, ed. Reiz. Plura de illo habet Doering. ad Catull. LXIII. Conf. Macrob. sat. I, 21; Ovid. Metam. X, 104: « *Cybeleïus Attis.* » — *Berecynthius*, a Berecyntho, Phrygiæ monte. — *Nerea* pro mare. Valer. Flaccus, I, 450. — *Delphin* quo alludat, non facile dixeris. Alii putant ad notam Arionis fabulam; Ovid. Fast. II, 79 sqq. (Conf. Broukh. ad Propert. II, 20, 17) Meisterus ad Delphinum quem *Attin*, Phrygius Bacchus, ut putat, produxit, quemque laudat Ovid. Metam. XIII, 597. — *Dirimere Nerea cæruleum* pro *secare pelagi fluctus*, minus usitata, et nimis exquisita, et parum feliciter excogitata locutio videtur; neque aliam ob causam forsitan hic versus Persio notatur.

VAR. 95. *Sic costam longo subduximus Apennino.* — Similis de hoc versu ambi-

guitas ac de præcedenti, quum alii censeant totam esse auctoris quem carpit Persius, alii hoc verbum *sic* tribuant Persio. Neutra mihi sententia satis probatur; quam ob causam infra docebo. Cæteram nihil ad hoc lucis est in manuscriptis Codd. — Casaubonus se invenisse dicit contra fidem veterum membranarum, « *Pœnino* pro *Apennino*. Ubi invenerit, quave ratione interpretetur, nihil monet.

Not. 95. *Sic costam longo subduximus Apennino.* — Obscura lectione, sensus est obscurus: « Hunc versum, *ait Kœnig*, plane non intelligo. » — *Meisterus* hæc omnia verba a *Berecynthius*, usque ad *Apennino*, unius auctoris, unius tenoris esse arbitratur, et in hunc modum distinguit: *Berecynthius Attin, et qui cæruleum dirimebat Nerea Delphin: sic costam longo subduximus Apennino.* Agi putat de itinere maritimo, quod confecerint quidam sacerdotes ex ordine Cybeles, aut Galli; atque hoc iter comparari cum itinere, quod *Attin* ejusque *Delphin* emensi fuerunt. Hunc ait esse sensum: *mare secuimus, ut Attin patronus noster, ut Delphin, quem idem ille Attin Subazius noster produxit; atque ita longo Apennini dorso costam* (partem) *eripuimus.* Quam eruditissimi hominis interpretationem *Kœnig* non admisit, qui retulit; et, ut opinor, jure. — Quid sentiant de hujusce versus vitio Scaliger et Casaubonus, jam supra memoravi; de vitio quidem dixerunt aliquid, de sensu parum. — Opinantur nonnulli Persium his versibus 93, 94, 95, vel potius versuum fragmentis, exempla afferre voluisse *clausularum* mollium, quas damnavit Quintilianus, IX, 4: « Est in eo quoque nonnihil, quod hic (*in exemplo quod retulit*) singulis verbis bini pedes continentur, quod in carminibus etiam permolle: nec solum ubi quinæ syllabæ nectuntur, ut in his, *fortissima Tyndaridarum;* sed etiam ubi quaternæ, quum versus cluditur *Apennino*, et *Armamentis*, et *Oriona.* » Et quidem Anton. Lullus grammaticus l. V, c. 11, hæc scripsit: « Quoties ex longis in breves decumbit rhythmus, mollis sequitur compositio, ut: *Qui cæruleum dirimebat Nerea Delphin.* » Quam interpretationem etsi *Meisteri* interpretatione minus exquisitam et magis apertam judico, nolim tamen admittere. Neque enim possum mihi in animum inducere, tantum Persio movisse indignationis vitium, quod in ipso Horatio, quem adeo dilexit, majus recurrat, quam in eo auctore qui nunc describitur.

Ex iis variis lectionibus et conjecturis, quibus hunc locum præ cæteris vel corruptum, vel obscurum et inextricabilem restituere et illustrare conati sunt interpretes, hoc unum constat, hic relatos fuisse Persio mali cujusdam poetæ, Neronis fortasse, versus aut versuum fragmenta, quæ derideantur. At vero in iis versibus verba, quæ sint ejus auctoris, ab iis quæ sint ipsius Persii discernere, hæc est ipsa loci difficultas, quam nemo satis aperte enodaverit. Hæc est tamen, quam tollere necesse sit, ut aliquid in sensu lucis oriatur. In hoc me aliquid profecisse haud equidem mihi conscius sum; lectionem tamen et interpretationem, quæ mihi magis placeat, referam, non in vanæ laudis comparationem, sed studio veri videndi. Versus 93, 94, 95 ex manuscriptorum meorum fide atque ex ipso tenore orationis sic legi velim:

Claudere sic versum didicit Berecynthius Attis,

Et qui Cæruleum dirimebat Nerea Delphin!
Sic costam longo subduximus Apennino!

Tribuam vel Neroni, vel alii cuicumque insulso poetæ, qui Persii vixerit ætate, hæc verba: *Cæruleum dirimebat Nerea Delphin;* atque hæc: *Costam longo subducere Apennino;* quæ locutiones ita per se ridiculæ videntur, ut parum necesse sit aliud quidquam excogitare vitii, quod in iis versibus reprehendatur, nedum clausulas consonantes: sed ita tribuam, ut hæc omnia verba Persii verbis admixta fuerint et ejus oratione modice confusa. Jam vero sic interpretarer: *Decus et concinnitas a recentioribus poetis addita sunt carminibus, quæ prius erant incondita. Scilicet attendite quemadmodum versum condere noverit Berecynthius Attis* (eo poematis nomine auctorem designat) *Et ille qui* CÆRULEUM DIRIMEBAT NEREA DELPHIN; *Attendite quemadmodum* COSTAM LONGO SUBDUXerimus APENNINO. Unde conjicere licet locutionem utramque pudendam istius carminis fuisse, quod inscriptum erat *Attis* vel *Bacchæ*, teste Dione Cass. l. LXI, cap. 20. — Lectionem *Attis* pro *Attin* defendere ferme supervacaneum est, quæ in omnibus manuscriptis Codd. recurrat, præsertim quum in recto casu *Attin* non videatur fuisse usurpatum, ut cum *Berecynthius* conveniat, verum in accusativo. Vid. Ovid. loco Metamorphos. jam citato, ubi ponitur *Attis*, non *Attin*; Suidam in vocem Ἄττις; et commentarium Hermann. Samuel. Reimari in Dionem ad locum supra cit. — Hæc est lectio, hæc est interpretatio, quas ego pro certis ratisque nolim in textu posuisse, quæ vero mihi cæteris omnibus probabiliores videantur; præsertim ubi ad versus insequentes inprimisque ad vers. 105 reflecto oculos.

VAR. 96. ARMA VIRUM.... *nonne hoc spumosum et cortice pingui?* — Pro *spumosum* libenter *Kœnig* reciperet *rugosum*. Ingeniosa quidem conjectura est, et apud Ovid. Heroid. V, 28, occurrit *cortex rugosus;* sed in edendo *spumosum* consentiunt manuscripti Codd. omnes. — Tribui potest hic versus vel monitori Virgilium deprimenti, stolido æqualium amore; vel Persio æquales Virgilio ironice præponenti. Probabilior mihi posterior lectio; neque enim adeo videtur esse ineptus ille monitor, quem sibi fingit Persius, ut Virgilium deprimat.

NOT. 96. ARMA VIRUM.... *Nonne hoc spumosum et cortice pingui?* — *Arma virum*, intellige Æneidem. Mos erat apud antiquos opus designare iis verbis quibus incipiebat, aut ipsum auctorem initio ejus operis. Ita, Μῆνιν ἄειδε θεὰ designat Iliadem; ἄριστον μὲν ὕδωρ, Pindari carmina, etc. — *Spumosum* interpretantur turgidum ac vanum; malim lutulentum ac vile, ut est spuma. — *Cortice pingui*, id est, crassum et rugosum. Haud absimilem nos Galli locutionem habemus.

NOT. 97. *Ut ramale vetus prægrandi subere coctum.* — Noster eadem similitudine utens qua versu præcedenti, ad augendam ironiæ vim singula exaggerat. — *Suber*, φελλός, *liège;* describitur a Plin. Hist. Nat. XVI, sect. 13, et a Theophr. H. PL. II, 16, ubi vid. not. Jos. Budæi. Illa arbor habet, præter interiorem et tenuiorem, etiam exteriorem et crassiorem corticem, qui certis temporibus detrahendus est. Quod ni fit,

sponte dehiscit exterior cortex jam per se scabra rimosaque superficie, et in fragmenta se separat, unde superficies arboris horridior etiam et rugosior fiat necesse est. Posuit igitur Noster ramum vetustum grandis suberis, cortice statis temporibus demendo non culti, sed vetustate jam emortui solisque ardoribus siccati. Hoc enim *coctum* significat, atque hac similitudine præcedentis versus ridet similitudinem.

Not. 98. *Quidnam igitur tenerum et laxa cervice legendum?* — Quoniam Virgilii versus jam consenuerunt et facti sunt horridi, postulat ironice Noster exemplum versuum, qui sint perfectissimi; sibique respondet referendo versus inflatos et inanes istius modi: *Torva Mimalloneis*, etc. Vi comica non eget locus. — *Tenerum* respicit ad eam junctu-ram et ad eas recentiorum artes, quibus versus *teneri* et molles efficiuntur. — *Laxa cervice.* Hoc intellige de habitu recitantis, qui exsultans caput rejicit reponitque mollius. Similem ferme fatuitatem hoc loco expressit Juvenalis, I, 66:

Et multum referens de Mæcenate supino.

Not. 99, 100, 101, 102:

Torva Mimalloneis implerunt cornua bombis
Et raptum vitulo caput ablatura superbo
Bassaris, et Lyncem Mænas flexura corymbis:
Evion ingeminat; reparabilis assonat Echo.

— *Implerunt;* nominativus omissus est, ait Kœnig. Mihi vero potius videtur referre hoc verbum ad verba *Bassaris* et *Mœnas*, quæ ipsa verbum non haberent, si constructio versus 99 terminaretur voce *bombis.* — *Mimalloneis bombis.* Μιμάλλονες, Βάκχαι, Βομβόμοι, Hesychius; Sch. Lycophr. 1236 et 1464; Stat. Thebaïd. IV, 659 sq., ubi vid. Barth. Bacchi comites vocabantur *Mimallones* aut *Mimallonides*, a monte Asiæ minoris qui *Mimas* dicitur, de quo Strabo lib. XIV: « Inter Erythras est *Mimas* mons altissimus et gerris et arboribus plenus. » Ovid. I, de Arte:

Ecce *Mimallonides* sparsis in terga capillis.....

Bombus proprie sonus est, quem apes edere dicuntur, examen novum emissuræ; deinde sonus cornuum. Catull. Epithal. Pel. et Thet. 264. — *Torva cornua; torva* idem ac torta. Sic Lucanus, Phars. lib. I, 612: «

Cornua succincti premerent quum *torva* ministri.

Implere cornua bombis, idem ac inflare cornua. — *Vitulo;* forsitan Pentheo, quem vitulum esse credidlerunt furentes Bacchæ ipsaque Agave ejus mater. Horat. satir. II, 3; Ovid. Metamorph. 3. — *Superbo*, contemptori Orgiarum et Sacrorum Bacchi. Metamorph. 13. Bacchanalium Romæ originem et abrogationem lege apud Tit. Liv. 39, 8 sqq. — *Ablatura caput*, i. e. quæ jam jam obtruncabit Pentheum, furore percita. — *Bassaris*, nomen Bacchæ, vel a *Bassara* Libyæ loco, ubi colebatur Bacchus, ut vult Acron; vel a *Bassari*, veste talari, qua deus induebatur. Ipse vocabatur *Bassareus.* Horat. Od. I, XVIII, 11. — *Lyncem;* Lynces et Tigres trahebant currum Bacchi, erantque illi sacræ. Virg. Georg. III, 264: « Quid *Lynces* Bacchi variæ? » — *Mœnas* ex μαίνεσθαι, quod est

furere, Bacchantes appellatæ sunt *Mænades*. — *Flexura*, directura thyrsis. — *Corymbis*, hederæ racemulis, habenarum loco. *Corymbus* proprie est hederæ fructus; hic sumitur pro ipsa hedera. — *Evion*, εὐιον. Bacchus dicitur *Evios* vel a voce Bacchantium εὐοι, vel quod ob res adversus gigantes gestas laudatus est a Jove his verbis : ἴω υἱὲ, *euge fili*. Horat. Od. II, 19. — *Ingeminat*. Legere volunt nonnulli *Ingeminant*. Sed habent *ingeminat* manuscripti Codd. et hoc verbum ita sumitur intransitive apud Virgilium non semel : Georg. I, 333 : « *Ingeminant* austri. » Æneid. V, 227 : « *Ingeminat* clamor. » etc. — *Reparabilis*, quæ sonat sæpius; vel active, ut vult Kœnig, quæ sonos reparat. — *Echo* ἀπὸ τοῦ ἠχεῖν, sonare. Fabula narrat fuisse Puellam ob garrulitatem in vocem a Junone mutatam. Vid. Plin. Hist. Nat. II, 46; XXXVI, 15. Lege et Ovid. Metamorph. III, cap. 5. — Quid sit in his versibus reprehendendum, et quid reprehenderit Persius, fusius interpretes disputant, operam, credo, perdentes. Tumorem enim et affectatam harmoniam nemo est qui in illis non deprehendat. De structura horum versuum vid. Jacobum Bononiensem Thesaur. critic. tom. I, p. 667, ed. Grut. — Tribuitur locus Neroni editorum ferme omnium consensu, haud ita firmis tamen ex argumentis. Nam præter vetusti scholiastæ testimonium, et Dionis locum jam supra relatum (vid. Dion. p. 999, edit. Reim.) nihil omnino habemus ad hoc auctoritatis.

Not. 103, 104. *Hæc fierent, si testiculi vena ulla paterni Viveret in nobis*. — Solvit frenum indignationi, quam paulisper dissimulaverat per ironiam, graviterque reprehendit poetarum ineptias, quorum versus supra retulit. — *Hæc*, i. e. istiusmodi carmina. — *Vena ulla paterni testiculi*, metaphora paulo audacior et obscœnior pro *gutta aliqua paterni sanguinis*. Raro admodum apud Persium recurrunt fœdæ istiusmodi translationes, quæ frequentissimæ sunt apud cæteros Latinos satiricos inprimisque apud Juvenalem. — *Viveret in nobis*, nobis superesset. — Similis est huic Horatii loco sensus, honestiora vero verba. Epod. 15, 12 :

... si quid in Flacco viri est.

Var. 105. *Et in udo est* Mœnas et *Attin*. — Habent *Attis* manuscripti Codd., quod ego malim iis de causis supra memoratis.

Not. 104, 105. *Summa delumbe saliva Hoc natat in labris, et in udo est Mœnas et Attin*. — Versum 105 subreptitium *Kœnig* opinatur, atque ex interpretamento præcedentis natum; opinionemque suam ita defendit : « Forsan nescio quis explicare voluit τὸ *summa saliva* per *natat in labris*, idque porro per *jejunum est*, unde *in udo est* postea ortum, quibus postremo ab alio quodam ad explendum versum satis inscite *Mœnas* et *Attin* additum est. Olim levi mutatione locum sic legi : *summa delumbe saliva Hoc natat in labris jejuno; et Mœnas et Attin nec pluteum cædit*, etc... Hoc sensu : hoc adeo insipidum est et nauseam movet, ut vel esurienti intra labra hæreat, atque in saliva, quam nausea multam

gere solet, quasi natare videatur. » Correctionem ego probare non
um, quæ nulla innitatur manuscriptorum Codd. auctoritate, præser-
quum versus ille, quem rejiciendum censet *Kœnig*, probæ sit latini-
et sensus minime ambigui. Cæterum interpretatio, quam *Kœnig* pro-
it, parum convenit cum latinitate. — *Delumbe;* sine lumbis ac sine
us; nam in illis corporis partibus maxime robur apparet. Solet hoc
um usurpari, si quando agatur de re per affectationem effœminata,
us ponderis, nullius meditationis. Vitruvius: « Curva Lacunaria ad
num *delumbata.* » Cicer. Orat. « Ne minutos numeros sequentes,
mbemus sententias. » Tacit. Dialog. de Caus. corrup. Eloq. vocat
onem fractum et *elumbem*. Hoc Persii loco, verbum apprime con-
cum illa superiore metaphora, quæ paulo est liberior. — *Summa*
Hoc natat in labris. Nihil est apud Latinos his locutionibus usi-
s: *verba in ore, in labris nascentia; verba humida;* quæ significent
am garrulitatem, aut in loquendo temeritatem. Has solutæ oratio-
cutiones in versum transtulisse mihi videtur Persius paululum ex-
as. Senec. Epist. X: « Non a *summis labris* ista venerunt. » H. e.
nt hæ voces fundamentum. Gellius, lib. I, cap. 15: « Qui sunt le-
et futiles, et importuni locutores, quique nullo rerum pondere in-
verbis humidis et lapsantibus diffluunt, eorum orationem bene
matum est *in ore nasci*, non in pectore. » Quintil. lib. X, cap. 4:
illa ex tempore dicendi facultas inanem modo loquacitatem da-
t *verba in labris nascentia:* illis radices, illis fundamenta sunt,
pes velut sanctiore quodam ærario. » — *Et in udo est;* locutio græca
ῥῷ εἶναι. Est enim apud Græcos proverbium de loquacibus: ἐν ὑγρῷ
ὶ γλῶσσα. — *Mœnas et Attin;* respiciunt hæc verba ad versus 93 et
— Ex his omnibus sensus est, ut reor, apertissimus; quo magis ad-
aur interpretes de hoc loco tantum disputare et ambigere.

r. 106. *Nec pluteum cædit, nec demorsos sapit ungues.* — Jure,
am versus temere effutiunt incuriosi poetæ. — *Pluteus* erat tabula
ad unum latus lecti cubicularis; nam ad alterum sponda nuda
Gonsal. Comm. ad Petron. 115; Martial. III, 91. — *Cædere* pro-
ici potest de poetis, quorum meditatio parum procedit, et qui ob
:ausam effundunt omnem iram in pluteum; h. l. translatum ad
a, in quo elaborando nihil desudatum est. — *Demorsos ungues.*
um corrosio solliciti animi est, et quem sui ipsius pœnitet. Hæc
uasi dixisset: nec multum sapit laborem, nec studium. Quintil.
, c. 3, citat hunc Persii locum: « Tum illa quæ apertiorem animi
n sequuntur, quæ ipsa animum quodammodo concitant, quorum
tare manum, torquere vultum simul, et interim objurgare, quæque
s notat, quum leviter dicendi genus significat: *nec pluteum, in-
cædit, nec demorsos sapit ungues:* etiam ridicula sunt, nisi quum
mus. » Conf. Horat. Sat. lib. I, X, 70:

...et in versu faciendo
Sæpe caput scaberet, vivos et roderet ungues.

Not. 107. *Sed quid opus teneras mordaci radere vero Auriculas?* — Rationes suas elusas a Persio animadvertens monitor, minas adhibet, quibus eum a satirica dicacitate deterreat. — *Radere teneras auriculas.* Quintil. III, cap. 1 : « Quorum ne jejuna atque arida traditio averteret animos, et *aures* præsertim *tam delicatas raderet* verebamur. » Ipse Pers. in V, 15 sqq. :

...Pallentes *radere* mores
Doctus, et ingenuo culpam defigere ludo.

Unde liquet eamdem illam locutionem et in versibus et in soluta oratione fuisse usitatiorem. Horat. Sat. II, 5, 32 :

...gaudent prænomine *molles*
Auricula....

— *Mordaci vero; mordax* retulerim non tam ad naturam ipsius veritatis, quæ pungit hominum animos, quam ad ipsius Persii satiricum ingenium, qui principes mordet, more canum. Convenit enim ejus verbi vis cum similitudine quæ insequitur : *sonat hic de nare canina*, etc.

Not. 108. *Cave, sis, ne majorum tibi forte Limina frigescant.* — *Sis;* pro *si vis;* solemnis illa quum apud poetas, tum apud solutæ orationis scriptores contractio. Cic. pro Sextio Amerino : « Age nunc, refer animum, *sis*, ad veritatem. » Id. Part. Orat. « Age, *sis*, quoniam, etc. » In numero etiam plurali *sultis* pro *si vultis*. Plaut. Captivi, act. II, sc. 3, 96 :

Servate istum, *sultis*, intus, servi.

— *Majorum limina tibi frigescant.* Videtur ejus versus bona pars ab Horatio fuisse mutuata, qui dixit Satir. II, 1, 60 sq.

...O puer, ut sis
Vitalis metuo, et *majorum* ne quis amicus
Frigore te feriat.

— *Majorum*, i. e. principum; *majorum limina*, principum ædes. — *Frigescant*, proprie ad principum limina spectat, sed gravem injuriam aut ipsam mortem Persio denuntiat. Hunc sensum potius admiserim, quam quo cæteri interpretes sic explicant : cave ne excludaris sportula (quæ plerumque in *limine* ædium statuebatur); aut simplicius : cave ne principalium ædium aditu tibi interdicatur. *Frigere* enim non solum male excipi significat, verum etiam mortuum esse, sicuti probat Horatii locus, unde hic Persii ducitur. Sic autem significat, quod calore vitali vivimus. Hinc *frigus* pro ipsa morte. Virg. Æneid. XII sub finem et alias :

...Ast illi solvuntur *frigore* membra.

Not. 109. *Sonat hic de nare canina Littera.* — Potest æque referri *canina* vel ad *nare* vel ad *Littera*, illic per ablativum, hic per nominat. *Litteram* autem intellige esse R, quod canis iratus et infrendens exprimit; unde *hirrire* dicitur. Usitatior apud Latinos locutio fuisse videtur, quoties designandus fuit homo iratus et præ ira latrans, vel hirriens. Memoratur vetus versus, qui, si non est Lucilii, uti contendunt, saltem, cujuscumque sit, nonnihil affert lucis ad hunc locum :

Irritata canis quod R R quam plurima dicat.

e *nare;* huc pertinet proverbium: *bilis in naribus.* — Hujus versus
a præcedentis versus sensum continuari putant plerique interpre-
translatorumque, et sic explicant: cave ne excludaris a limine prin-
m; hic enim (sc. in limine) jacet canis hirriens, qui te a foribus di-
a, quando eos salutatum venis, abiget invisum propter satiras. Quæ
me mihi probatur interpretatio. Quanto verisimilior sensus, si *hic*
tur non ad *limina majorum*, sed ad hancce Persii satiram! Cave,
icet, ne male mulcteris in limine principum; sonat enim in hac sa-
ua vox canis; i. e. cynice enim latras, vel hirris.

T. 110. *Per me equidem sint omnia protinus alba.* — Respondet
sario Persius, per hanc concessionem ironicam: quoniam sic pla-
probentur ista omnia velut bona et recta per me licet, etc. — *Pro-*
, jamjam, nunc nunc. — *Alba;* sicut nigrum pro malo, ita pro
album apud antiquos nuncupabatur. Horat. satir. I, IV, 85:

.... hic *niger* est; hunc tu, Romane, caveto.

psum ferebat illud adagium Pythagoræ celeberrimum: Τὸ μὲν λευκὸν
μαθοῦ φύσεως, τὸ δὲ μελὰν κακοῦ. Ad eamdem illam opinionem sæpe
s alludit Virg. Æglog. II, 15 sqq.; Æneid. III, 120; Persius, II, 2.
comica non eget hic omnis locus, quem posteriores Satirici non
retulerunt.

T. 111. *Nil moror; euge, omnes, omnes bene miræ eritis res.* — *Nil*
r; nihil impedimento sum. — *Euge, omnes, omnes;* voces ultro om-
lmirantis. — *Bene miræ eritis res.* Monent, nec temere, interpretes,
nerti simul, et dura, et præcipiti clausula ridiculum adulatoribus
ntiendi consilium fuisse felicius expressum.

. 112. *Hoc juvat: hic, inquis, veto quisquam faxit oletum.* Veterum glossæ
ur monitori tribuisse hæc verba *hoc juvat,* qui monent Persium respondere
hæc verba interpretando per *hic, inquis, veto,* etc. — Præterea in 8072 legi-
icquam pro *quiśquam,* et *fuxat* pro *faxit.* Quæ vox *fuxat* vetustissimæ forsitan
initatis pro *fuat,* atque adeo huic loco satis congruens. Unde sic legi posse
a conjicias: *hoc juvat? hic, inquis, veto quicquam fuxat oletum.* Quam le-
n neque admittere, neque defendere velim; quæ tamen haud ita inepta est.

T. 112. *Hoc juvat: hic, inquis, veto quisquam faxit oletum.* — Hæc
mmam satiræ libertatem esse dicta, vix monendum necesse est.
illepida tamen sunt. — *Hoc juvat* transferunt quidam interpretes
ic modum: *placet ne hoc meum tibi propositum, monitor?* Quæ ex-
o minus mihi cum reliquo versu videtur convenire. Malim referre
l carmen pravum illud vel Neronianum, vel alius, qui Persio re-
nditur, defenditur vero monitori. — *Hic,* ad hoc carmen sacrum
ie est referendum. — *Faxit oletum;* vetus est *faxit* a *faxo* in preci-
tque in legibus usitatum. *Facere oletum;* dicitur idem una voce
; in antiqua enim recurrit lege, cujus meminit Frontinus.

. 113. *Pinge duos angues, Pueri, sacer est locus: extra Mejite:*
. — « Genios sive locorum sive hominum tota antiquitas, inpri-

mis Etrusci et Romani, per serpentes exhibuerunt; non una puto de causa. Plurium enim rerum symbolum ac nota habitus est serpens, ut solum patrium, vitam, salutem, incolumitatem, immortalitatem, etc. innueret. » Heyn. Virg. Æneid. V, 84. Ex hoc Persii loco ipso conjicere possumus, in usu fuisse serpentes parietibus appingere, quibus loci sanctitas indicaretur et quasi defenderetur. — *Extra*, sc. *extra locum hunc sacrum*. — *Mejite;* extremum contumeliæ signum. Hoc ne quis admitteret, in tumulis cippi titulus deprecabatur, adjecta sæpe imprecatione mala. Anthol. Latin. Burmann. tom. II, p. 145; Horat. Art. Poet. 470:

Minxerit in patrios cineres....

Not. 114. *Secuit Lucilius urbem.* — Posita ironia, consilium prius suum exemplo Lucilii tuetur et Horatii. — *Lucilius;* C. Lucilius primus apud Romanos satiras scripsit. Ac sicut Lucilium Horatius, Horatium Persius, priores illos omnes Juvenalis imitatus est; sic Lucilius secutus fuerat Ennium et Accium. Horat. lib. I, sat. 10. Coævum fuisse Scipioni Africano testatur idem Horat. lib. II, sat. 1, ubi, et alibi passim in sermonibus, Lucilium carpit mordicus, quanquam magno aliis in pretio fuisse refertur; nec suam ipsi laudem detrahit Quint. lib. X, nec Cicer. de Orat. l. II, Nec Velleius l. II. Natus erat nobili loco, ex Aurunca Ausoniæ urbe, anno uno antequam in Romanorum potestatem veniret Carthago. Scripsisse dicitur satirarum libros plusquam triginta, quorum omnium fragmenta tantum aliquot ad nos pervenerunt. — *Secuit;* a flagellis translatum, quibus servorum corpora cædebantur, ad Lucilii satiram, quæ lædebat hominum animos. Horat. Epod. IV, 11:

Sectus flagellis hic Triumviralibus.

Idem Sat. I, 10, 14 sqq.:

...Ridiculum acri
Fortius et melius magnas plerumque *secat* res.

— *Urbem*, cives Romanos, omnium civium mores. Horat. Sat. I, 10:

....sale multo
Urbem defricuit.....

ac paulo post:

Primores populi arripuit populumque tributim.

Not. 115. *Te, Lupe; te, Muti; et genuinum fregit in illis.* — *Te* subaudi *secuit.* — Nominatim etiam carpere ausus est Lucilius nobiles inter alios viros Publ. Rutilium *Lupum* consulem, et Titum *Mutium* Albutium, valde potentem virum; atque his carpsit versibus, quos refert Tullius lib. I de finibus, proœmio:

Græcum te, *Albuti*, quam Romanum atque Sabinum
Municipem Ponti, Tritanni, centurionum,
Prælarorum hominum, ac primorum, signiferumque
Maluisti dici. Græce ergo prætor Athenis,
Id quod maluisti, te, quum ad me accedi', saluto:
χαῖρε, inquam, Tite! Lictores, turma omni', cohorsque,
χαῖρε, Tite! hinc hostis mi *Albutius*, hinc inimicus.

Et paulo post:

...Tubulus, si Lucius inquam,

Si *Lupus*, aut Carbo, aut Neptuni filius....

De eodem hoc *Lupo* sic meminit Horatius, sat. II, 1, 68:

Famosisque *Lupo* cooperto versibus.

— *Genuini* vocantur dentium postremi iidemque validissimi. Plin. Hist. Nat. II, 37; Festus, lib. VII, vult ita dictos, quod a *genis* dependeant. Cic. *II* de Natura Deorum: « Dentibus autem in ore constructis manditur atque ab iis extenuatur et mollitur cibus; eorum adversi acuti morsu dividunt escas; intimi autem conficiunt, qui *genuini* vocantur. » — *In illis*, sc. in *Lupo* et in *Mutio*. Quidam referunt ad *urbem*, quasi dixisset in *illis* quiritibus. Malo priorem constructionem.

Not. 116. *Omne vafer vitium ridenti Flaccus amico Tangit.* — *Flaccus;* ipse ille Quintus Horatius *Flaccus*, de quo nemo non audierit. — *Vafer*, ait Nonnius, quasi valde *Afer*, quia Afrorum mira semper fuit calliditas, et vere ad fallendum proni et solertes. — *Omne vitium tangit;* eodem ferme modo, quo dicitur tractare vulnera vel attrectare. — *Amico ridenti;* vel Mæcenati, quem ipsum carpit Horatius, vel alii cuicumque amicorum non irascenti ac de se satiram ultro admittenti, vel denique cuilibet hominum, quos tangit omnes Horatius quam familiariter! Nonnulli interpretantur: apud *amicum ridentem*, cui Horatius satiras recitet risumque moveat, non sui vitii descriptione, sed alieni. At vero cum ipsa constructione ægre admodum convenit hic sensus. Præterea plus habet auctoritatis exemplum Horatii, quod in suam causam refert Persius, si memoretur Horatius, ut qui sua animi vitia ipsis amicis attrectaverit, idque ita fecerit, ut nequaquam illi offenderentur, semet vero ipsos descriptos irriderent. Quæ satiræ Horatianæ propria est et insignis calliditas. In eo est ejus loci laus omnis, quod Horatium Persius ad vivum expresserit, qualis sit, qualis omnibus placuerit, qualis *bonus* nuncupetur. Risum vero movere aliis de vitiis aliorum, adeo non est proprium Horatii, ut nemo sit, qui hoc non possit facere.

Not. 117. *Et admissus circum præcordia ludit.* — Hypallage pro *ludendo admittitur circum præcordia;* sc. *circum præcordia amicorum.* Homer. *ἐνὶ φρεσὶ κατὰθύσθαι.* — *Ludit*, jocatur et lascivit. — *Admissus*, non repulsus, dum penetrat intima animi penetralia.

Not. 118. *Callidus excusso populum suspendere naso.* — *Callidus*, solers, peritissimus; *callidus suspendere*, græca locutio, uti δεινὸς cum infinitivo. — *Suspendere naso excusso;* Horat. Sat. I, 6, 5: *naso suspendere adunco;* quod significat deridere aliquem, quia, uti supra dictum est, contrahimus nasum ridendo. *Excusso;* vetus interpretatur scholiastes per *valde emuncto*. Quidam interpretantur commentantium per *succusso*, quia caput, quum ridemus, excutimus, et quum alicui insultamus, acriter arreptum etiam nasum *succutimus*. Unde hic verbum referas sive ad Horatium qui deridet, sive ad populum qui deridetur. Probabilior superior interpretatio, qua ad ipsum Horatium vox referatur.

Var. 119. *Men' mutire nefas, nec clam, nec cum scrobe? — Nusquam.* — Pro

Men' legebatur in antiquis editionibus *me*, quod neque tantum habet auctoritatis in manuscriptis Codd. quantum *Men'*, neque per se tantum laudis. Frigebit enim locus, si interrogationem dempseris. Præterea mugientes, ut ait Quintilianus, forent syllabæ *me mutire*. — *Nusquam*; potest ea vox tribui Persio; vividior tamen lectio videtur, si monitori tribuatur. Nihil ad hoc manuscripti Codd. illustrant.

Not. 119. *Men' mutire nefas, nec clam, nec cum scrobe? — Nusquam. — Men'* pro *me ne;* genus elisionis jam antea non semel visum. — *Mutire* cum delectu posuit; est enim velle loqui, sed non aperte et clare verba proferre. Varro lib. VI de Ling. Lat. « *Mussare* dictum, quod *muti* non amplius quam *mu* dicunt. » Ab hoc fortasse mutuatum Lucilii:

Nec laudare hominum quemquam; neque *mu* facere unquam.

— *Nefas*, piaculum; eamdem enim vim habet hoc loco, quam apud Cic. III de Nat. Deor. de quarto Mercurio: « quartus Nilo patre, quem Ægyptii *nefas* habent nominare. » — *Nec clam, nec cum scrobe. Scrobs*, proprie fovea, cui manduntur teneræ arbores. Hoc loco alludit ad fabulam de Midæ tonsore; vid. Ovid. Metam. XI, 90 sqq., cujus meminit etiam Auson. ad Paulinum:

Depressis *scrobibus* vitium regale minister
Credidit, idque diu texit fidissima tellus....

et Petronius de vanitate aulicorum:

Sic commissa verens avidus servare minister
Fodit humum, regisque latentes prodidit aures.

— *Nusquam*, ne ullo quidem in loco.

Not. 120. *Hic tamen infodiam: vidi, vidi ipse, libelle. — Hic tamen infodiam;* continuatur ad Fabulam Midæ allusio. Ovid.

... et Domini quales adspexerit aures
Voce refert parva, terræque immurmurat haustæ.

Sic immurmurare se libello suo dicit Persius, quid viderit.

Var. 121. *Auriculas asini Mida rex habet.* — Hanc ego lectionem servavi, usui potius morem gerens, quam certus veritatis. Habent manuscripti Codd. omnes pro his vocibus *Mida rex*, diversissimas has voces: *Quis non.* Sed narrat auctor vitæ Persii sic mutatum fuisse versum a Cornuto, qui primus Romæ satiras Persii edidit; ea mente scilicet, ne se Nero nimis aperte aut nimis injuriose notatum intelligeret. Verum hæc mera esse grammaticorum commenta nonnulli, inter quos *Kœnig*, arbitrantur. Præterea non minus aperte videtur fuisse Nero notatus his superioribus: *Torva Mimalloneis*, etc., si modo sunt Neronis ea carmina. Denique hic versus 121, si legitur *quis non*, cum superiore versu 7 mire convenit: *nam Romæ quis non*... Sententiam, quæ tum fuit inchoata, quæ vero per monitorem absolvi nequiverat, nunc absolvit Persius, quasi, confutatis monitoris rationibus, propositi victor. Unde nemo jure pronuntiaverit ineptam hanc esse lectionem *quis non*, quæ tantum habet auctoritatis, nonnihilque forsan veritatis, etsi subobscuri sensus videatur.

Not. 121. *Auriculas asini Mida rex habet.* — *Mida* dictus fuit habuisse aures asini, quia omnis discernendi ignarus nihil differt ab asino; Fulgent. in fabul. Apollinis et Midæ. — Male, ait *Kœnig*, hic versus

trahitur ad Neronem. Manet Persius in similitudine; qua tacite indicat, quæ non possit aperte profiteri. Loco enim earum rerum quas velit retegere, ponit ea quæ Midæ tonsor retexerat.

Not. 121, 122. *Hoc ego opertum, hoc ridere meum, tam nil, nulla tibi vendo Iliade.* — *Opertum;* quia in hac satira, tanquam in scrobe, est infossum. — *Hoc ridere meum;* solemnis apud Persium locutio: *scire tuum, nostrum vivere*, etc... — *tam nil;* vel ex opinione vulgi (cf. v. 2) vel ex ipsa auctoris opinione. Vox est ironiæ aut modestiæ. — *Nulla Iliade;* scilicet illa est Ilias, quam superius jam tetigit ad versum 50: « Non hic est *Ilias* Atti. » Hic vero eo felicior est allusio, quod in proverbium abiisse videatur apud antiquos celeberrima Ilias Homeri, quæ pro ipsa perfectione nuncuparetur.

Not. 123, 124. *Audaci quicumque afflate Cratino, Iratum Eupolidem prægrandi cum sene palles.* — Jam nunc quos habere sibi velit lectores, indicat. Nimirum invitat ad libelli lectionem omnes veri amantes, omnes optimis græcorum operibus assuetos; si quis vero est, cui bonæ artes sint contemptui, procax et ignarus, hunc amovet ac repellit. Poetarum græcorum, quos in exemplum affert Persius, sic Horatius meminit Sat. I, 4, 1 sqq.:

> *Eupolis*, atque *Cratinus*, *Aristophanesque* poetæ,
> Atque alii, quorum *comœdia prisca* virorum est,
> Si quis erat dignus describi, quod malus, aut fur,
> Quod mœchus foret, aut sicarius, aut alioqui
> Famosus, *multa cum libertate* notabant.

Idem in arte, 281 et sqq.:

> Successit *vetus* his *comœdia*, non sine multa
> Laude; sed in vitium libertas excidit et vim
> Dignam lege regi.

Eorumdem nunc virorum, ejusdemque libertatis meminit Persius. *Aristophanem* designat his verbis *prægrandi cum sene*, neque ex eo quod ille ad provectissimam pervenerit ætatem, qui Luciano inter longævos poetas non recenseatur, dum *Cratinus* memoretur; neque ex eo tempore quo vixerit Aristophanes, qui fuerit æqualis *Cratino* et *Eupolidi;* verum ex eo comœdiæ genere quam scripsit, quæ dicitur *prisca* et *vetus* comœdia Horatio. Distinguuntur enim tres comœdiæ apud Atticos ætates, vetus, media, nova. Hinc poetas, qui *priscam* scripserunt comœdiam, Persius vocat per metaphoram *senes*, Aristophanemque horum longe celeberrimum, *prægrandem senem*. — *Audaci quicumque afflate Cratino. Audax* Horatii locis jam cit. satis explicatur. *Cratinus*, quum fabulam edidisset (*Baptas*), ab iis in quos invectus fuerat, captus, vinctus et in mare projectus, *audaciæ* suæ pœnas dedit. Hæc Scalig. VII, 1. Poet. Alii non *Cratino*, sed *Eupolidi* rem dicunt accidisse. *Afflate quicumque*, o tu quicumque sis, qui afflatus es a *Cratino;* in quem ingenium *Cratini* quasi transiit, ut mores pravos stultitiamque hominum carpendi studio ducaris. — *Iratum Eupolidem;* vocat *audacem Cratinum*, *iratumque* simpliciter *Eupolidem*, eo quod paulo remissior fuit

in satira *Eupolis*, neque tam acri læsit hominum animos *audacia*, quam *Cratinus*. — *Palles*, studiosius legis. Juvenal. VII, 97 :

> Tunc par ingenio pretium; tunc utile multis
> *Pallere*, et vinum toto nescire decembri.

Pallor pro studio acri vulgo ponitur. Struitur vero sæpius *impallescere* libro, vel alicui legendo, quam *pallere* aliquem; unde quidam interpretantur, *usque ad pallorem formidas*, ob styli acerbitatem.

Not. 125. *Aspice et hæc, si forte aliquid decoctius audis.* — *Hæc*, sc. quæ ego scripsi. — *Aliquid decoctius;* maturiori judicio et longiori arte ac studio elaboratum. Usitatissimæ apud antiquos metaphoræ, *crudum* pro imperfecto, *coctum* pro absoluto perfectoque. Sic Noster supra *crudis numeris* dixit v. 92. Sic infra Sat. II, 76 : « *incoctum* generoso pectus honesto. » Quintil. lib. II, cap. 4 : « Materiam volo primum esse vel abundantiorem, vel ultra quam oporteat fusam : multum inde *decoquent* anni, multum ratio limabit, aliquid vel ipso usu deteretur. » Cic. de Senect. « Poma ex arboribus, si *cruda* sunt, vi avelluntur; si matura et *cocta*, decidunt. » Unde ducantur metaphoræ, hæc duo exempla quasi monent.

Not. 126. *Inde vaporata lector mihi ferveat aure.* — *Inde*, scilicet ex ea lectione; struendum cum *vaporata*, non cum *ferveat.* — *Aure vaporata*, sc. tepente et ad concipiendum fervorem præparata. Lucret. lib. II : « tepidumque *vaporem.* » Virg. Æneid. XI, 481 : « et templum ture *vaporant.* » — *Ferveat mihi lector*, sc. lector vel mihi frequens contingat, vel me studio accensus et *fervidus* legat. *Fervere* enim negotium dicitur, quod urgetur diligentius, et *fervere* dicitur locus, qui est hominibus frequentissimus. Virgil. Æneid. IV, 407 : « ... opere omnis semita *fervet.* » Turneb. lib. XXVIII, c. 26, locum sic interpretatur : « Lector *ferveat* meorum studio poematum, et inde *vaporata* et calefacta afflataque aure, quod et audierit et pervolutaverit Comicos veteres. » Nonnulli enim commentantium has voces *afflate*, *vaporata*, *ferveat* aliam ex alia pendere volunt; ut enim ex *afflatu vapor*, sic ex *vapore* facile concipitur *fervor.*

Var. 127. *Non hic, qui in crepidas Graiorum ludere gestit.* — Tollitur ex eo versu *in* quibusdam in manuscriptis et editionibus. Non habet *in* vetustiss. omnium, quas habeat Bibl. Regia, editio.

Not. 127. *Non hic, qui in crepidas Graiorum ludere gestit Sordidus.* — Quemadmodum luxus fuit et mollitiei, vestitum Romanum Græco vel Asiatico mutare, sic ineptiæ et *sordidæ* superbiæ, suas exteris exprobare vestes et calceamenta. Porro utriusque generis multi tunc temporis Romæ fuerunt, præsertim ex illa *gente centurionum*, quam Noster in tertia *hircosam* vocavit rursusque tetigit in quinta. Isti transmarinam omnem sapientiam stolide dedignati, Romanam suam horriditatem sibi gratulabantur. Hi sunt in quos Persius invehatur, Graiæ Philosophiæ amator. — *Crepidas;* solearum genus, quo Græci pedum plantas muniebant. Cal-

ceus vero romanus pedem omnem vestiebat. *Crepidæ* autem philosophorum quasi propriæ erant, teste Gellio, XIII, 20. Soleis aut *crepidis* uti in publico et togatum, parum decens et honestum diu fuit Romæ habitum. Cic. Arusp. Resp. 21; Verr. V, 33; Pis. 6; Tit. Liv. XXXIX, 19. Hinc sese magnum virum credebat ineptissimus quisque Romanorum, si *Græcorum in crepidas* jocaretur: quam putidam vanitatem æqualibus suis retundit auctor. — *Sordidus*, vel ab ignorantia, vel a *sordibus* vestium, quas damnat rursus Noster in III.

VAR. 128. *Et lusco qui possit dicere*, LUSCE. — Legunt *poscit* pro *possit* probatissimi editorum Casaubonus, Prateus, Kœnig; qua manuscriptorum Codd. auctoritate, nescio. Longe simplicius videtur *possit*, quod edunt mei manuscripti omnes.

NOT. 128. *Et lusco qui possit dicere*, LUSCE. — Fatui cachinnonis est ac male morati hominis vitia exprobrare, quorum culpa penes naturam. — *Luscus* significat eum cui imbecilla est oculorum acies; ponitur et pro eo qui altero oculo captus est. Studentium ac litteratorum quasi propria est *luscitas*. — *Possit*, satis mihi exquisite videtur positum, quasi dixisset: *cujus minutissimum ingenium ad id tantum valet, ut dicat lusco, Lusce.*

VAR. 129. *Sese aliquem credens, Italo quod honore supinus.* — Legunt quidam *sese aliquid credens*, quod nihil habet in manuscriptis Codd. auctoritatis, quodque similius Gallicæ locutioni videtur, quam Latinæ. Senec. de Ira, III, 38: « Nunc iste *aliquem* se putat.... » Plin. Min. I. Ep. pæne ultima: « Quum tribunus essem, erraverim fortasse, qui me esse *aliquem* putavi.... »

NOT. 129. *Sese aliquem credens, Italo quod honore supinus.* — *Sese aliquem credens*, sc. aliquem virum; sese aliquo pretio dignum æstimans. — *Italo honore;* non Romano, sed municipali. Universa Italia jus quidem civitatis diu desideratum armisque petitum paulatim obtinuerat; verum municipiorum et coloniarum differentia, jus porro Latii atque Italicum, remansit. Posuit Noster quemdam non jure Quiritium, sed Italico magistratu, non Romæ gesto, sed *Arreti* Etruriæ oppidulo, inflatum; stultitia enim, quæ cum omni fastu conjuncta est, rei qua quis superbit inanitate et exiguitate augetur. — *Supinus*, ὑψαύχην, animi vitium corporis habitu declarat. Juvenal. I, 66; ubi fatuus describitur:

Et multum referens de Mæcenate *supino.*

Quintil. lib. XI, cap. 3, ubi de capite: « Nam et dejecto (capiti) humilitas, et *supino* arrogantia, et in latus inclinato languor, et præduro ac rigente barbaria quædam mentis ostenditur. » Senec. de Benef. II: « O superbia magnæ fortunæ! o stultissimum malum! Libet interrogare, quid tantopere te *supinet*, quid vultum habitumque oris pervertat, ut malis habere personam, quam faciem. »

VAR. 130. *Fregerit heminas Arreti ædilis iniquas.* — Legitur in manuscriptis nonnullis *Eminas* et *Areti*, demptis *h* in priore, in posteriore *r. Heminas* posui, quod analogiæ græcæ magis convenit. Dicitur enim in græco ἥμισυ per *ή*, quod æque valet ac *he. Arreti* prætuli propter legem versus; simul quia recurrit apud Tullium, pro Murena, XXIV, « ... colonorum *Arretinorum*... »

NOT. 130. *Fregerit heminas Arretî ædilis iniquas.* — *Ædilis*, postremus magistratuum. *Ædilitatem* enim primum omnium munerum ingrediebantur, qui accedebant ad rempublicam. Vox convenit cum his *Italo honore*, quas superius posuit. — *Fregerit heminas iniquas.* Munus erat ædilitati attributum curare mensuras mercatorum, ut justæ forent, ac justo minores *frangerentur*, aliaque id genus minutissima. Juven. X, 101 :

An (mavis) Fidenarum Gabiorumque esse potestas?
Et de mensura jus dicere? *vasa minora*
Frangere pannosus vacuis *Ædilis* Ulubris?

Heminæ, mensuræ genus, ejus cum Amphora relationis : Amphora constabat 2 urnis, vel 3 modiis, vel 8 congiis, vel 48 sextariis, vel 96 *heminis*, quæ vocabantur quoque cotylæ. » — *Arretî* pro *Arretii; Arretium*, Etruriæ oppidulum, hodie *Arezzo*, unde fuit oriundus Mæcenas; fictilibus olim celebre, ut scribit Plinius testaturque Martialis XIV, 98.

VAR. 131. *Nec qui abaco numeros et secto in pulvere metas.* — *In* deest in manuscripto 8055 et in vetustissima omnium, quas habeat Reg. Biblioth. editione. Quæ lectio et ipsa probari potest.

NOT. 131. *Nec qui abaco numeros et secto in pulvere metas Scit risisse vafer.* — Nec mihi ferveat Arithmeticæ (quam intelligit per *numeros in abaco*) nec Geometriæ (quam significat per *metas in pulvere secto*) contemptor. Duæ autem hæ disciplinæ pro omnibus artibus liberalibus positæ sunt. — *Abacus* erat tabella, *pulvere* vel arena sparsa, in qua radio *numeri* et figuræ scribebantur; nam figuras mathematicas in *pulvere* tunc depingi radio solere notum est. Inde Cic. Tuscul. Quest. V, 23, vocat Archimedem : « Homunculum a *pulvere* et radio. » Virgil. Eclog. III, 41 :

Descripsit *radio* totum qui gentibus orbem.

— *Metas*, lineas quæ sunt veluti *metæ* et fines, quibus componitur quælibet figura et terminatur. — *Scit risisse vafer.* Pro : solet vel potest ridere. *Vafer*, id est, facetum et lepidum se putans; *ingeniosus et malitiosus.*

NOT. 132. *Multum gaudere paratus.* — Lepide exprimit crassum istum risum, in quem stolidi inepte solvuntur; *paratus* et *multum* feliciora mihi videntur. Indicat enim *paratus* haud ita facile pinguem hominem ridere, sed tanquam rem cupitam consecutum, non intra modum, sed *multum gaudere. Paratus*, græce εὐθύς. Noster in VI, 36: « Nescire *paratus.* »

NOT. 133. *Si Cynico barbam petulans nonaria vellat.* — Qui abhorrebant a Græcorum disciplinis, ii philosophos, qui e Græcia Romam immigrabant, ludibrio habebant; quod in his versibus Persius ostendit. Ea autem ætate plerique Philosophi vel Stoici erant, vel *Cynici:* eæ duæ sectæ tum vigebant, cæteris jacentibus, quibusdam etiam prope exstinctis. Ubique vero, non solum Romæ, *Cynicorum* magna vilitas. His vulgo omnes illudebant, eos percutiebant et variis contumeliis vexabant; quod ne ipsis quidem nolentibus faciebant, quum nati ad gloriam ho-

mines, argumento opus haberent, in quo suam illam mirabilem patientiam atque ἀπάθειαν ostentarent. Sed erat imprimis odiosum illud patientiæ *Cynicorum* experimentum, cujus hic meminit Persius. Apparet enim solitas a petulantibus hominibus meretrices cum illis committi. Casaubonus, a quo hæc omnia deprompta sunt, sic ad illam vocem rursus commentatur : « Vivebat tum Demetrius *Cynicus*, cujus singularem ac stupendam virtutem dilaudat Seneca, et apud Arrianum Epictetus. In hujus honorem et similium, qui fuerunt omnibus sæculis oppido pauci, *Cynicus* hic ἁπλῶς pro Philosopho ponitur. In genere vero de *Cynicis*, quorum ea tempestate magnus erat Romæ proventus, male senserunt non solum isti osores Græcarum disciplinarum, sed etiam e Græcis sapientissimi quique : non enim vera virtute admirationem colligebant; sed vultus torvitatem, et tristitiam, ac dissentientem a cæteris habitum pessimis moribus atque impuræ obscœnitati prætendebant. » Lege Dionis Chrysostomi sermonem Alexandriæ habitum. Vid. ejusdem Dion. XXIV in principio; Horat. Sat. I, 3, 133 sqq.; Senec. de Ira III, 38; Diog. Laert. lib. VI. — *Nonaria;* femina quæ prostat, turpioris notæ quam meretrix, dicta etiam prostibula. *Nonaria* autem, quod ab hora *nona* prostare inciperet, quum ante clausæ essent fores vel ex more, vel ex lege, vel ex edicto præfecti urbis. Hora *nona* apud veteres procurando corpori accommoda : quare etiam viri sobrii ea hora ad cœnam se comparabant, ut de Marco Antonino testatur Galenus, de Monachis Palladius, Augustinus de se. Aristeas, vetustissimus scriptor, unus e LXX Interpretibus : μέχρι μὲν ὥρας ἐννάτης τὰ τῆς συνηθείας ἐγίνετο· μετὰ δὲ ταῦτα περὶ τὴν τοῦ σώματος θεραπείαν ἀπελύοντο γίγνεσθαι. — Quidam *nonariam* fuisse volunt meretricem quamdam tunc temporis notissimam, sic dictam a *nonis*, quæ inter infaustos dies censebantur. Macrob. lib. I. Minus ea mihi probatur interpretatio. — *Barbam vellat.* Sic fecisse Diogeni Laydem testatur Athenæus, lib. XIII. Insignia erant philosophorum *barba* et pallium, præcipue *Cynicorum*, qui fuerunt neglectioris habitus. Isti vero quum in publicum prodirent, alius eos sanna excipiebat, alius convicium faciebat, alius vestem trahebat, alius *barbam vellicabat*, aut alio quovis modo molestus erat. Summæ autem fuit injuriæ *barbam vellicare;* unde proverbium de omni contemptu τὸν πώγωνα τίλλειν, vel, ut loquitur Julianus, ὑβρίζειν εἰς τὰς ἐπὶ τοῦ γενείου τρίχας, et apud Latinos, *barbam alicui vellere.* Cui simile in II, 28. de impio :

> Idcirco stolidam præbet tibi *vellere barbam*
> Jupiter?

Not. 134. *His mane edictum, post prandia Callirhoen do.* — Studia eorum exponit, quibus satirarum suarum lectione superioribus versibus interdixit. Ait istos duo solum curasse, *edicta* nempe prætoris vel judicia, et lupanaria; quæ se illis relinquere, satirice ostendit. — *His*, sc. nebulonibus. — *Mane;* quia *mane* judicia exercebant, et sicci. Horat. Sat. II, 6, 35 :

> ...*ante secundam*

Roscius orabat sibi adesses ad Puteal cras.

Martialis, lib. IV, epigr. 8 :

Exercet raucos *tertia* causidicos.

— *Edictum*, intellige prætoris, et ab una specie jurisdictionis cæteras omnes cape. Nihil agentium mos est, ut in foro vivant et audiant quæ causæ orentur, quæ vulgentur *edicta*, iis intersint quæcumque sint fori negotia. — *Post prandia; Prandendi* hora circiter meridiana. Ea est vulgo accommoda vivendi ratio, ut *prandeant*, ac deinde per reliquum diem indulgeant voluptati. — *Callirhoen;* notissima fuisse videtur ejus temporis meretrix *Callirhoe*, aut saltem celeberrimum nomen meretricis. Ovid. lib. II. Remed. Amoris, 456 :

Amphilochi frater, ne Phagida semper amaret
Callirhoe fecit, parte recepta tori.

Quidam *Callirhoen* fuisse contendunt fabulam tunc temporis agi solitam, atque per eam particularem vocem designari ludos scenicos omnes. At Theodorus Marcilius totum versum sic distinguit et interpretatur : « His mane edictum : *post prandia Callirhoen do.* » Quasi fuisset ipsius Neronis *edictum mane* vulgatum, quo popellum moneret, se *post prandia* esse cantaturum *Callirhoen*. Quæ interpretatio nulla alia ratione nititur, quam quod Neronem potissimum spectavisse Persius existimatur. — *Do*, mando. Sic valet apud Horatium *mandare* Epist. I, 19, 8 :

... forum putealque Libonis
Mandabo siccis....

SATIRÆ SECUNDÆ

ARGUMENTUM.

Ditissima est ad Philosophiam Poesimque materia divini cultus ignoratio et hominum in orando numine impietas. Hunc locum, Græcis Latinisque scriptoribus non semel tractatum, sui juris nunc facit Persius, et ferme totum paucis versibus complectitur. Neque enim solum simulatæ sanctitatis speciem, et in orando nequitiam, nundinationesque deos inter et homines institutas, et superstitiosos in precibus concipiendis ritus, et pugnantes inter se sibique ipsis contrarias precationes exponit et exagitat : verum hæc omnia docet unde proficiscantur et quibus ab erroribus cupiditatibusque ducant originem. Immo etiam, extremis versibus, plane aureis, doctrinam de votis Deo gratissimis veram honestamque profitetur.

SATIRÆ SECUNDÆ

ANALYSIS.

Macrino, amico suo, diem natalem et bonam in orando numine mentem Persius gratulatur, 1, 4. — Inde satiram intendit in vota precesque hominum. Ac primo tangit eos qui sanctam præ se ferunt in votis modestiam, taciti vero nefaria precantur : quorum occultas preces retegit recitatque irridendo, 5, 16. — Tum vocat ad calculos istius modi homines, qui petant a Diis, quæ pessimo cuique non audeant committere; qui numen aut contemnant, quia non statim experiantur ejus vindictam, aut sacrificiis corrumpi posse arbitrentur; 17, 30. — Jam superstitiosas aggreditur cæremonias, quibus inania bona mulierculæ pueris exoptare solent, 31, 40. — Denique quominus votorum compotes fiant, ipsi impedimento sunt sibi homines : alii firmam valetudinem orantes, intempe-

rantius epulantur; alii totos greges immolant, gregibus incrementum orantes, fortunasque sacrificiis, dum augeri putant, ipsi exhauriunt, 41, 51. — Homines ingeniis suis Deum metiuntur, ideoque aurum putant esse Deo gratissimum. Earum vero rerum, quibus nostræ fruuntur cupiditates, nullus est numini usus, 52, 70. — Concludit esse munus Deo acceptissimum bonæ mentis conscientiam; et ad virtutibus litandum sese ipse hortatur, 71, 74.

SATIRA SECUNDA.

Hunc, Macrine, diem numera meliore lapillo,
Qui tibi labentes apponit candidus annos.
Funde merum Genio : non tu prece poscis emaci,
Quæ nisi seductis nequeas committere divis.
At bona pars procerum tacita libabit acerra.
Haud cuivis promptum est, murmurque humilesque susurros
Tollere de templis, et aperto vivere voto.
Mens bona, fama, fides; hæc clare, et ut audiat hospes :
Illa sibi introrsum et sub lingua immurmurat : O si
Ebullit patrui præclarum funus ! et, O si
Subrastro crepet argenti mihi seria, dextro
Hercule ! pupillumve utinam, quem proximus heres
Impello, expungam ! namque est scabiosus, et acri

SATIRÆ SECUNDÆ INTERPRETATIO.

Albo nota calculo diem istum, Macrine, qui faustus tibi annumerat annos prætereuntes. Funde vinum in honorem Genii, *cultu simplice;* non enim tu is es, qui precibus emptioni simillimis ea deos roges, quæ non possint iis committi nisi a turba semotis. Principum vero magna pars, thura libans, tacite et occulte precatur. *Scilicet* paucis admodum fas est voces illas humiles, quas diis insusurrant, et quibus strepunt ædes, altius efferre, et vitam votis palam profiteri. Mens sana, bona existimatio, bona fides : hæc sunt vota, quæ nuncupentur clara voce, et ut audire possit quicumque templo fuerit exceptus. Illa vero in animo et in ore secum mussitant : Utinam derepente patruo funus apparetur quam splendidissimum ! Utinam, propitio Hercule, *aranti mihi* sub rastro crepitet vas plenum argento ! Utinam pupillum, quem heres insequor gradu proximus, pos-

Bile tumet. Nerio jam tertia conditur uxor!...
Hæc sancte ut poscas, Tiberino in gurgite mergis
Mane caput bis terque, et noctem flumine purgas.
Heus age, responde: minimum est quod scire laboro:
De Jove quid sentis? estne ut præponere cures
Hunc... — cuinam? — cuinam?... vis Staio?... — an scilicet hæres
Quis potior judex, puerisve quis aptior orbis?
— Hoc igitur, quo tu Jovis aurem impellere tentas,
Dic agedum Staio: proh Jupiter! o bone, clamet,
Jupiter! at sese non clamet Jupiter ipse?
Ignovisse putas, quia, quum tonat, ocius ilex
Sulfure discutitur sacro, quam tuque domusque?
An quia non fibris ovium Ergennaque jubente
Triste jaces lucis evitandumque bidental,

sim missione donare! *miser* enim scabie laborat et bile tumet, quæ illum dilacerat acrius. *O felicem* Nerium, qui tertiæ jam paret exsequias uxori!.... Talia ut rite et pie ores, mane bis terque caput mergis in Tiberis unda, et sordes nocte contractas in flumine abluis.

17. Heus tu agedum, responde; minima res est quam rescire velim a te. Quæ tua est de Jove sententia? Estne tibi deus ille tanti pretii, ut eum velis anteponere.... — cui tandem? — Cui?... Visne anteponere.... Staio, *verbi gratia?*... — Numquid dubitas, uter sit melior judex, uter sit magis idoneus pueris, qui sunt orbati parentibus? — Ergo age, votum quo Jovis aures conaris flectere, hoc ipsum apud Staium loquere. Certe ille *vel corruptissimus* exclamabit: Proh Jupiter! o bone Jupiter! Atqui *exhorruerit Staius et Jovem appellaverit ultorem;* ipse vero Jupiter non sese inclamabit? Num tu arbitraris Jovem tibi indulsisse veniam, quoniam, quando mittit fulmina, quercus igne divino discussas vides, te sospite salvaque domo tua? Quia non jaces per lucos triste cadaver, ictum fulgure, evitandum omnibus et expiandum consultis ovium extis *peractisque omnibus quæ* jusserit Ergenna, *ille fulgurum peritissimus procurator;* num ideo

Idcirco stolidam præbet tibi vellere barbam
Jupiter? aut quidnam est, qua tu mercede deorum
Emeris auriculas? pulmone et lactibus unctis?
  Ecce avia, aut metuens divûm matertera, cunis
Exemit puerum, frontemque atque uda labella
Infami digito et lustralibus ante salivis
Expiat, urentes oculos inhibere perita:
Tunc manibus quatit, et spem macram supplice voto
Nunc Licini in campos, nunc Crassi mittit in ædes!
Hunc optent generum rex et regina! puellæ
Hunc rapiant! quidquid calcaverit, hic rosa fiat!...
Ast ego nutrici non mando vota: negato
Jupiter hæc illi, quamvis te albata rogarit.
  Poscis opem nervis corpusque fidele senectæ.
Esto, age: sed grandes patinæ tucetaque crassa

videtur Jupiter se tibi deridendum per stolidam indulgentiam præbuisse? Aut, quid tandem est, quo tu pretio deorum aures sis mercatus? numquid victimæ pulmone et pinguibus intestinis?

31. *Parte alia*, ecce avia, aut superstitiosa anus cognata, tollit infantem e cunis, et primo frontem ejus labellaque humentia lustrat digito medio salivis madente expiantibus, docta prohibere fascinantium oculos. Deinde lustratum puerum motitat manibus, et humili precatione spem hanc perexiguam inducit modo in Licinii agros, modo in ædes Crassi, *i. e.*, *orat ei opes ditissimorum ex Romanis*, precaturque ut eum sibi generum habere velint reges et reginæ, maritum puellæ omnes, ejusque vestigiis, quocumque ierit, rosæ innascantur!... Ego vero mulierculam nolim id sibi muneris assumere, ut vota puero faciat. O Jupiter, ista illi denegato, quamvis te albis rogaverit induta vestibus.

41. Precaris a Diis nervorum vim et corpus quod in senectute non deficiat. Bene habet; age, *fias voti compos*: verum istæ in amplissimis lancibus escæ et pinguia farcimina non pa-

Annuere his Superos vetuere, Jovemque morantur.
Rem struere exoptas cæso bove, Mercuriumque
Arcessis fibra : Da fortunare penates!
Da pecus, et gregibus fœtum! quo, pessime, pacto,
Tot tibi quum in flammis junicum omenta liquescant?
Et tamen hic extis et opimo vincere ferto
Intendit : jam crescit ager, jam crescit ovile,
Jam dabitur, jam jam.... donec deceptus et exspes
Nequidquam fundo suspiret nummus in imo.
Si tibi crateras argenti incusaque pingui
Auro dona feram, sudes, et pectore lævo
Excutiat guttas lætari prætrepidum cor.
Hinc illud subiit, auro sacras quod ovato
Perducis facies : nam fratres inter ahenos,

tiuntur Deos tibi concedere sanitatem quam petis, et Jovem prohibent ne votis accedat.

44. Accumulare opes exoptas, ideoque immolas boves; oblatisque victimarum extis, Mercurium tibi vis conciliare, *sic precatus :* fac, Mercuri, domus sit fortunata! Concede pecora, et gregibus fœcunditatem! At vero, ineptissime, quomodo id ipsum fieri potest, dum *tam multas cœdis* juvencas, quarum intestina igne solvantur et liquefiant? *Sed frustra loquor;* iste nihilominus conatur voti victor esse per viscera et pingue libum victimarum : Jam fundus crescit, *ait secum,* jam ovium grex augetur; mox aderit quod opto; ecce, ecce adest.... *Atque ita sibi falso gratulatur,* donec nummus e plurimis reliquus, et defraudatus, et spe destitutus frustra ingemiscat in infimo arcæ exhaustæ fundo.

52. Si tibi pateras argenteas et munera ex auro solido fabricata obtulerim, tu statim præ gaudio sudabis, et cor properans lætari excutiat tibi guttas sudoris in sinistra parte pectoris : Ex eo, *quod auro ita commoveris,* venit in mentem sanctissima deorum simulacra obducere auro *ex hoste* capto, et triumphato. Scilicet inter cæteros somniorum deos ære fusos, hi sunt præci-

Somnia pituita qui purgatissima mittunt,
Præcipui sunto, sitque illis aurea barba.
Aurum vasa Numæ Saturniaque impulit æra,
Vestalesque urnas et Tuscum fictile mutat.
O curvæ in terras animæ, et cælestium inanes!
Quid juvat hos templis nostros inmittere mores,
Et bona dis ex hac scelerata ducere pulpa?
Hæc sibi corrupto casiam dissolvit olivo,
Et Calabrum coxit vitiato murice vellus:
Hæc baccam conchæ rasisse, et stringere venas
Ferventis massæ crudo de pulvere jussit.
Peccat et hæc, peccat; vitio tamen utitur: at vos
Dicite, pontifices, in sacro quid facit aurum?
Nempe hoc quod Veneri donatæ a virgine puppæ.
Quin damus id Superis, de magna quod dare lance
Non possit magni Messalæ lippa propago,

puo cultu venerandi, qui mittunt somnia pituita maxime defæcata, *i. e. purissima ideoque verissima;* itaque barba erit illis ex auro.

59. Aurum expulit e templis vascula Numæ regis et æneas Saturni crateras; aurum immutat urnas Vestæ, *quondam simplices*, et fictiles ex Etruria patellas. O mentes pronæ in terram, et rerum cælestium vacuæ! Quid enim placet nostras cupiditates in ædes sacras inducere, et quæ Diis grata sint et bona, judicare ex hac corporis carne, plena scelerum? hæc diluit sibi casiam oleo vitiato; hæc lanam Apuliæ tinxit infecitque purpura; hæc uniones e conchis jussit avellere lima erasis, et metalli ramenta igne calescentis e rudi pulvere separare et in massam conflare. Corrupta illa est profecto, atque etiam corrupta; corruptela tamen fruitur. Sed vos dicite, sacerdotes, quid aurum proficiat in templis? idem nempe ac puellares imagunculæ a puella nubente Veneri oblatæ. Quin potius hoc offerimus Superis, quod magni Messalæ proles indigna e patina capaci nunquam obtulerit? Animum scilicet divinis humanisque legibus bene com-

Compositum jus fasque animo, sanctosque recessus
Mentis, et incoctum generoso pectus honesto!
Hæc cedo ut admoveam templis, et farre litabo. 75

positum, et mentem vel in intimis sanctam recessibus, et pectus honesto ac virtute penitus imbutum. Da mihi ut illa sacris inferam ædibus, et deos flectam vel modestissimo farris sacrificio.

VARIÆ LECTIONES

ET NOTÆ

IN SATIRAM SECUNDAM.

De Satira secunda. Depromptum est ex ipsis Philosophiæ penetralibus Satiræ hujus argumentum. Scilicet divini cultus ignorationem, et in orando numine impietatem aut stultitiam, vitia omnibus temporibus omnibusque populis communia, impugnare et corrigere jam antiquitus conati sunt Græcorum sapientissimi. Ex omnibus vero quæ ea de re gravissima disputaverant et Pythagoras, et Zeno, et Epicurus, et si quis fuit celeberrimus sapientiæ professor, nihil reliquum nobis fecit ætas præter duos Platonis dialogos: alterum *de Sanctitate*, qui *Euthyphro* inscribitur; alterum de *Precatione*, qui *Alcibiades secundus;* (si modo fuit Platonis hoc opus haud ita dignum Platone.) Græcorum in hoc, ut in aliis multis, prudentiam sibi assumpsisse Romanos, argumento sunt Ciceronis et Senecæ loci complures et nonnulla scripta Satiricorum. Horum vero omnium quum poetarum, tum etiam Philosophorum, vel Latinorum, vel Græcorum, haud scio an ullus plura in rem dixerit, plura attigerit doctrinæ capita, quam Noster paucis versibus? Scilicet denudat, sicuti transeundo fecerat Horatius, hypocritas, qui dira deos *sancte poscunt;* stultamque eorum ridet impietatem, qui, ut ait Plato, vellent instituere quamdam cum numine mercaturam; idem tangit superstitiosos ritus et insana vota hominum, quæ materia causa fuit Juvenali non unius declamationis; idem contrariam votis vitam, quam inepta sit, ostendit; idem immodicas in sacrificiis impensas, pro suorum Stoicorum more, reprehendit; idem Platone, et Tullio, et Seneca *planius dicit ac melius*, rem esse difficillimam sacra intelligere, et quam vix capere possit homo luteus et mortalis; idem, Aristotele et Epicuro moderatior, non Deum negat esse omnino colendum, sed nulla re melius coli posse docet, quam virtutibus. Hæc sunt omnia quæ mihi persuadeant, nullum de gravissima illa precandi numinis ratione scriptum absolutius ab antiquis ad nos pervenisse, quam hoc ipsum Persii; nullum quod ad sublimia Christianæ veritatis præcepta propius accesserit.

Forma operis felix et argumento conveniens est. Macrino, amico suo, diem natalem et in precando Genio modestiam gratulatus, inde sumit occasionem Persius *de votis* disserendi. Neque hoc tantum similior Epistolæ hæc est satira, sed ipso quoque tenore sententiarum, quibus non tam privatos civium mores, quam totam hominum vitam auctor inse-

ctatur. — Longe apertior in hoc opere sensus, quam in superiore. Unde libens colligam, Persium vel scribendæ satiræ difficultate, vel abscondendi quæ sentiret necessitatis fastidio, a priore scribendi genere deterritum, ad mitiorem facilioremque orationem sese transtulisse.

Varios in variis manuscriptis Codd. reperire est titulos, satiræ huic inscriptos. Præfert 8055 et alii nonnulli : *ad Macrinum amicum Plotium;* habent Pithœi : *De bona mente;* Puteani vero : *De vitæ honestate*, etc.... quæ ipsa inconstantia argumento est, non esse illos Persii titulos, sed librariorum vel editorum. Cæterum hi tituli non quod volunt assequuntur, meliusque possit huic satiræ inscribi : *De sanctitate;* quæ, Platone ac Tullio testibus, est *scientia colendorum Deorum.*

Notæ 1. *Hunc, Macrine, diem.* — Quis fuerit ille *Macrinus*, parum constat. Plinius minor, Epist. I, 14, meminit Minutii *Macrini* cujusdam, cui *patria* fuerit *Brixia*, cujus *pater Minutius Macrinus equestris ordinis princeps, quia nihil altius voluit*, quique ipse *allectus est a Divo Vespasiano inter prætorios.* Equidem tempora nihil obstant, quin memoratus honorifice Plinio *Macrinus* idem ille sit, ad quem hanc satiram Persius scripserit. Neronem enim inter et Vespasianum tres tantum anni intercessere. Scholiastes vero Persii sic annotavit : « Alloquitur *Plotium Macrinum*, hominem sane eruditum et paterno se affectu diligentem, qui in domo Servilii didicerat; a quo agellum comparaverat, indulto sibi pretio aliquanto. » Unde licet conjicias, alium fuisse *Minutium Macrinum*, de quo honorifice Plinius loquatur, alium *Plotium Macrinum*, quocum studuerit Persius apud Servilium Numanum, et ad quem satiram hanc scripserit. — *Hunc diem;* natalem scilicet, ut e versu insequenti manifestum est. Quum esset moris dies amicorum natales muneris missitatione cohonestare, soliti sunt viri docti opuscula sua ad amicos eruditos natalitii titulo mittere. Vid. Præfationem libri quem scripsit Censorinus *de Natali Die.* Summa religione natali die vota concipiebantur in annum proximum, aut plures sequentes; inde sumit argumenti tractandi occasionem Persius.

Not. 1, 2. *Numera meliore lapillo, Qui tibi labentes apponit candidus annos.* — Nihil ultra dixit quam : *sit faustus natalis tuus!* Sententiam vero expressit ex hoc usu, quo Veteres lætas res albo notabant, mœstas atro. Martial. Epig. IX, 53 :

Felix utraque lux, diesque nobis
Signandi *melioribus lapillis.*

Persius, satir. V, 108 :

Illa prius creta, mox hæc carbone notasti.

Secutus Horatium, lib. II, sat. 3, 246 :

Creta an carbone notandi ?

Hinc albo quoque calculo absolutio, nigro vero damnatio significabatur. Ovid. Metamorph. XV, 41 :

Mos erat antiquus, *niveis atrisque lapillis*,
His damnare reos, illis absolvere culpæ.

Cæterum morem illum fortunatos dies albis calculis, infelices nigris numerandi viguisse primum apud Thracas, auctor est Plinius, lib. VII, 40. Illi, prout unaquæque dies fausta vel infausta effluxerat, lapillum vel candidum vel nigrum in arcam conjiciebant. Deinde, ubi annus ipse effluxerat, calculis ex arca extractis dinumeratisque, dies, qui felices evenerant, vitæ *apponendos*, qui vero infausti, eos e vita tollendos censebant. Male quidam contendunt, hunc morem fuisse Cretensium, non Thracum, moti illo carmine Horatii, Od. I, 36, 10:

Cressa ne careat pulchra dies *nota*.

Nam ibi *Cressa nota* non significat *notam Cretensem*, sed *albam*. In Creta enim multa est terra alba. Plutarchus in Pericle albi diei appellationem aliunde derivat, forsitan ex fabula, quæ tamen vel ficta argumento sit apud ipsos Athenienses in usu fuisse eamdem illam dierum notationem. — *Apponit;* adjicit, sed aliquid felicis inest verbo *apponere*, locutioque erat solemnis *lucro apponere*. Venientes anni *apponebantur*, recedentes adimebantur. Horat. Od. II. 5, 14 sqq.:

Et illi, quos tibi dempserit,
Apponet annos.

— *Tibi*, vitæ tuæ parti, quam vixisti. — *Labentes annos*, Epith. ornatus de tempore fugiente, fugamque declarans continuam et celerem, ut aquæ in rivo leniter fluente. Horat. Od. II, 14, 1 sq.:

Eheu fugaces, Posthume, Posthume,
Labuntur anni....

Ovid. Met. XV, 179 sqq. — *Candidus*, felix, faustus, eo quod paulo ante notatum est. Respice supra ad Sat. I, not. vs. 110: et Ovid. Trist. V, 5, 13:

Optime natalis, quamvis procul absumus, opto
Candidus huc venias.

Nor. 3. *Funde merum Genio.* — Censorinus *De die natali* cap. 1: « *Genio* potissimum per omnem ætatem sacrificamus. » Videtur illa *meri* fusio in caput *Genii* facta fuisse. Tibull. Eleg. I, 7, 49 sq.:

Huc ades, et centum ludos, *Geniumque* choreis
Concelebra, et multo *tempora funde mero*.

Id. Eleg. I, 1:

Hic ego pastoremque meum lustrare quotannis
Et placidam soleo spargere lacte Palem.

De religione *Geniorum*, Horat. Od. III, 17, 14 sqq.; Epist. II, 2, 187:

Scit *Genius*, natale comes qui temperat astrum,
Naturæ Deus humanæ, mortalis in unum
Quodque caput, vultu mutabilis, *albus et ater*.

Vid. Heynii Obss. et notas in priorem Tibulli locum jam citatum, et Joann. Bond. (Edit. Schrevel.) in hunc Horatii locum; Senec. Ep. CX; Plutarch. De Oraculor. defectu; Apull. De Deo Socratis; Martial. Epig. VI, 60.

Nor. 3, 4. *Non tu prece poscis emaci, Quæ nisi seductis nequeas committere divis.* — Die natali vota nuncupabantur pro incolumitate et felicitate reliquæ vitæ. Prop. III, 8, 12. Inde sumit occasionem Persius,

de votorum improbitate et sacrificiorum superstitionibus suæ ætatis conquerendi. — *Poscis*, i. e. ita petis, quasi tibi pro meritis aliquid jure debeatur. — *Prece emaci*, i. e. prece, cui sacrificia sumptuosa adjuncta sunt, quibus Deorum benevolentiam et liberalitatem quasi *emere* studebant eosque obligatione obstringere, ut se omnis generis felicitate afficerent. Conf. inf. v. 30; Horat. Od. III, 29, 58:

.... Ad miseras preces
Decurrere, *et votis pacisci*....

— *Seductis committere divis*, quidam explicant: *credere Diis per munera corruptis;* quod minus placet. Quamvis enim *seducere* corrumpere interdum significet, quasi a recta deducere; nolim tamen auctori, præ cæteris brevi, eamdem rursus usurpari sententiam, quæ jam voce *emaci* fuerit expressa, quæque minus conveniat cum versu insequenti. Homines, quando cum iis aliquid communicare volumus, quod palam fieri nolumus, *seducimus*, seu ducimus in locum a turba secretum. Vid. Heyn. ad Tibull. II, 1, 84. Hoc bene translatum est ad Deos, quibuscum vota secreta fiunt, et ea *committuntur*, quæ qui precatur non audeat palam profiteri. Senec. Epist. X, ex Athenodoro: « Tunc scito, te esse omnibus cupiditatibus solutum, quum eo perveneris, ut nihil Deum *roges*, *nisi quod rogare possis palam*. Nunc enim quanta dementia est hominum? turpissima vota Diis insusurrant; si quis admoverit aurem, conticescent, et quod scire hominem nolunt, Deo narrant. Sic vive cum hominibus, tanquam Deus videat; sic loquere cum Deo, tanquam homines audiant. »

VARIÆ LECTIONES. 4. *At bona pars procerum tacita libabit acerra.* — Habent *libabit* 8055, 8070, 8072, quod Casaubonus cæterique omnes recepere editores. Solus Kœnig. posuit *libavit;* qua vero fretus auctoritate posuerit, non monet.

NOT. 4. *At bona pars procerum tacita libabit acerra.* — *Bona pars procerum.* Notandum est Persium in *proceres* principesque potissimum invehi, infimos homines vel dedignatum, vel miseratum. — *Libabit*, sumet thus et fundet ex *acerra*, arcula thuraria quadrata, ac de ære plerumque eleganter facta, unde thus promebatur et in ignem injiciebatur; itaque ponitur pro *sacrificat*, *precatur*. Hor. III, 8, 2 sqq. Ovid. ex Ponto IV, 8, 39 sq.

Nec quæ de parva Dis pauper *libat acerra*
Thura minus grandi quam data lance valent.

Ex hoc colligit exemplo Pratæus, improprie Persium uti verbo *acerra*, quæ fuerit pauperum, quum proceres lancibus uterentur. At vero aliud erat sacrificii genus quod fieret *acerra*, aliud quod *lance*, et utrumque fuit parvis æque ac magnis usitatum; sed fictilis erat *acerra* infimorum, argentea vel aurea primorum. — *Tacita*, per metonymiam pro *tacite*, votis summissa voce nuncupatis, ne iniquitas eorum et fœditas cæteris possit hominibus innotescere.

NOT. 5. *Haud cuivis promptum est murmurque humilesque susurros.* — *Promptum*, expeditum, facile. — *Humilesque susurros*, i. e. pressos *susur-*

ros. — *Humilis* vox, vel *humilis susurrus*, eadem ratione dici potest, sed sensu contrario, qua dicitur vox alta. — Perperam ea verba interpretari illi mihi videntur, qui referunt non ad nefarias preces, quas *tacite et introrsum immurmurant*, sed ad honestissimas illas, quas recitant *clare et ut audiat hospes*. Quo magis miror iis interpretibus Prateum assensisse.

Not. 7. *Tollere de templis et aperto vivere voto.* — *Tollere de templis* interpretantur omnes per *non amplius adhibere in templis*, quemadmodum dicitur *tollere de vivis, de medio*. Mihi vero videtur vox *tollere* convenire cum hac *humiles*, ita ut dicat auctor *tollere humiles susurros*, qua ratione dicitur *tollere vocem, vocem altius efferre*. Neque me moretur *de templis*, quod idem valet ac *de mediis* vel *e mediis templis*. Unde omnia ejus loci verba secum apprime constant, et locutio fit exquisitior (quod est proprium Persii) et sensus oritur paulo felicior. — *Et aperto vivere voto* pro *vota aperta facere*, vel potius pro *ita vivere, ut non sit quod timeat, ne alii vota sua audiant*. — Præceptum fuit Pythagoreorum solemne : μετὰ φωνῆς εὐχεσθαι, *preces alta voce recita*. Senec. Epist. 43 : « Rem dicam, ex qua mores æstimes nostros : *vix quemquam invenies*, qui possit *aperto* ostio *vivere*. Janitores conscientia nostra, non superbia opposuit. » Juvenal. VI, 538; Martial. I, 40, 5 sqq. Exemplum tacitarum precum extat apud Sophocl. Elect. 638 sqq.

Not. 8. *Mens bona, fama, fides; hæc clare, et ut audiat hospes.* — *Mens bona*, i. q. *mens* sana, vel rationis compos. — *Fama*, hic bona existimatio; interdum accipitur in malam, ut in bonam partem; namque hoc est, quod homines vulgo *fantur*. Subaudienda est forsitan vox *bona* cum hac atque cum insequenti. — *Fides*, fidei amor, probitas. Juven. X, 356 :

Orandum est, ut sit *mens* sana in corpore sano.

Senec. Epist. 94 : « Roga *bonam mentem*, bonam valetudinem animi, deinde corporis. » — *Hæc clare;* subaudi : *vota nuncupantur*. — *Et ut audiat hospes;* nimirum audiri ab aliis affectat, qui precatur hæc honestissima. *Hospes*, pro quovis externo, pro proximo quoque ponitur. Sic vetus explicat scholiastes. *Hospes* est proprie qui tecto et mensa excipit aut excipitur; is est igitur hoc loco, quicumque templo fuerit exceptus. Omnem hunc locum ab Horatio imitatur, qui dixit Epist. I, 16, 59 :

Jane pater *clare, clare* quum dixit Apollo,
Labra movet metuens audiri : pulchra Laverna,
Da mihi fallere : da justo sanctoque videri?
Noctem peccatis et fraudibus objice nubem!

Var. 9. *Illa sibi introrsum et sub lingua immurmurat.* — Habent 8070 et 8272 *sub lingua murmurat;* edunt *immurmurat* 8055 aliique laudatissimi, quod per se laudabilius est, quodque omnes receperunt.

Not. 9. *Illa sibi introrsum et sub lingua immurmurat.* — Opponuntur ac respondent hæc omnia illis superioribus : *hæc clare, et ut audiat*

hospes. Pronominibus *hæc* et *illa* grammaticalem suum servari sensum deprehenderis, si modo ad sententias ipsas, quarum alteri alterum adjunctum est, potius attenderis, quam ad ordinem sententiarum verborumque. Etenim *hæc* designat preces, quæ propalam recitantur et quasi propiores sunt; *illa* vero designat eas, quæ fiunt intus, et sunt magis reconditæ et remotæ. — *Sibi;* non aliis scilicet audienda. — *Introrsum et sub lingua,* i. e. ita ut murmur illud *sub lingua* maneat, nec prodeat foras, aliisque innotescant ea quæ optantur. Respice ad Horatii locum superiore nota relatum.

Var. 10. *Ebullit patrui præclarum funus.* — Habet 8272 *Ebuliat patrui*, 8070 *Ebullit patruo;* quæ, etsi non inepta omnino videntur, (ipsum enim *ebuliat* legi possit *ebuljat*, ut *arjete*) posteriora tamen judico huic lectioni: *Ebullit patrui*, quam edit 8055, quamque receperunt omnes ferme editores. *Ebullet* legit Britannicus, quasi ab *ebullo*, *as*. Posuit Kœnig, et quidem unus omnium, *ebullit patruus, præclarum funus;* sicque posuit conjectura, eo quod recurrat non semel apud auctores locutio, *ebullire animam*, *ebullire spiritum*, pro *mori*. Senec. in Apocolocynthosi: « Ille quidem (Claudius) *animam ebullüit*, etc. eo desit vivere videri. » Quæ quidem locutio tracta est forsitan a spuma, quæ in labris morientium animadvertitur. Sed ipse Kœnig fatetur se nusquam vidisse *ebullire* positum absolute pro *mori*. Ad alios autem ac diversissimos sensus sic positum absolute sæpe sæpius recurrit. Cic. Tusc. Quæst. III, 42. Unde arbitror standum esse MMS. Codd., qui nusquam edunt *patruus*.

Not. 10. *O si Ebullît patrui præclarum funus, et o si.... — O si,* optantis et rogantis verba, perfecti per se utrumque sensus, licet interdum, ut hoc loco, copulentur. Virg. Æneid. VI, 187: « *si* nunc se nobis ille aureus arbore ramus. » — *Ebullît,* contractio pro *ebulliat,* vel pro *ebullierit*, sicut apud Horat. Sat. II, 8, 90: « quam si cum lumbis quis *edît;* » aut apud Virgil. Æneid. II, 118: « *vixet*, cui vitam deus, aut sua dextra dedisset. » *Edît* pro *ediderit; vixet* pro *vixisset. Ebullire,* proprie in bullam aquæ exsurgere, quemadmodum e lacu, quando pluit, vel ex aqua ebulliente, quæ intumescit et effluit; metaphorice, derepente apparere ac cito evanescere. Unde proverbium, cujus meminit Terent. Varro « homo *bulla* » hoc loco, *derepente apparere.* — *Patrui;* decentius scilicet votum, quam si dixisset *patris,* quæ vox minus habuisset festivitatis. — *Præclarum funus*, apparatu scilicet et exsequiarum pompa magnificum. Sic dixit, tanquam qui funus optat videre *patrui*, ejus tantummodo gloriam et honorem intueri videatur. Vi comica non eget locus, quem posteri satirici retulerunt. Nihil dicam de eorum interpretatione, qui *funus* explicant per *sepulchrum*, *ebullit* per *ruat et aperiatur,* quasi aurum inclusum inde extrahatur. Quam retulisse interpretationem, fuit confutasse.

Not. 11. *Sub rastro crepet argenti mihi seria, dextro Hercule!* — Sub *rastro*, in agro scilicet, vel in horto; ne mireris attribui *rastrum* alicui procerum. Dabant aliquam agriculturæ operam vel ipsi proceres apud Romanos, et alioquin sibi rastrum se tractare ultro fingat ambitiosus

ille precator. — *Crepet*, strepitum designat rastri *seriam* attrectantis. — *Seria*, testaceum vas oblongum, quo fuit occultatum *argentum*, quodque fuit terra obrutum; qualia etiamnum effodiuntur aliquando. — *Dextro Hercule; dextra*, vox felix; *sinistra*, infelix. *Hercules* recludendis thesauris præses habebatur, sicut Mercurius aperto lucro et negotiationi; unde et Lucrii Dii nuncupabantur. Arnob. lib. IV; Plaut. Mostell.; Diod. Sicul. V, 2; Torrent. ad hunc locum Horatii, Sat. II, 6, 10:

> *O si urnam argenti* fors qua mihi monstret, ut illi,
> *Thesauro invento*, qui mercenarius agrum
> Illum ipsum mercatus aravit, *dives amico*
> *Hercule!*

Not. 12. *Pupillumve utinam*, *quem proximus heres Impello, expungam.* — *Pupillum*, puerum, pecuniosum plerumque, sub tutoris auctoritate constitutum, donec per ætatem fiat sui juris. Legg. XII Tabularum: *Si paterfamilias intestato moritur, cui impubes suus heres escit, agnatus proximus tutelam nancitor.* Vid. Heinecc. de Jure romano. Unde prior sensus oritur, quo tutor legitimus ex lege agnatorum pupillo ipse suo mortem optet, cujus sit *heres proximus*. — Posteriorem vero hunc sensum nonnulli sequuntur: captator, in testamento parentis *proximus heres* filio suffectus, puero mortem imprecatur. Qui quidem minus convenit, quam præcedens, cum voce *pupillo;* ac præterea minus habebit votum comici et impietatis, quam si ipse tutor ei nefaria optet, cujus curam suscepit. — *Impello;* translatum a turba in qua sese homines comprimant, quo citius progrediantur. Positum hic cum delectu; neque enim solum sequi significat, sed etiam studium submovendi antecedentem involvit. — *Expungam*. Metaph. vel a jure civili, in quo is *dispungere* dicebatur, qui mutabat quidpiam in tabulis testamenti, et *expungere*, qui delebat; vel a re militari: milites enim *expungi* dicebantur, quorum nomina post missionem aut mortem delebantur. Unde *manipulos expunctos* dixit Plautus. Ita ut *expungere* idem hic valeat, ac e vita tollere.

Var. 13. *Namque est scabiosus et acri Bile tumet.* — Habet 6272: *Nam est et scabiosus, et acri bile tumet;* quæ lectio minime insulsa est; cæteri omnes: *namque est*, etc. Contendunt nonnulli contra Casaubonum legendum esse *Atra bile tumet*, quia videlicet in græco μέλαινα χολή dicatur. Verum et Græce dicitur, Φυσᾶσθαι χολὴν ἐνδὸν ἔχειν (acrem *intus bilem habere*).

Not. 13. *Namque est scabiosus et acri Bile tumet.* — Adjecta est causa precationis, tanquam ab animo benevolo votum hoc proficiscatur: corpore enim morbido utitur et vitam vivit insuavem, quam ipse libens et felix morte commutabit. — *Scabiosus;* pro omni re corrupta vel mala ponitur *scabiosum*. Horat. Art. Poet. v. 417: « occupet extremum *scabies*. » Juven. II, 80: « unius *scabie* cadit. » Noster, in V, 74: « *scabiosum* far. » — *Et acri bile tumet*. De omni morbo hoc est intelligendum, qui nimia *bilis* abundantia solet excitari. Plato in Timæo, tom. IX, edit. Bipont. *Tumet*, ipsam bilis abundantiam indicat. Horat. Od. I, 13, 4 sqq.

VAR. 14. *Nerio jam tertia conditur uxor.* Sic habet codex probatissimus 8055, aliique optimæ notæ : cæteri, et quidem plures, edunt *ducitur*, quod Casaubonus et Kœnig receperunt. At vero veteres scholiastæ ubicumque interpretantur per *sepelire* uxorem, *tumulare*, etc., etc. Unde conjicias subjectam iis fuisse vocem *conditur*. Nam, etsi monet Servius verbum *duci* proprie de funeribus usurpari, tamen patet ex auctorum lectione *uxorem ducere* significare *ducere* ad aram, vel domum, i. e. in matrimonium *ducere*, minime vero *ducere* ad funus. Ita ut hoc Persii loco non possis interpretari *ducitur uxor* per *tumulatur uxor*. Igitur prætuli *conditur*, quod habet in MMS. 8055, 8070, 8272 aliisque multum auctoritatis, sensumque potiorem.

NOT. 14. *Nerio jam tertia conditur uxor.* — Avarus iste minus aperte nefaria sua vota exprimit, qui alterius sorti invideat, quod tertiam jam amiserit uxorem, i. e. tertia jam dote fuerit potitus. Apud veteres enim Romanos dos pertinebat, primo omnis, dein ex parte ad maritum. Vid. Heinecc. Antiq. lib. I, tit. 50, § 7; Ulpian. Fragm. VIII, 4; Valer. Max. VII, 7, 4, ibique notas. — *Nerio;* fuerit nomen in universum positum, an certi cujusdam *Nerii*, qui Persii vixerit temporibus, nihil liquet.

NOT. 15. *Hæc sancte ut poscas, Tiberino in gurgite mergis Mane caput bis terque.* — *Hæc*, nefaria scilicet. — *Sancte ut poscas;* ironice, et quidem felicissime. — *Tiberino in gurgite*, id est, in Tiberis flumine, aqua fluenti, quæ fuit ad ablutiones, ut marina, consecrata. — *Mergis;* cum delectu positum. Nam qui diis infernis litabant, aqua se tantum respergebant; qui vero diis superis, sese *mergebant*, totumque corpus abluebant. Macrobius, Saturn. lib. III, cap. 11. — *Mane caput bis, terque;* quæ omnia rite fiebant, et ut erat cultu præscriptum. — Arbitrabantur veteres elui lotionibus labes corporis, et castimoniam præstari, quæ diis grata esset. Cic. de Legg. II, 10. Quæ opinio in Oriente adhuc vulgaris est. Mos erat ab ultima antiquitate receptus, ut ex Homero constat, et apud omnes poetas memoratur. Ovid. Fast. IV, 313 sqq. et alibi passim; Virg. Æneid. II, 819; VI, 229; Tibull. I, 11, 34; Petron. 131. — Conf. Lucian. tom. II, p. 781 sqq. edit Reiz.; Juvenal., VI, 523.

NOT. 16. *Et noctem flumine purgas.* — *Noctem*, poetice pro *noctis flagitia resque venereas.* Apud antiquos, Hebræos inprimis, ut ex Mosis lege patet, diu fuit in religione receptum, ut, si quid nocte turpiter fecissent, mane se *flumine* abluerent, præsertim si ad aras vellent accedere. Unde Tibullus, Eleg. II, 1, 9 :

Discedite ab aris
Queis tulit hesterna gaudia *nocte* Venus.

Unde felicissima illa Euripidis sententia, Persianæ sententiæ non absimilis:
Θάλασσα κλύζει πάντα τἀνθρώπων κακά.

NOT. 17. *Heus age, responde : (minimum est quod scire laboro.)* — Hic instituit lepidum Persius dialogismum, quo impietatis convincit homines vota illa improba facientes. — *Heus age, responde;* voces interpellantis. — *Minimum est quod scire laboro;* humanitatis verba, quibus hominem invitat ad respondendum; græce, *μικρὸν ἄνυσον*. Paulo exquisitius

illi mihi interpretari videntur, qui *minimum* dici volunt ad impium, quod *minima curarum ei sit de Jove cogitare.*

Not. 18. *De Jove quid sentis? estne ut præponere cures....—De Jove quid sentis?* Idem, ac si dixisset: *quanti Jovem æstimas? quo loco illum habes?* Sæpe sæpius enim *sentire* idem valet, ac *æstimare, facere.—Estne;* scilicet *estne tanti tibi pretii Jupiter, ut...* vel *estne tibi locus, unde cures,* etc. — *Cures præponere* elegantius positum, quam si simpliciter dixisset *anteponas.* Summa inest huic loco vis ironiæ.

Var. 19. *Hunc cuinam cuinam vis Staio an scilicet hæres.* — Sic edunt MMS. codices omnino omnes, nisi quod in quibusdam recurrit *Stagio*, quod videtur corruptum pro *Stayo.* Quæ sit interpunctio disputant interpretes. Legunt nonnulli: *Hunc cuiquam? — cuinam? — vis Staio?... an scilicet hæres.* Sed lectionem illam, alioquin apertam, rejiciendam censet Casaubonus, qui prius admiserat, motus nempe auctoritate MMS. qui consentiunt in edendo: *cuinam cuinam.* Posuerunt alii: *Hunc.... — cuinam? — cuinam vis? Staio?... an scilicet hæres.* Alii vero: *Hunc?... — cuinam? cuinam?... — vis Staio? an scilicet hæres.* Lectionem ego prætuli, in qua consentiunt MMS. omnes editorumque laudatissimi, quæque sensum habet apertissimum: *Hunc?... — cuinam?... — cuinam?... vis Staio?* Reliqua vero versus verba unus omnium Persii adversario tribuenda censeo, quia sic paulo longius producitur dialogismus, qui vix una voce potuit contineri; simul quia recurrit infra *hoc igitur*, quæ verba melius jungentur cum verbis confitentis adversarii, quam cum verbis ipsius Persii.

Not. 19. *Hunc?... — cuinam? — cuinam?... vis Staio? — Hunc,* Jovem nempe optimum maximum. — Appellatus ille, ignarus quo Persius tendat, scire cupit quid velit, sermonemque arripiens ipse interrogat: *cuinam? — Vis,* subaud. *anteponere. — Staio;* nomen fictum, ait Cornutus, quomodo supra *Nerio;* an fuit iste *Staius* famosus ejus ætatis judex. Ex historia famosissimi judicii Juniani (Cic. Cluent. 24; Brut. 68; Verr. II, 32) mutuatum esse Persium *Staii* nomen indicare videtur scholiastes, cujus verba h. l. corrupta et mutilata sunt; Casaubonusque et multi alii eum secuti sunt. Verum apud Ciceronem est *C. Stalenus*, aut *Staienus*, ut alii legunt; quod nomen longe aliud est ac nomen *Staius.*

Var. 19, 20. *An scilicet hæres, Quis potior judex puerisve quis aptior orbis?* — « Hæc ita uno spiritu continuanda, ait Casaubonus, sublata interrogationis nota, quæ vulgo ponitur post *hæres.* » Plus enim habet constructio veritatis.

Not. 19, 20. *An scilicet hæres, Quis potior judex puerisve quis aptior orbis?* — Quarta pars est dialogismi, responsio ad interrogationem, qua *Staius,* judicum corruptissimus, et puerorum orborum pestis, cum Jove componatur. — *Puerisve quis aptior orbis,* respicit fortasse illa superiora: « Pupillumve utinam, quem proximus, etc.... »

Not. 21. *Hoc igitur, quo tu Jovis aurem impellere tentas;—Hoc,* votum scilicet. — *Igitur;* quoniam ita sentis, quoniam *Jovem* aliquanto potiorem *Staio* putas. — *Aurem impellere;* dicitur vulgo de sono, de

voce, de rebus ipsis; nunc ad personam transfertur. Poetica est locutio pro *quæ a Jove precari audes.* Virg. Eclog. IV, 349. « Maternas *impulit aures* Luctus Aristæi. » Id. Æneid. XII, 618: « Arrectasque *impulit aures* Confusæ sonus urbis.... »

Not. 22. *Dic agedum Staio: Proh Jupiter! o bone clamet, Jupiter!* — Indignabitur *Staius*, si talia apud eum loquaris, et *Jovem* inclamabit.— *Proh*, vox exclamantis et indignantis. Ovid. Metam. XIII, 1, 5,: « *Proh Jupiter*, inquit. » Persius Horatium imitatur, Sat. I, 2, 17 sqq.:

.... Maxime quis non
Jupiter exclamet?

Var. 23. *At sese non clamet Jupiter ipse!* — Edunt Pithæi Codd. *ad sese*, quod non displiceat Casaubono, quod illi tamen non est receptum. Habent *at* cæteri MMS. omnes, quod cum cæteris editoribus prætuli; constructio enim *clamare aliquem* elegantior et poetica magis, quam *ad aliquem*, Virg. Ecl. VI, 43:

His adjungit Hylan, nautæ quo fonte relictum
Clamassent.

Præterea ad distinguendam sententiarum seriem *at* quasi necesse est.

Not. 23. *At sese non clamet Jupiter ipse!* — Deus optimus maximus, supra quem nihil est, nullius fidem implorat, sed suam ipsius. Sublimis est sententia, quæque in sanctis libris recurrat. Genes. XXII, 16: « *Per memet ipsum juravi*, dicit Dominus.... »

Not. 24, 25. *Ignovisse putas, quia, quum tonat, ocius ilex Sulphure discutitur sacro, quam tuque domusque.*—Subaudita videtur aliqua interlocutoris objectio in hunc modum: At si nostra vota Jupiter ita aversatur, cur suam iram non declarat? Tacitæ enim huic objectioni respondet Persius: *Putas ignovisse* etc. Casaubonus vult ea verba *ignovisse putas* etc.... legi simpliciter et narrative, non interrogative. Hic vero subaudiri *ne* monet *an*, quod infra recurrit: An *quia non fibris*..... etc. — *Quum tonat*, Jupiter scilicet; non enim *tonat* absolute dicitur, ut in his locutionibus, *pluit, ningit*, etc. — *Ocius*, h. l. pro *prius*, *sæpius*.—*Ilex*, quercus, pro qualibet arbore altissima. — *Sulphure discutitur sacro*, id est *fulmine*, translatum ex observatione. Senec. Quæst. Natur. II, 53: « Quacumque decidit fulmen, ibi odorem *sulphuris* esse certum est. » Plin. Hist. Nat. XXXV, 15; Virg. Æneid. II, 698. Epitheton *sacrum* et fulmini et *sulphuri* aptum est; fulmen enim est telum Jovis proprium, et *sulphuris* frequens usus erat in expiationibus et lustrationibus quam apud Græcos, tum apud Romanos. Interdum fulmen vocabatur *ignis sacer*, ut testatur Ammianus Marcell. lib. XXIII. Jovem autem fulminantem, pro variis fulminis effectis, latini dicebant vel *excutere*, vel *percutere*, vel *discutere*. — *Quam tuque domusque*, quasi solemnis locutio apud poetas et in sacris. — Conf. Virg. Æneid. IV, 208 sqq.; Lucan. III, 448 sqq.; Juven. XIII, 100 sqq.; Claudian. Epist. ad Hadrian. 38 sqq.; Senec. Hippol. 1228; D. Chrysostomus, homil. de temere jurantibus.

Not. 26, 27. *An, quia non fibris ovium Ergennaque jubente Triste jaces*

lucis evitandumque bidental. — Nihil ultra dixit quam *an quia non jaces percussus fulmine;* sententiam vero expressit ex ritu antiquo, quo fulguriti, vel loca fulmine tacta, ex Etruscorum more et instituto procurabantur.—*Fibris ovium*, extis cæsarum victimarum, quæ inspiciebantur. — *Ergenna*, nomen Etrusci sacerdotis, qui quo more fulgura conderentur jusserat. Forma nominis Etrusca, ut Por*senna*, Si*senna*, Per*penna*, et similia. — *Triste*, mali ominis, mutuatum ab Horatio, Art. Poet. vers. 471 : « . . . . . an triste *bidental* Moverit incestus. » — *Jaces* traxit Casaubonus ad legem Cascam Numæ, qua fulguritum hominem in genua tolli vetabatur : nimis arguta videtur ea interpretatio, quum simpliciter dici soleat *jacere* de quolibet occiso. — *Lucis* intelligit Kœnig de ipsis templis, ubi vota faciat impius precator, et in quibus fulmine tactus jaceat : dici vero quoque potest de quolibet loco, ubi fulmine prostratus fuerit, qui nefaria Jovem oraverit, et ubi sacrificia fiant et cærimoniæ. Nam *lucus* est sacrum nemus, quilibetve alius locus sacer, aut sacratus. — *Evitandumque bidental.* Proprie *bidental* locus est fulguritus, quem fulgurum procuratores cæsis bidentibus expiabant, et circumsepiebant, et religionibus consecrabant, ne quis attingeret. Quod si quis faceret, sese conscelerabat. Unde Horat., loco jam superius citato, dixit *moverit;* unde Noster dicit *evitandum*. Dictum est autem *bidental*, quod in eo *bidentibus* sacrificarent, ait Festus, ovibus scilicet, aut, ut alii volunt, victimis quibuslibet bienniæ ætatis. Hic vero Persius nomen *Bidental* a loco transtulit ad ipsum hominem fulguritum, quemadmodum Lucilius aliique poetæ *carcerem* appellant hominem dignum carcere. Conf. Juven., VI, 586 sqq., et ibi Ruperti; Lucan. I, 606 sq.; Lucian. Jup. Confut. tom. II, p. 638 ed. Reiz.; Amm. Marcell. XXIII; Kirchmann. de Re Funeb. Roman. II, 3; Cicer. de Divinat. II, 18 sqq.

Not. 28. *Idcirco stolidam præbet tibi vellere barbam Jupiter.* — *Stolidam*, metaph. pro *stolide.*—*Barbam vellere*, pro quolibet genere contumeliæ et contemptus. *Præbere vellere barbam* idem valet ac apud Livium lib. IV, cap. 35 : « *præbere* ad contumeliam os. » Quidam allusionem hoc esse contendunt ad factum Dyonisii Syracusani, qui Epidauri barbam Esculapio auream ademit, ludibrium addens : non decere patrem esse imberbem, (nempe Apollinem), filium vero, (scilicet Æsculapium), esse barbatum. Sed ex eo facto vel apud Græcos, vel apud Romanos venisse hanc locutionem usitatissimam vix crediderim. Verisimilius est venisse ex usu veterum effusam promissamque gerendi barbam, quam sibi alii aliis interdum vellicarent. Horat. Satirarum lib. I, 3, vs. 133 : « *Vellunt* tibi *barbam* Lascivi pueri. » Respice ad notas sat. superioris vs. 133, pag. 66.

Not. 29. *Aut quidnam est, qua tu mercede deorum Emeris auriculas?* — *Aut*, initio sententiæ in sermone objurgantis, habet nonnihil venustatis, ut attice *ν*. — *Quidnam est, qua mercede;* pro *quidnam est, quo tanquam mercede.* — *Tu* opponitur verbo *deorum*, ad ostentandam ho-

minis impudentiam. — *Emeris auriculas deorum;* facete, scilicet ut exaudiant preces tuas sacrificiis, tanquam *mercede*, conducti.

Not. 30. *Pulmone et lactibus unctis?* — Monet Casaubonus hæc esse a prioribus separanda et cum interrogatione legenda; sicque monet jure. Summa ironiæ vis est, quum interroget impios, an tantum effici posse per vilissimas partes victimarum arbitrentur, ut deos conducant et corrumpant. — *Pulmone*, ex partibus hostiæ quæ cremabantur. — *lactes;* Nonius in *lac* : *lactes intestina dicuntur;* quasi partes *lacte* candidiores et molliores. — *Unctis*, id est, lautis et pinguibus. *Lactes* et *pulmo* metonymiæ sunt pro quibuslibet partibus intestinis lautioribus.

Var. 31. *Ecce avia, aut metuens divum matertera.* — Hæc habent plerique MMS., receperuntque editores. Codex vero 8272 edit *haud* pro *aut;* quod, etsi mihi non recipitur, potest tamen intelligi. *Avia matertera haud metuens divum*, quod scilicet ineptissimis suis artibus confidat. Neque illepidus quidem sensus est.

Not. 31. *Ecce avia, aut metuens divum matertera.* — *Ecce* indicat auctorem ad aliam partem operis transire : non semel in superiore satira id genus transitionis annotavimus. Vota, quæ nunc ridet Persius, nuncupabantur certis diebus, lustrico præsertim et nominali die apud Romanos, octavo nempe ab ortu pro puellis, nono pro pueris. Vid. Alexand. Neap. Dierum Genitat. lib. II, cap. xxv. — *Avia*, potius quam parens ipsa, ad augendum ridiculum, si anus vetula ponatur. — *Matertera*, soror matris, quasi *mater altera.* — *Metuens divum*, superstitiosa. Casaubonus ad hunc locum : « conveniebat ad nominalia omnis cognatio : lustrandi partes propriæ piatricum muliercularum fuere; quæ erant anus recoctæ, circumferendi et omnium rituum illorum superstitiosorum peritæ : Plutarchus in libro de Superstitione, γραίας περιμαντρίας, sæpius nominat. » Horat. Ep. I, 4, 8 :

Quid voveat dulci nutricula majus alumno?

Not. 32, 33. *Cunis Exemit puerum, frontemque, atque uda labella Infami digito et lustralibus ante salivis Expiat.* — *Exemit cunis puerum*, scilicet ut præsens sisteretur ad sacra, quæ pro ipsius salute tum aliis diis deabusque fiebant, tum etiam deæ Cuninæ, et Pilumno, et Picumno, quæ propria erant infantium numina. — *Frontemque atque uda labella*, felicius indicat, qua sedulitate *et* frontem, *et* labra, *et* honestissimam quamque partem oris vetulæ istæ expiarent. — *Uda*, epitheton aptum infantium labris. — *Infami digito et lustratibus salivis*, figura est vulgo dicta ὑπὸ διὰ δυοῖν. *Infami digito*, medio scilicet; is erat *infamis*, quia non aliæ res nisi probrosæ porrectione hujus digiti indicabantur. — *Lustralibus salivis*, in expiationibus adhibita erat saliva. Observa eosdem ferme ritus in die lustrico et nominali veteribus fuisse usurpatos, qui adhibentur in baptismo christianorum. — *Ante expiat;* scilicet expiationis ritus primum adhibebant, dein vota diis faciebant pro puero. Opponitur *ante* ad *tunc*, quod paulo infra insequitur. — Petronius, 131 : « Mox turbatum *sputo* pulverem *medio* sustulit *digito frontemque* signa-

vit. » Dio Chrysostomus, priore ad Corinthios: « *βόρζορον αἱ γυναῖκες ἐν τῷ βαλανείῳ λαμβάνουσαι τροφοὶ καὶ θεραπαινίδες, καὶ τῷ δακτύλῳ χρίσασαι, κατὰ μετώπου τυποῦσι τοῦ παιδίου.* » (*Solent*, ait, *nutriculæ, aut ancillæ, vel aliæ mulieres, luto e balneis sumpto, digito infantem linere, et frontem illius signare.*) Conf. Martial. Epigr. II, 23; Juvenal. Sat. X, 52; Anthol. Lat. Burm. tom. II, pag. 528; Tertull. de Anima; Plin. Histor. Natur. lib. XXVIII, cap. 4.

Not. 34. *Urentes oculos inhibere perita.* — *Inhibere*, h. l. est prohibere, facere ut non noceant.—*Urentes oculi*, sunt *oculi* nocentes veneficorum. Virg. Eclog. III, 103:

Nescios quis teneros *oculus* mihi fascinat agnos.

Plin. Hist. Nat. VII, sect. 2. Narrat, Cicerone auctore, omnes feminas *oculis nocere*, quæ pupillas duplices habeant. Ad fascinum ab infantibus prohibendum colebant quoque Deam Lucinam. Lactant. I, 20, 36. — *Perita*, per ironiam de vetulæ artibus.

Not. 35. *Tunc manibus quatit et spem macram supplice voto.*—*Tunc*, deinde; respicit ad *ante* supra positum; expiatio enim præcedit preces. — *Manibus quatit; quatere* nimirum infantes *manibus* solebant, dum vota pro iis faciebant, quasi præsentibus diis illos ostenderent. Homerus, de Hectore, Iliad. ζ, 474 sqq.:

Αὐτὰρ ὅγ' ὃν φίλον υἱὸν ἐπὶ κύσι πῦλέ τε χερσὶν,
Εἶπεν ἐπευξάμενος Διΐ τ' ἄλλοισίν τε θεοῖσι.

Quod poeta dixit *πάλλειν χερσίν* (*quatere manibus*), alii *ἀνορχάζειν*, quod exponitur Hesychio, *τὰ παιδία ταῖς χερσὶν ἀναπάλλειν* (*infantes manibus quatere*). — *Spem macram; spes* est vox quasi de infantibus, pueris ac juvenibus consecrata. Unde Virgil. Æneid. lib. X, vers. 524:

Per patrios Manes, et *spes* surgentis Juli.

Idem, Æneid. I, 556:

....Nec *spes* jam restat Juli.

Seneca apud Tacit. Annall. lib. XIV, cap. 53: « Quartus decimus annus est, Cæsar, ex quo *spei tuæ* sum admotus. » Hoc loco, quasi dixisset Tacitus *juventuti tuæ*. — *Macram*, incertam et frugilem. — *Supplice voto*, votis quæ facit suppliciter et humillime.

Not. 36. *Nunc Licini in campos, nunc Crassi mittit in ædes.* — Scriptoribus Latinis ea nomina *Licinii* et *Crassi* pro ditissimo quoque per metonymiam crebro usurpantur. Quare ita factum sit, hæc sunt quæ commonstrent: C. *Licinius Stolo* fuit, qui sua ipsius lege, quam contra Patriciorum opes pertulerat, ne quis plus quam quinginta jugera possideret, M. Popillio Lænate prætore, damnatus est cum filio ob possessa mille amplius *agri* jugera. Vir fuit ille in veteri republica notissimus. Liv. VII, 16; Valer. Maxim. VIII, 61, 3; Gell. III, etc. Neque minus celeber fuit ille M. *Licinius Crassus*, triumvir, ob immensas opes *Dives* appellatus, occisus a Parthis in Oriente cum toto exercitu. Ille *ædium* amplitudine et magnificentia, numero etiam mire delectabatur. Plutarch.

in ejus Vita. Ad hunc alludere crediderim notissimum Sallustii locum : « illos binas, aut amplius *domos* continuare. » Catil. Bell. 20. Memoratur quoque *Licinius Enceladus*, tonsor, Augusti libertus et minister, ditissimus. Juvenal. locis superius citatis; Suet. Aug. 67. — *Mittit;* Jungendum cum *supplice voto;* orat nempe infanti magnas olim opes, agros, domos, etc., et optando velut in earum possessionem *mittit.* Proprie, *mittebat* prætor in possessionem rei alicujus.

Var. 37. *Hunc optent generum rex et regina!* — Edit 8055 *optet* pro *optent*, quod elegantius mihi videtur quodque libens recepissem, nisi in altera lectione cæteri MMS. consentirent omnesque editores.

Not. 37. *Hunc optent generum rex et regina!* — Votum est pro forma corporis et potentia. *Rex et regina* pro nobilissimis et beatissimis positi sunt. Similis color orationis est apud Catull. LXII, 42; Virg. Æneid. XI, 582 sqq.; Georg. I, 31.

Var. 38. *Quidquid calcaverit, hic rosa fiat.* — Hæc verba Kœnig aliter interpungit, in hunc modum : *quidquid calcaverit hic, rosa fiat.* Retulit *hic* ad puerum ut pronomen, non ad locum ut adverbium. Proba utraque lectio est, et utram admiseris capilli interfuit.

Not. 38. *Puellæ hunc rapiant! quidquid calcaverit, hic rosa fiat!* — *Puellæ hunc rapiant,* propter pulchritudinem oris formamque corporis. Similis est in græco locutio ἁρπάζειν et συναρπάζειν; similis in gallico. — *Quidquid calcaverit*, etc. Votum hoc est pro absoluta omnibus numeris felicitate, ut optime colligit Casaubonus, cujus sententiam nequicquam sua vertere Kœnig conatur, qui refert ea quoque ad pulchritudinem venustatemque corporis. — *Hic rosa fiat;* contrarius est huic Persiano hic apud Petron. 44, sensus : « Is *quacumque ibat*, terram *adurebat.* » Respice ad not. 38, 39, 40 sat. superioris. Claudian. in laude Serenæ, 89 :

....*quocumque per* herbam
Reptares, fluxere *rosæ.*

Not. 39. *Ast ego nutrici non mando vota.* — *Nutrici;* sumitur hoc loco *nutrix* latiore sensu, ut eas omnes significet mulierculas, quæ pueri curam agere soleant, ideoque *aviam* quoque et *materteram*, de quibus paulo superius mentio facta est. — *Ast ego non mando;* solemni illa forma orationis (aruspicum enim est verbum *mando*) damnat quæcumque vota faciunt nutrices et feminæ, quæ vera bona qualia sint nequaquam possunt discernere. Seneca, Epist. XXXII : « Optaverunt tibi talia parentes tui : sed ego contra omnium tibi eorum contemptum opto, quoniam illi copiam. » Idem, Epist. LX : « Etiamnum optas, quod tibi optavit *nutrix*, aut pædagogus, aut *mater.* Nondum intelligis quantum mali optaverint. » Idem vocat vota parentum pro pueris *exsecrationes parentum.* Cf. Horat. Ep. I, 4, 6 sqq.; Juven. X, 104 sqq., et 290 sqq.

Not. 40. *Negato, Jupiter hæc illi, quamvis te albata rogarit.* — *Negato hæc illi, Jupiter;* multum habet gravitatis illud ad Jovem votum. Videtur alludere ad precum formulam, quæ apud Platonem tantopere laudatur :

Ζεῦ βασιλεῦ, τὰ μὲν ἰσθλὰ καὶ εὐχομένοις καὶ ἀνεύντοις
Ἄμμι δίδου· τὰ δὲ δεινὰ καὶ εὐχομένοις ἀπαλέξοις!

Jupiter, o nobis, taceamus sive precamur,
Da bona; quæ mala sunt errore petentibus arce.

— *Quamvis te albata rogarit; albis* indutí vestibus erant qui sacrificabant, eo quod ille candor vestium animi significet innocentiam gratiorque diis esse habeatur. Cic. de Legg. II: « *color albus* præcipue Deo charus est. » Ridere istam ipsam opinionem Noster videtur, si versus animum vere sentio. Conf. Horat. Sat. II, 2, 61; Ovid. Trist. II, 653 sqq.; Tibull. II, 1, 15 sqq.

Not. 41. *Poscis opem nervis corpusque fidele senectæ.* — Nunc agit Persius de genere hominum, qui errorem alium in votis errant, quum ipsi sua vota sibi destruunt contraria vitæ ratione. Quod quid est aliud nisi numen irridere? notum est enim Græcorum præceptum: τὰν χεῖρα πυτιφίροντα δεῖ τὰν τύχαν καλεῖν (sic fortunam invoca, ut interea manum ab opere non amoveas). — *Poscis opem nervis;* concisa locutio pro *poscis opem deorum, ut tibi tribuant vim nervorum*, etc. — *Nervis*, quia in nervis potissimum consistit robur corporis. Unde etiam apud Græcos νευροῦσθαι pro *firmari*, quod etiam metaphorice transfertur ad animum. — *Corpusque fidele senectæ*, dictum elegantius pro *corpus cui permaneant suæ vires vel in senecta.*

Not. 42. *Esto, age: sed grandes patinæ tucetaque crassa.* — *Esto, age.* Probat his verbis voti genus, ostenditque per deos licere voti compos fiat precator. — *Grandes patinæ;* ea vox *patinæ*, a græco πατάνια vel βατάνια, designat genus lancis, in qua escæ apponebantur; h. l. pro ipsis escis. — *Tucetaque crassa;* opiparum erat ferculum nobis ignotum. Vocem esse Gallicam veteres monent critici; græcis exponitur ζωμὸς παχύς, quod firmat vox *crassa*. Arnobius videtur genus minutiis fartum intelligere, et a verbo *tundo* vocis originem repetere. Cf. Horat. Sat. II, 2, 95; Juv. IV, 131 sqq.

Not. 43. *Annuere his superos vetuere, Jovemque morantur.* — *His,* votis tuis. — *Annuere superos vetuere;* magna vis est locutionis, qua *tuceta* et *patinæ* dicuntur superorum impedire potestatem. — *Jovemque morantur,* impediunt quominus tibi facilis esse possit, etiamsi velit. Sensus totius loci: *gula tua facit, quominus voti damneris;* lepidissima vero est forma orationis. — Conf. Horat. II, 3, 288 sqq.; Diogen. Laert. de Diogene Cynico; Clement. Alexandr. Stromat. lib. VII; Maxim. Tyr.; Timoth. ad Ecclesiam Cathol. lib. I: » Inconsultissimum, *ait*, ac stultissimum est, id quosdam agere, ut, quod affectu ac voto volunt, idipsum re atque actu nolle videantur. »

Not. 44. *Rem struere exoptas cæso bove, Mercuriumque Arcessis fibra.* — Sequitur alterum exemplum ab iis petitum, qui amplissimis sacrificiis greges suos volunt augere, quum tamen non possit fieri, quin ipsa frequenti mactatione minuantur. — *Cæso bove;* æque ac *fibra*, pro *sacrifi-*

cando. — *Bos*, ut scribit Plin. maj., victima optima et qua certissima deorum placatio fieret. — *Rem struere*, usitatior locutio, a Græco ἐπισωρεύειν. — *Mercurium*, deum scilicet lucri. Vid. Homer. Iliad. ξ, 489 sqq. Conf. Horat. Sat. II, 6, 4 sqq.; Ovid. Fast. V, 689 sqq. — *Arcessis fibra*, hoc efficere optas sacrificando, ut *Mercurius* te præsens exaudiat. *Fibra*, vox in sacris solemnis, quia *fibris* consultis vaticinatio fiebat. Scribit Varro extremum ab antiquis dictum fuisse *fibrum*, unde in sagis *fimbriæ*, in extis *fibræ* dictæ sunt.

Not. 45. *Da fortunare penates!* — Nulla interposita transitione, ipsas hominis preces recitat. Græca est dicendi ratio; Callim. Hymn. in Dian. 6. — *Da*, concedas, vox in precationibus solemnis. — *Fortunare*, in precibus usitatum. Cic. Epist.: « Tibi matrimonium dii *fortunent*. » Id. pro Murena. — *Penates*, domus, facultates, opes. Ovid. Metam. I, 486; Trist. I, 1, 34.

Not. 46. *Da pecus, et gregibus fœtum! Quo, pessime, pacto.* — Distinguendum vel hoc loco forsitan *pecus* a *grege*. Alterum magna pecora, alterum parvas pecudes designat. Verba sunt hominis omnis generis opes sibi exoptantis. — *Fœtum;* ut increscant *greges*. — *Quo, pessime, pacto?* Indignatur stultitiam hominis. *Quo pacto;* subaudi, id dabitur a superis, quod exoptas.

Not. 47. *Tot tibi quum in flammis junicum omenta liquescant.* — Arguit *pessimum* precatorem dementiæ, qui putet gregem augeri, quum sacrificiis quotidie minuatur. — *Junices*, boves sunt *juniores*. — *Omenta*. Plin. Hist. Nat. II, 37, ait esse membranas tenues, quæ ventrem interiorem integunt. — *In flammis liquescant*. Partes *omento* involutas comburi solitas fuisse notum est. Homer. Iliad. α, 460; δ, 240; Catull. XC, 6:

Omentum in flamma pingue liquefaciens.

Sic ad eum versum annotat Casaubonus: « Etsi in honorem deorum mactari victimæ dicebantur, ut plurimum tamen minuta quædam diis adolebant, cætera convivantes absumebant.

Var. 48. *Et tamen hic extis et opimo vincere ferto Intendit.* — « Recte *ferto*, ait Casaubonus, non *farto*, quod in depravatis codicibus inventum male tuentur. Catonem, de Re rustica, cap. 134, lege. » — Legunt quidam: *Attamen*.

Not. 48. *Et tamen hic extis et opimo vincere ferto Intendit.* — *Et tamen hic;* avarus scilicet et stultus precator. — *Extis*. Cor, pulmo, lien, jecur, cæteraque minuta diis præcipue reddebantur; hæc erant *exta*. Virg. Georg. II, 194:

Lancibus et pandis fumantia reddimus *exta*.

— *Ferto*, quasi *feretro*, a *ferre;* id est, quod ad aras *ferebatur*. His verbis *extis* et *ferto* intelligit varia genera oblationum, eademque amplissima fuisse *opimo* confirmat. — *Vincere;* Deos expugnare muneribus.

Not. 49, 50. *Jam crescit ager, jam crescit ovile; Jam dabitur, jam*

jam!... — Verba sunt avidissimi ac stultissimi precatoris, quæ recitat simili ratione ac supra ad v. 45. Jam sibi tenere videtur homo et gratulari, quæ exoptavit. — *Jam*, ecce.

Not. 50, 51. *Donec deceptus et exspes Nequicquam fundo suspiret nummus in imo.* — Quæ ad illum stultum proprie pertinent, ad nummum translata sunt, in *imo* arcæ *fundo* reliquum. Is quasi contubernales suos alium post alium viderat depromi, sacrificiisque impendi, semperque speraverat fore ut arca novis advenis, deo tandem exorato, compleretur, atque ut ipse immotus in sua sede permaneret. Sed tandem *deceptum* se sentit, et jam *exspes suspirat*, quum ad postremum ipse sit expromendus. Formam hanc orationis ab Hesiodo Noster mutuatus est.

Var. 52. *Si tibi crateras argenti incusaque pingui.* — Habet 8055 *incussaque* ab *incutere*, cæteri vero *incusaque* ab *incudere*. Plus habet postremum Latinitatis, ut auctoritatis. — *Si tibi crateras argenti incusaque pingui;* legit Casaubonus *craterras*, ut verbum *craterra* a *cratere* distinguatur. Sed ita cavere nihil necesse fuit.

Not. 52. *Si tibi cratèras argenti incusaque pingui Auro dona feram.* — Jam Persius fontem aperit totius erroris in invocandis colendisque numinibus: homines nempe deum ingeniis suis metiuntur, et qui auri cupiditate ardent, de numinibus idem putant. — *Crateras argenti incusaque pingui auro dona;* figura est ἐν διὰ δυοῖν, quasi dixisset *crateras ex argento et cælatas auro*. Senec. Epist. 5: « Non habemus *argentum*, *in quod solidi auri cælatura* descendit. » Virgil. Æneid. V, 536: « *Cratera impressum signis.* » Hujusmodi *crateris* descriptio est apud Stat. Theb. VI, 531 sqq.

Var. 53, 54. *Sudes et pectore lævo Excutiat guttas lætari prætrepidum cor.* — Magna est inter editores de hujus loci lectione contentio, ut de interpretatione. Edant quidam MMS. Codd. *excutias* et *lætatur*. Quæ si receperis, sic interpunxeris: *Sudes et pectore lævo excutias guttas: lætatur prætrepidum cor.* Placet vero magis altera lectio, quam tuentur et MMS. nonnulli, et editor Kœnig probatissimus, et anologia græca constructionis, et sensus simplicior. Legerunt nonnulli *lætaris;* quod conveniat cum *excutias*.

Not. 53, 54. *Sudes et pectore lævo Excutiat guttas lætari prætrepidum cor.* — *Sudes*, trepides exultans; eodem sensu verbum recurrit infra, III, 47. — *Pectore lævo;* nonnulli interpretantur *malo, improbo;* prætuli de sinistra parte corporis intelligere. Juvenal. VII, 159:

....Quod *læva* in parte mamillæ
Nil salit Arcadico juveni.

— *Excutiat guttas.* Quidam intelligunt *eliciat lacrymas*, quas profundat homo sibi gaudio non temperans, et eum sensum ipse Kœnig admisit. Sed ea interpretatio cum iis verbis *et pectore lævo* vix convenire potest. Nam intelligere *abstergere lacrymas stillantes in pectore* minus felix videtur. Locum omnem sic Reizius explicuit sensumque ita constituit: « *Sudes, et cor prætrepidum*, sive *properans, lætari excutiat guttas sudoris pectore lævo*, sive *sinistra parte corporis*, ubi cor salit et sudor erumpere

solet. » Hanc explicationem ego secutus sum, neque moveor eo quod monet Kœnig, *excutiat guttas* de sudore non posse intelligi, quum jam præcesserit *sudes*. Nam ea vox *sudes* nihil aliud significat quam *trepides, æstues*, quæ res paulo fusius et ornatius poetæ fuit exprimenda per ea quæ sequerentur. Adde quod ea pars corporis *sudet* potissimum, quæ potissimum commoveatur. Hoc autem loco movetur *cor* et trepidat.

Not. 55. *Hinc illud subiit, auro sacras quod ovato.* — *Hinc*, quia tu homo tantopere auro et donis delecteris. — *Illud subiit;* hoc venit in mentem, profectum ex errore. — *Ovato auro;* intellige pecuniam quæ ex præda vendita victoribus ducibus colligebatur; manubias appellabant simulacra et imagines sic in templis erectas. In fastigiis fori Trajani simulacra sunt sita circum undique inaurata equorum atque signorum militarium, subscriptumque est *e manubiis*. Ejus rei exempla innumera habet Roman. historia; sed aurum ex hoste captum scriptoribus vulgo dicitur potius *triumphatum* quam *ovatum*. Vid. Aul. Gell. XIII, 23. *Ovatio*, minor triumphus, sic dicta, ut nonnullis placet. quia in ea mactabatur *ovis*, bos in altero. Male quidam deducunt *ovatum* ab *ovo*, quod quæ inaurantur prius *ovi* albo illinuntur. Quam frustra tuetur interpretationem Britannicus.

Not. 56. *Perducis facies.* — *Perduci* proprie dicuntur imagines e gypso et marmore, non ex auro, vel ex ære, vel e metallo quolibet. Dictum est igitur hoc loco metaphorice, si modo quid amplius ea vox significat, quam oblinere, inaurare. — *Sacras facies*, deorum nempe imagines.

Not. 57, 58. *Nam fratres inter ahenos Somnia pituita qui purgatissima mittunt.* — Rem exemplo planius explicat. Nam, exempli gratia, inquit, sunt in Apollinis Palatini porticu quinquaginta Ægypti filiorum effigies consecratæ omnes ex ære, et honore pari: verum, si persuasum alicui fuerit, se veriorem incubando divinationem esse consecutum (quam rem fieri veteres arbitrabantur), idque existimet factum fuisse potius horum munere, quam illorum, is hos, quos sibi propitios credit, instituit singulari honore præ cæteris afficere et auro colere. Barbam igitur auream illis jubebit apponi. Pro *fratribus ahenis* placet quibusdam esse intelligendos deos omnes, qui communem matrem magnam habeant Berecynthiam. Alii non omnes intelligunt, sed eos tantum, quorum essent in eodem templo statuæ; alii penates, qui in eadem familia colerentur, ita ut quasi *fratres* essent; alii Castora et Pollucem, quorum *fratrum* ædes Romæ fuit celeberrima; alii, iidemque numero et auctoritate majores, Acronem secuti cujus meminit Cornutus, quinquaginta censent fuisse statuas Danaïdum in porticu Apollinis Palatini, et totidem equestres sub Dio filiorum Ægypti; *ex quibus* statuis quædam existimabantur postulantibus *vera somnia immitti*, atque horum ait Noster præcipuum esse cultum, *barbamque* inaurari ab iis, qui nihil præter terrena sapiunt, suaque diis munera volunt rependere. Propert. II, 23, 1 sqq.; Ovid. Trist. III, 1, 59 sqq.; Veterem scholiastem vide.—*Somnia pituita purgatissima*. Sic appellat figurate somnia, quæ sint fide dignissima; verissima

enim ea esse credebantur, quæ non ex humoribus morbidis provenirent. Macrob. Somn. Scip. 3; Cic. de Divin. I, 43; Sueton. Vespas. 7.

Not. 58. *Præcipui sunto, sitque illis aurea barba.* — *Præcipui sunto;* præcipuo honore coluntor, non minori quam dii magni ipsi. Proprius enim magnorum deorum honos videtur fuisse *aurea barba;* Suet. Cal. 52. Unde Noster stulto homini, qui velit inferiora numina præcipuo honore prosequi, tribuit has voces: *sitque illis aurea barba.* Signis autem vel ex ære, vel ex marmore factis aurea quædam ornamenta quondam fuisse apposita constat ex auctoribus atque ex ipsis monumentis. Sic præcipuo cultu propitios sibi deos remunerabant. Cicer. de Natur. Deor. III, 34; Ælian. Var. Hist. I, 20; Valer. Maxim. I, 1, 2; Lucian. in Tim. tom. I, pag. 107, edit. Reiz.; Plin. Hist. Nat. passim. Unde etiam locutio fuisse videtur et in proverbium abiisse, quæ recurrit apud Petron. cap. 58: « Licet *barbam auream* habeas. »

Not. 59. *Aurum vasa Numæ Saturniaque impulit æra.* — Eumdem errorem Noster insectatur, quo vetustissima vasa ænea et fictilia, a majoribus ad res sacras adhibita, in *aurea* mutantur. — *Vasa Numæ;* testacea, simplicia, qualia adhibuit *Numa* Pompilius religionum rituumque apud Romanos auctor. — *Saturniaque æra.* Alii intelligunt *æneas Saturni crateras;* alii, inter quos eminet Casaubonus, pecuniæ genus æneum, quod primis reipubl. temporibus erat usitatum, quum in æde Saturni publicum ærarium asservaretur. Priorem vero sensum posteriori præposueris, si modo respexeris hic agi de rebus aureis quæ pertineant ad cultum deorum, non vero de iis quæ ad usum civilem. — *Impulit; impellere* dicitur de eo qui aliquem de statu dejicit, et labantem in ruinam *impellit.* Verbum e re gymnastica translatum, pro e templis removit et contemni fecit. Rerum eam conversionem mutatamque imperialibus divitiis reipublicæ paupertatem simul cum Persio queruntur scriptores Latini fere omnes, præcipue Cic. Paradox. I; et alibi passim; Plin. Hist. Nat. XXXIII, 11; etc.

Not. 60. *Vestalesque urnas et Tuscum fictile mutat.* — *Vestalesque urnas;* urnæ quondam simplicissimæ, quibus aquam ad sacra Vestæ facienda Vestales gestabant, ut de Tarpeii filia notum est, quæ arcem Sabinis prodidit. Tit. Liv. I; Ovid. Fast. III, 11 sqq. — *Tuscum fictile;* ab Etruscis, qui plastica et figlina præ cæteris excellebant, omnes fere ritus religiosos cum instrumentis ad deorum cultum pertinentibus Romani acceperunt. Per *Tuscum fictile* possunt intelligi non vasa tantum, sed ipsa deorum simulachra, quæ *fictilia* quondam fuere. Senec. Consol. ad Helv.: « Tunc per *fictiles deos* religiose jurabatur. » — *Mutat;* pro usum eorum tollit. Simul cum *fictilibus* pietatem fuisse sublatam e templis veteres monent. Juvenal. VI, 342 sqq.

Var. 61. *O curvæ in terras animæ et cœlestium inanes!* — Alii legunt *in terris,* quod æque habet auctoritatis et Latinitatis, quodque tuetur ad sensum Casau-

bonus. Sæpius etiam recurrit in membranis *in terris;* sed apud Lactantium, qui lib. I, cap. 2, 13, locum retulit fusiusque commentatus est, legere est *in terras.*

Not. 61. *O curvæ in terras animæ et cœlestium inanes! — Curvæ;* pronæ, quemadmodum apud Ovid. Metam. I, 84 sqq.:

> *Prona*que quum spectent animalia cætera *terram*,
> Os homini sublime dedit, cælumque tueri
> Jussit, et erectos ad sidera tollere vultus.

Hic vero satiricus longe aliter facere hominem indignatur, ac natura *jusserit*, ignarumque naturæ deorum nihil ultra res terrenas spectare.

Var. 62. *Quid juvat hos templis nostros immittere mores.* — Legunt Casaubonus, et Kœnig aliique fere omnes editores *hoc;* ego vero prætuli *hos* quod in meis nonnullis MMS. recurrit, quodque elegantioris videtur esse Latinitatis.

Not. 62. *Quid juvat hos templis nostros immittere mores. — Quid juvat immittere;* quem tandem ad finem immittitis? — *Hos,* præsentes, pudendos. — *Templis immittere mores,* felicior figura pro ad deos transferre. Plato in Eutyphr. tom. I, pag. 33, Ed. Bipont.: Φράσον δή μοι, τίς ἡ ὠφέλεια τοῖς θεοῖς οὖσα ἀπὸ τῶν δώρων ὧν παρ' ἡμῶν λαμβάνουσιν. Ἃ μὲν γὰρ δίδόασι παντὶ δῆλον. Οὐδὲν γάρ ἐστιν ἡμῖν ἀγαθὸν ὅ, τι ἂν μὴ ἐκεῖνοι δῶσιν· ἃ δὲ παρ' ἡμῶν λαμβάνουσι, τί ὠφελοῦνται; « dic mihi quisnam sit diis earum rerum usus, quas a nobis dono accipiant? Nam quæ ipsi largiantur, ubique propalam sunt. Nullum est enim nobis bonum, quod ab ipsis non accipiamus; iis vero quæ a nobis accepere, quo modo tandem utuntur? »

Not. 63. *Et bona dis ex hac scelerata ducere pulpa. — Et bona dis ducere;* judicare quæ diis grata sint et utilia. — *Ex hac scelerata pulpa;* ex nostro sensu corrupto ac depravato, ita ut, quemadmodum nos corrupti sentiamus, ita deos sentire velimus. *Pulpa,* proprie caro uvarum, fructuum, arborum; omnis caro sine ossibus. Hic pro omni corpore, vel etiam pro mollitie ac luxu quo diffluimus accipitur; plane sicut in sacris libris *caro* solet poni. *Scelerata,* quia corpori per flagitia ac scelera voluptuarii gratificari solent.

Not. 64. *Hæc sibi corrupto casiam dissolvit olivo.* — Hoc versu ac septem sequentibus comparat inter se luxuriam, quæ ab hominibus in habitu cultuque corporis usurpatur, cum illa quæ in cultu deorum. Utramque pronuntiat esse vitiosam; majus tamen ejus vitium est, qua res pretiosas diis offeramus, quibus neque indigeant, neque utantur, uti nos mortales. — *Hæc; pulpa* scilicet aut luxuries, cujus enumerat quatuor studia inania, ut appareat ex ejus judicio nihil esse de diis statuendum: 1° unguenta, quæ intelligit pro *casia oleo dissoluta;* 2° purpuram, pro *vellere Calabro*, qui *murice vitiatur*, id est, tingitur; 3° gemmas, pro *baccis conchæ abrasis;* 4° aurum, pro *strictura venæ de crudo pulvere.* — *Casiam sibi dissolvit olivo.* Unguenta, secundum Plinium, Hist. Nat. XIII, sect. 1, constabant ex odoribus tritis *oleo* admisto et resina aut gummi, ut diutius bene olerent; coloris gratia, interdum cinnabaris

addebatur, aut anchusa. Odor autem suavissimus habebatur et ad omne genus unguentorum adhibebatur *casia*. Vid. infra ad Satir. VI, 36. *Olivo*, pro oleo. — *Corrupto;* id est, *casia* temperato. Quidquid desinit illud esse quod fuit, *corrumpi* dicitur. Plutarch. Symp. Quæstion. V, tom. XI, ed. Hutt.: Τάς τε μίξεις τῶν χρωμάτων οἱ ζωγράφοι φθορὰς ὀνομάζουσι, καὶ τὸ βάψαι μιῆναι κέκληκεν ὁ ποιητής. (Misturas colorum pictores vocant corruptiones, et inungi dixit contaminari Homerus, Iliad. δ, 141.) Conf. Gatack. ad Marc. Antonin. de rebus suis, VI, § 30; Heynium et Voss. ad Virgil. Georg. lib. II, vers. 466.

Var. 65. *Et Calabrum coxit vitiato murice vellus.* — Pro *et* recepere nonnulli editores *hæc*, quod edunt quoque MMS. Codices: Habet *et* laudatissimus meus 8055.

Not. 65. *Et Calabrum coxit vitiato murice vellus.* — *Calabrum vellus;* lanam scilicet Tarentinam, quæ fuit optima. Plin. Hist. Nat. VIII, 48; IX, 61 sqq. — *Murice;* conchyliaci piscis fuit genus *murex*, cujus sanguine ad purpura tingendum utebantur. Virg. Æn. IV, 262. — *Vitiato;* ad *vellus* potius quam ad *muricem* proprie pertinuit, eademque ratione positum est ac supra *corrupto*. — *Coxit;* quia concoquitur lana in colore, quo tingatur. Virg. Georg. II, 466:

Alba nec Assyrio fucatur lana veneno,
Nec *casia* liquidi *corrumpitur* usus *olivi*.

Not. 66. *Hæc baccam conchæ rasisse.* — *Baccam;* vox est propria fructuum; Virg. Georg. lib. I, vers. 306: « lauri *baccas*. » Idem Georg. lib. II, vers. 319: « Sicyonia *bacca*. » Hoc loco metaphorice dicitur pro margarita, ut apud Horat. Epod. lib. 8, vers. 13:

Nec sit marita, quæ rotundioribus,
Onusta *baccis* ambulet.

Virg. Æneid. lib. I, vers. 654:

.... colloque monile
Baccatum.

Quod in fructibus arborum vocat *baccam* Virgilius, id *nucleum* dicit Plinius; pro *nucleis* autem infimæ latinitatis auctores posuere *perulos;* unde verbum gallicum *perles*. Vid. scholiast. Horatii. — *Rasisse;* explicari potest ex hoc loco Plinii Hist. Nat. IX, 35: « Crassescunt etiam in senecta (uniones), *conchis*que adhærescunt, nec his avelli queunt nisi lima. » Obruebantur etiam *conchæ* in vasis fictilibus sale, quo omni carne erosa uniones decidebant. Ælianus de Nat. Anim. XV, 8. Quantopere in usu essent uniones apud Romanos, licet videas ex exemplis, quæ refert Plinius loco citato. Omnis ea locutio *baccam conchæ rasisse*, Græco similis videtur. Athenæus, lib. III: τὸν μαργαρίτην χωρίζειν ἀπὸ τοῦ κόγχου; (*baccam* separare a *concha*.)

Not. 66, 67. *Et stringere venas Ferventis massæ crudo de pulvere jus-*

sit. — *Venas;* ramenta metallorum, h. l. auri et argenti. Cic. de Nat. Deor. lib. II: « Adde etiam reconditas auri argentique *venas.* » Virgil. Georg. lib. II, vers. 166:

Hæc eadem argenti rivos ærisque metalla
Ostendit *venis.*

Plinius, de Auro, quod puteorum scrobibus effoditur, Histor. Natur. lib. XXXIII, cap. 21 : « vagantur hi *venarum* canales per latera puteorum, et huc illuc, inde nomine invento : tellusque ligneis columnis suspenditur. Quod effossum est, tunditur, lavatur, uritur, molitur in farinam, ac pilis cudunt. » — *Massa;* omnis materies, quæ coquitur in fornace. — *Stringere;* proprie coercere, malleo tundere, ita ut eliciantur *stricta.* In arte metallica *stringi* dicitur de ferro quod in *massam* conflatur. Unde Virg. Æneid. lib. VIII, vers. 420 :

.... stridunique cavernis
Stricturæ chalybum, et fornacibus ignis anhelat.

Plin. Hist. Nat. XXXIV, sect. 41, observat ferri massas *stricturas* dici, a *stringenda* acie; in aliis vero metallis *stricturæ* nomen non adhiberi. — *Crudo de pulvere;* ramenta metalli cum terra commixta, antequam fornace coquantur et purgentur. — Locum omnem sic explicari placet : « Hæc eadem corruptela nos impulit ad recolligendas ex indigesto pulvere metalli venas, et in unam massam coercendas, quæ fervet, dum igne subigitur. » Hoc loco litem intulit Casaubono Kœnig, quod *stringere* interpretetur per *conflare in massam;* ipse enim censet explicandum per *separare a scoriis et purgare.* Separatur quidem metallum a pulvere, antequam in massam confletur, sed ut in massam confletur. Capilli igitur interest, utram sequaris interpretationem.

Not. 68. *Peccat et hæc peccat; vitio tamen utitur.* — *Hæc* referunt nonnulli non ad *pulpam* vel corruptelam, unde vitia proficiscantur nunc memorata, sed ad vitia ipsa, et vocem poni censent non in nominativo, quæ regat *peccat,* sed in accusativo, ita ut ipsa regatur. Verum eam errare sententiam monet ipse tenor orationis : HÆC *sibi corrupta* etc. ; HÆC *baccam concha* etc. ; *Peccat et* HÆC, *peccat. Et hæc,* id est, et ipsa corruptela, quæ talia faciat. — *Vitio tamen utitur;* id est, at certe percipit aliquem vel ex suis vitiis fructum. Senec. in lib. III, de Ira, pejorem ait esse iram quam luxuriam, eo quod luxuria *sua voluptate fruatur.*

VAR. 69. *Dicite, pontifices, in sacro quid facit aurum.* — Habent et membranæ complures *in sancto;* et quidem legitur *in sanctis* apud Lampridium de Alexandro Severo, qui imperator suam in sacrificando modestiam hoc Persii versu excusavisse memoratur. Prætuli *in sacro,* quod plures edunt MMS. Codd., quia et templum et sacrificium æque designat, propriusque videtur ad rem de qua nunc agitur. Habet 8273 *in templo.*

Not. 69. *At vos, Dicite, pontifices, in sacro quid facit aurum.* — Vivi-

dior est locutio pro : *cujus tandem est pretii aurum in templis?* Rogat sacerdotes rationem reddant earum rerum, quæ fiunt in *sacris*. Cf. Sen. Epist. XXXI, in fin. : « ...Exsurge modo, *et te quoque dignum finge deo.* Fingas autem non auro, non argento; non potest ex hac materia imago Deo exprimi similis. Cogita illos, quum propitii essent, fictiles fuisse. » — *In sacro;* in templis, ubi sacra fiunt.

Not. 70. *Nempe hoc quod Veneri donatæ a virgine puppæ.* — Quasi dixisset : *nihil.* Sententiam vero per figuram expressit ab usu ductam, quo virgines pubertatem consecutæ, aut nupturæ, *puppas* Veneri dicabant, ut Ephebi bullas. *Solebant virgines*, ait scholiastes, *antequam nuberent, quædam virginitatis suæ dona Veneri consecrare.* In omni mutatione, insignia vel instrumenta vitæ anteactæ diis consecrare, moris erat apud antiquos. Horat. Epist. I, 1, 4 :

.... Vejanius, armis
Herculis ad postem fixis, latet abditus agro.

Idem, Od. III, XXVI, 3 :

Nunc arma defunctumque bello
Barbiton hic paries habebit.

— *Puppæ* dicebantur puellares imagunculæ, quas puellæ in deliciis et in ludo habere solent; in Græc. κλαγγών. Puellas vero ipsas juniores vocabant *puppas*, quemadmodum teneros pueros *puppos*. Conf. Alex. ab Alex. V, 18; Dio. Chrysostom. in Rhodiaca. Lactant. Instit. II, 4, 13, eumdem hunc Persii locum tractans, imagines et statuas deorum nihil aliud esse ait, quam *grandes puppas*.

Not. 71, 75. Superioribus versibus sacra quæ fiant reprehenderat; nunc qua ratione confieri optime possint, docet. Scilicet nulla gratior esse potest numini oblatio, quam bonæ mentis. Quæ gravis sententia satiram feliciùs concludit. Conf. Platon. lib. De votis, sub finem.

Not. 71. *Quin damus id superis de magna quod dare lance.* — *Damus;* verbum in sacrificiis solemne, quo major sententiæ concilietur auctoritas. Brisson. de Form. I, 25. — *De magna lance; Lancium* pene in sacris notissimus; iis *exta reddebantur?* Virg. Georg. lib. II, v. 194. De lancium mira magnitudine et pondere, vid. Plin. Hist. Nat. XXXIII, sect. 53.

Not. 72. *Non possit magni Messalæ lippa propago.* — Intelligenda est proles degenerata *Messalæ*. Hoc *Messalæ* nomen pro quovis nobili ac divite poni solet a poetis. Martial. Epigr. X, II, 9 :

Marmora *Messalæ* findit caprificus.

Magni Messalæ; M. Valerius Corvinus *Messala*, a *Messana* urbe Siciliæ ab eo expugnata, mutata una littera dictus, auctor et caput fuit illustris *Messalinorum* gentis. Vid. Liv. VII, 36 sqq.; Macrob. lib. I, Satur-

nal. cap. 6, sub finem. — *Lippa propago;* intelligit, ut volunt nonnulli, Cottam *Messalinum*, qui, crapulæ deditus et gulæ, et a majoribus degener, in senectute adeo *lippus* fuit, ut palpebræ ejus in exteriorem partem conversæ essent. Potest vero dici *lippa* pro miseranda, contemnenda, quemadmodum ad satiram superiorem v. 79.

VAR. 73. *Compositum jus fasque animo.* — Alii MMS. Codd., inter quos 8055, edunt *fasque animi*, quod Casaubonus nonnullique ab illo receperunt. Prætuli *animo*, quod idem valet ac *in animo*, quodque latinitatis videtur paulo exquisitioris. Posuerunt *animo* Kœnig et Gifford.

NOT. 73. *Compositum jus fasque animo, sanctosque recessus Mentis.* — *Jus*, est id quod sancitum est et licet lege humana; *fas*, quod divina. Virg. Georg. I, 268 sqq.:

> Quippe etiam festis quædam exercere diebus
> *Fas* et *jura* sinunt.

— *Sanctosque recessus mentis;* felicior locutio pro eo quod latet vel in intimo corde. Idem expresserunt Græci in hunc modum: μυχοὶ τῆς διανοίας et ἄδυτα, Philo Judæus, in libro Deum mutari non posse; τὰ κρυπτὰ τῶν ἀνθρώπων, D. Paulus, Rom. II, 16; κόλπος ψυχῆς, Chrysostomus, in Matthæum V; etc. Conf. Theocr. XXVIII, 3.

NOT. 74. *Et incoctum generoso pectus honesto.* — *Honestum* pro ipsa virtute dicitur, quemadmodum Hellenice τὸ καλόν. — *Generoso;* naturali, vel potius liberali, ingenuo. — *Pectus* sæpe sæpius in poetis est idem ac animus. — *Incoctum;* tractum ab arte tinctorum, qui lanas in dibaphis et coloribus solent *coquere*. Marc. Antoninus, de Rebus suis III, 54: δικαιοσύνῃ βεβαμμένον εἰς βάθος; Senec. Epistol. LXXI, sub fin.: «Quemadmodum lana quosdam colores semel ducit, quosdam nisi sæpius macerata et *recocta* non perbibit; sic alias disciplinas ingenia quum accepere, protinus præstant: hæc nisi alte descendit, et diu sedit, animum non coloravit, sed infecit: nihil ex his quæ promiserat, præstat.» Omnem hunc Persii locum Lactantius lib. VII, 21, 6, retractavit et explicuit.

VAR. 75. *Hæc cedo ut admoveam templis, et farre litabo.* — Multum in hoc versu variant MMS. Codd. Edit. 8055: *Hæc cedo ut admoveas templis et farre libato.* Quæ lectio minime inepta est, quum habeat sacerdotis gravitatem populum admonentis. Habet 8273: *hæc cēdo: admoveam templis, et farre litabo;* sensus est et ipse satis probabilis, constructio paulo abruptior. Lectionem prætuli, quæ plurimum habet auctoritatis, quæque sensum efficit honestissimum. Factus enim poeta ex derisore precator, sibi orat quæ sint Diis acceptissima.

NOT. 75. *Hæc cedo ut admoveam templis, et farre litabo.* — *Hæc;* has animi dotes superioribus versibus relatas. — *Cedo;* date mihi, mihi liceat. — *Admoveam templis;* inferam ad aras. — *Farre;* pro quovis

munusculo. Proprie *far* est frumentum, hordeum, farina. *Far pium* in sacris afferebant, sive *salsam molam*. Virg. Ecl. VIII, vers. 82; id. Æn. lib. II, vers. 133; id. Æneid. lib. V, vers. 745:

Farre pio et plena supplex veneratur acerra.

Plin. Hist. Nat. XVIII, 3. — Horat. Od. III, XXIII, 17 sqq.:

Immunis aram si tetigit manus:
Non sumptuosa blandior hostia,
Mollibit aversos Penates
Farre pio, et saliente mica.

Conf. Dio. Chrysostom. in XIII; Porphyrium, περὶ ἀποχῆς, lib. II. — *Litabo;* non est simpliciter sacrificare, sed sacrificio quod petitur, obtinere, ita ut *litare* sit quasi probis hominibus proprium. Liv. XXXVIII, 20: « postero die, sacrificio facto, quum primis hostiis *litasset.* » Plaut. in Pœnulo, act. II, sc. 1, 42:

.... tum me Juppiter
Faciat, ut semper sacruficem, nec unquam *litem.*

Varro ait *litare* vel *lutare* esse quasi *luere* et solvere: deducunt alii ex Græca voce, a precibus quas illi dicunt λιτὰς. Nonius, V, 12, hoc discrimen statuit: *sacrificare* est veniam sacris petere; *litare* est propitiare, votum impetrare. Virgil. Æneid. lib. IV, vers. 50:

Tu modo *posce* Deos *veniam*, sacrisque *litatis*
Indulge hospitio.

Cicero, Edit. Olivet. de Divinatione lib. II, cap. 17: « quid, quum pluribus Diis immolatur, quî tandem evenit, ut *litetur* aliis, aliis non *litetur?*

SATIRÆ TERTIÆ

ARGUMENTUM.

Romanam juventutem ab inertia et insanis cupiditatibus ad philosophiæ studia revocare Persius hoc sermone nititur. Scilicet philosophia, veri indagatrix expultrixque vitiorum, sola facit, ut bene beateque vivamus; atque adeo qui philosophiæ studia negligit, aut vitæ usum ignoret infraque hominis conditionem devolvatur necesse est, aut, si quid hominis retinet, conscientiæ stimulis crucietur. Quam utilem honestamque doctrinam haud ita pronum fuit e sapientissimorum Græcorum scholis Romam importare, urbem divitibus, et nobilibus, et militibus, et hominum perditissimis frequentem. Hos omnes bonarum artium contemptores Persius impugnat Porticus argumentis.

Romæ tunc temporis tanta fuit Stoïcorum vel vilitas, vel auctoritas, ut ex iis vulgo assumerentur magistri et comites, qui liberos instituendos curarent, ipsique Neroni quæsitus fuerit præceptor Romanus Stoïcismi antistes. Inde Poëta lepidam quamdam Stoïci comitis personam induit, segnem discipulum gravissima disputatione insectantis sapientiamque suam defensantis.

SATIRÆ TERTIÆ

ANALYSIS.

Desidiosi juvenis cubiculum, qui ad meridiem usque somno indulget, Stoïcus intrat magister ejusque pigritiam exagitat: Stertis adhuc? stertis?.... Male se excusat adolescens, servisque irascitur, dum sese comparat, 1, 9. — Surgit morosus, et, ubi ad studia ventum est, desidiæ culpam vel ad sepiam transfert, vel ad calamos, 10, 14. — Puerilem adulto excusationem

exprobrat magister, monetque sibimet eum verba dare, sibi ipsi nocere nihil agendo, instare tempus comparandi bona maturæ ætati maxime profutura, 15, 24. — At enim quid tantum proderit diviti ac nobili studuisse? Miseras objectiones non tam confutat, quam ridet et indignatur Stoïcus, testemque conscientiam appellans, docet eorum esse miserrimam conditionem, qui sciant quid perdant, 24, 34. — Hic per digressionem amplificatur illud conscientiæ judicium, quo gravius a Deo non possit vel in sævissimos tyrannos irrogari supplicium, 35, 43. — Reversus ad propositam disputationem magister, concedit excusanda esse in pueris puerilia, et narrat quibus ipse puer ludis inservierit, 44, 51. — Sed sua sunt unicuique ætati studia, neque eos jam dormire decet ac inertia torpescere, qui ea ætate sunt, ut bona secernant a malis, et quibus omnia præsto sunt philosophiæ auxilia. Instituenda vitæ ratio est, et prospiciendum futuro, 52, 62. — Sunt animi sicuti corporis remedia, in quibus comparandis mature elaborandum est. Quænam vero ista remedia sunt? Hic enumerantur gravissima philosophiæ capita de cognitione sui, de consilio, de fato, de morte, cæteraque id genus Porticus præcepta, quibus animi cupiditatibus medeatur, 63, 76. — At enim objiciat pingue vulgus, nihil ad vitam communem conferre philosophorum istam prudentiam, quæ circa nugas operosas versetur, neque quidquam habeat præter austeritatem ridendam, 77, 87. — Quid proficiat philosophia, philosophiam irridentibus conatur Stoïcus demonstrare per exemplum ab ægroto petitum, qui medici consilia ridet et intemperantiæ pœnas morte luit, 88, 106. — Quæ fabula, paulo fusius exposita, adversarium admonere debuerat SAPIENTIAM ESSE ANIMI REMEDIUM. Nihil aliud autem iste intelligit, nisi fabulam de se narrari non posse, qui optima valetudine fruatur. At vero, inquit Stoïcus, animusne tibi æque ac corpus valet? non laborat avaritia, amore, gula et mollitie? Minime, sed insanis turbatur cupiditatibus. Ergo tibi medicinam facias; ergo studeas, 107, 118.

SATIRA TERTIA.

NEMPE hæc assidue? jam clarum mane fenestras
Intrat, et angustas extendit lumine rimas:
Stertimus, indomitum quod despumare Falernum
Sufficiat! Quinta dum linea tangitur umbra,
En quid agis! siccas insana canicula messes
Jam dudum coquit, et patula pecus omne sub ulmo est:
Unus ait comitum. — « Verumne? itane? ocius adsit
Huc aliquis! nemon'? » — Turgescit vitrea bilis;
Finditur.... Areadiæ pecuaria rudere dicas.
Jam liber, et bicolor positis membrana capillis,
Inque manus chartæ, nodosaque venit arundo.

SATIRÆ TERTIÆ INTERPRETATIO.

« SCILICET idem agis indesinenter? jam clarissima lux fenestras vel clausas intrat, clausarumque breves rimas trajectis radiis in longum videtur extendere: interea nos desides somno indulgemus, quantum sufficiat etiam ad coquendum vinum gravissimum! Dum in solario quinta jam linea gnomonis umbra tangitur, en labor iste tuus! Jam dudum sol canicula præfervidus torret aridas segetes, et pecudes de more compulit sub opacas arbores, ut captent frigora. » Sic increpat adolescentulum unus e comitibus, qui curant instituendum. Ille refert, « Verumne quod ais? itane est? adsit quam primum, adsit famulorum aliquis!... nullus-ne aderit?... » Jamque furenti splendida bilis intumescit; in voces rumpitur inconditas.... ita ut omne pecus Arcadiæ (*asinos*) rudere credideris.

10. *Tandem aliquando juvenis ad studium accingitur;* jamque in manus venere libri, et pergamenæ colorem, pilis detractis, geminum referentes, et papyrus, et distinctus nodis calamus.

Tum queritur crassus calamo quod pendeat humor,
Nigra quod infusa vanescat sepia lympha;
Dilutas queritur gêminet quod fistula guttas.
— O miser, inque dies ultra miser! huccine rerum
Venimus? at cur non potius, teneroque columbo,
Et similis regum pueris, pappare minutum
Poscis, et iratus mammæ lallare recusas? —
« An tali studeam calamo? » — Cui verba? quid istas
Succinis ambages? tibi luditur: effluis amens!
Contemnere. Sonat vitium percussa, maligne
Respondet viridi non cocta fidelia limo.
Udum et molle lutum es, nunc nunc properandus, et acri
Fingendus sine fine rota. Sed rure paterno
Est tibi far modicum, purum et sine labe salinum,

Ecce autem queritur vel quod atramentum nimis spissum adhæreat arundini, vel quod nimis aqua dilutum, nihil ad scribendum proficiat: rursus queritur quod non satis adhæreat calamo sepia duplicetque guttas in papyro. « O miserum (*ait præceptor*) futurumque in posterum miseriorem! Huccine recidimus? Quin tu, molli columbulo vel teneris principum pueris similis, poscis *papas* comminutas (*cibum puerulorum*); aut iratus nutrici, næniam ejus cantilenæ (*lalla*) referre aversaris? » — « An vero studia exsequar isto male aptato calamo? » — « Cui dare te verba putas? quid istas succinis vanas excusationes? Tibi ipsi ludus iste malo vertit: insane, tibi vita mollitie fluens dilabitur! eris aliis contemptui. Sonat enim animi vitium, ac deprehenditur hominem æstimanti; quemadmodum vas, si fuerit fissum, aut ex argilla cruda ductum neque bene cocta, malum gracilemque interroganti digito remittit tinnitum. Atque adeo tu, argilla humida mollisque, jamjam fingendus es ac sine mora informandus, sicuti vas quod rota properante instituitur.

24. « *At enim scio* habere te ex agro paterno nonnihil frumenti, et aliquid supellectilis, cultum nempe ac nitidum salinum (quid timeas, hæc qui habeas?) patinamque modicam,

(Quid metuas?) cultrixque foci secura patella.
Hoc satis? an deceat pulmonem rumpere ventis,
Stemmate quod Tusco ramum millesime ducis?
Censoremne tuum vel quod trabeate salutas?
Ad populum phaleras! ego te intus et in cute novi.
Non pudet ad morem discincti vivere Nattæ?
Sed stupet hic vitio, et fibris increvit opimum
Pingue: caret culpa; nescit, quid perdat; et alto
Demersus, summa non rursus bullit in unda.
Magne pater divum! sævos punire tyrannos
Haud alia ratione velis, quum dira libido
Moverit ingenium, ferventi tincta veneno:
Virtutem videant, intabescantque relicta!
Anne magis Siculi gemuerunt æra juvenci,

mansuram tamen domino, qua diis lites Laribus. Verum opes istas tu satis esse arbitraris? Anne etiam jure ac decenter tibi ducatur spiritus superbiaque pulmo intumescat, vel quod in stemmate millesimus eis gradu ab auctore gentis, quæ supra urbem conditam ad Tuscos usque ascendit; vel quod censorem cognatum tuum salutes, dum transveheris trabea insignitus? Ista plebem decipiant, quæ inania jactitas; ego vero te novi introrsum ac penitus. Nonne pudet degere vitam in morem Nattæ, perditissimi hominis? Quanquam iste ne vitium intelligit quidem, usque adeo mens obruta vitiis torpet, usque adeo sensibus obduruit crassa pinguedo! Nihil ei culpæ imputari potest; nescit miser, quam faciat animi jacturam; et imo depressus gurgite, jam non ad superam aquam emergit. *Tu vero vitii tui conscientia carere nequis; quæ pœna est maxima nocentium.*

35. « O Jupiter, quum sua tyrannis tetra cupiditas, venenis infecta quibus exarderent, ingenium exacuerit ad excogitanda omnis generis supplicia, Tu, magne pater Deorum, hoc tantum supplicio sævitiam eorum exerceas: virtutem videant, et quod eam deseruerint, crucientur, intabescant! Ecquando enim acerbiorem edidit gemitum inventus ille ad excruciandos

Aut magis auratis pendens laquearibus ensis
Purpureas subter cervices terruit, *imus*,
Imus præcipites, quam si sibi dicat, et intus
Palleat infelix, quod proxima nesciat uxor?
Sæpe oculos, memini, tangebam parvus olivo,
Grandia si nollem morituri verba Catonis
Dicere, non sano multum laudanda magistro,
Quæ pater adductis sudans audiret amicis.
Jure; etenim id summum, quid dexter senio ferret
Scire, erat in voto; damnosa canicula quantum
Raderet: angustæ collo non fallier orcæ:
Neu quis callidior buxum torquere flagello.
Haud tibi inexpertum curvos deprendere mores,
Quæque docet sapiens braccatis illita Medis

Siculos taurus aheneus, quam conscientia sic in intimo pectore reclamans: *Ruimus, ruimus ad exitium?* an gladius ille ex aureis laquearibus in subjecta purpuratorum hominum capita districtus magis habuit terroris, quam sontis animus ea secum formidantis, quæ miser communicare non audeat vel cum uxore propius accubante?

44. « In pueritia, memini equidem, oculos mihi tactu olei turbabam, si quando nolebam componere et declamare turgidam quamdam Catonis morti proximi oratiunculam, quam efferret laudibus insanis meus magister, quamque pater convocatis familiaribus æstuans exaudiret. Sed ego hæc jure quodam meo facere videbar. Scire enim, in alea talorum, quantum lucri *senio* (*felix jactus*), quantum damni *canis* (*jactus infelix*) afferret; et, in jaciendis calculis, ab ore angusto vasculi nunquam aberrare; ac denique præ cæteris excellere ad buxeum turbinem loro torquendum: hæc erant summa bona, quæ puer exoptarem.

52. « Verum hac ætate tua, quid pravum sit in moribus, quid rectum secernere didicisti; neque ea præcepta ignoras, quæ docet sapientissima Porticus braccatis depicta Medis (*referens pictu-*

Porticus; insomnis quibus et detonsa juventus
Invigilat, siliquis et grandi pasta polenta.
Et tibi, quæ Samios diduxit littera ramos,
Surgentem dextro monstravit limite callem.
Stertis adhuc? laxumque caput, compage soluta,
Oscitat hesternum, dissutis undique malis!
Est aliquid quo tendis, et in quod dirigis arcum:
An passim sequeris corvos testaque lutoque,
Securus quo pes ferat, atque ex tempore vivis?
Helleborum frustra, quum jam cutis ægra tumebit,
Poscentes videas: venienti occurrite morbo;
(Et quid opus Cratero magnos promittere montes?)
Disciteque, o miseri, et causas cognoscite rerum:
Quid sumus, et quidnam victuri gignimur; ordo
Quis datus, aut metæ quam mollis flexus, et unde;

ris Atheniensium pugnas cum Medis); et quibus meditandis invigilant juvenes, capillis tonsis inculti, et somno vix indulgentes, et crudo olere multaque hordei farina pasti. Præterea symbolica Samii philosophi littera (Y), in geminos ramos diducta, monstravit illum tibi dexterum callem, quo virtus sese tollit. Nihilominus tu stertis adhuc; caputque laxatis colli vinculis resolutum, genisque rictum undique diducentibus, os totum aperit hesterna vigilia fatigatum! Est aliquis tamen propositus tibi, ut sagittario, finis, ad quem vitam intendas, ut ille arcum: an temere corvos vel testa, vel gleba insectaris, nihil curans, quo te ferant pedes, victitasque in diem, prout fors tulerit?

63. « Cernere est nonnullos remedia medicinæ serius advocantes, quum jam lurida cutis intumescat. Morbis vero obviam eundum est; namque, ubi invaluerint, quid opus est medico vel celeberrimo auri montes promittere? Parate vobis igitur sapientiam, o miseri, et discite quæ sint causæ rerum: discite quid sit homo, quem ad finem natus; quis ordo sit stabilitus fatis, aut unde proficiscamur et quo revertamur, quamque molliter cursum ad eam metam flectamus, quæ est in extremo

Quis modus argento; quid fas optare; quid asper
Utile nummus habet; patriæ carisque propinquis
Quantum elargiri deceat: quem te Deus esse
Jussit, et humana qua parte locatus es in re.
Disce: nec invideas, quod multa fidelia putet
In locuplete penu, defensis pinguibus Umbris;
Et piper, et pernæ, Marsi monumenta clientis,
Mænaque quod prima nondum defecerit orca.
Hic aliquis de gente hircosa centurionum
Dicat: *Quod satis est, sapio mihi: non ego curo*
Esse, quod Arcesilas ærumnosique Solones,
Obstipo capite, et figentes lumine terram;
Murmura quum secum, et rabiosa silentia rodunt,
Atque exporrecto trutinantur verba labello,
Ægroti veteris meditantes somnia: GIGNI
DE NIHILO NIHIL, IN NIHILUM NIL POSSE REVERTI.

vitæ curriculo (*ad mortem*); quis modus in paranda pecunia servandus; quæ bona fas optare sinat; quid habeant utilitatis nummi signis asperi; quantum patriæ dilectisque necessariis elargiri deceat: denique qualem te Deus esse voluerit, quasque tibi mandaverit in hominum societate partes. Hæc, inquam, ediscas; atque tua sis contentus vitæ conditione, neque invideas, quod locuples patronus, pinguium Umbrorum defensor, multas ab iis dono acceperit fidelias, quæ jam in penuaria exolescant; tuleritque piper, et pernas, insignia clientis Marsi munera, et mænas (*pisciculorum genus*) usque adeo abundantes, ut nondum vel e prima orca absumi potuerint.

77. « Ecce autem aliquis ex hircoso grege centurionum hæc mihi objiciat: *satis est magna mihi sapientia, neque laboro Arcesilæ similis fieri, vel morosis istis Solonibus, qui incedunt flexa cervice proni oculosque in terra defigentes, quando secum mussitant nescio quid nugarum, tacite quasi infrendentes; suspensaque protensis labiis verba ponderant, dum revolvunt, quæ vetus aliquis ægrotans somniaverit*, v. g., NIHIL EX NIHILO GENERARI, ET NIHIL

Hoc est, quod palles! cur quis non prandeat, hoc est!
His populus ridet, multumque torosa juventus
Ingeminat tremulos naso crispante cachinnos.
Inspice; nescio quid trepidat mihi pectus, et ægris
Faucibus exsuperat gravis halitus; inspice, sodes;
Qui dicit medico, jussus requiescere, postquam
Tertia compositas vidit nox currere venas,
De majore domo, modice sitiente lagena,
Lenia loturo sibi Surrentina rogavit. —
Heus bone, tu palles. — Nihil est. — Videas tamen istud,
Quidquid id est: surgit tacite tibi lutea pellis.
— At tu deterius palles; ne sis mihi tutor:
Jam pridem hunc sepelí; tu restas. — Perge; tacebo. —
Turgidus hic epulis, atque albo ventre, lavatur,
Gutture sulfureas lente exhalante mephites.

POSSE IN INHILUM REVERTI. *En igitur cur impallescis! En cur homo prandio careat!.....* Simul ad hæc inepta centurionis verba plebes arridere, et pinguis militum juventus in longos seducto commotoque naso solvi cachinnos. *Sed ego quid respondeam, audi:*

88. « Me velim inspicias, ait ad medicum quidam morbo correptus; nescio quid mihi trepidet pectus turbatum, aut cur graveolens halitus fauces urgeat ægre animam trahentes. Inspicias igitur, queso. — Requiem imperat medicus; iste vero, ubi post tertiam noctem jam sentit micare venas pulsu magis composito, petit e divitis domo mittatur sibi balneum ingressuro haud ita capax aliqua dulcis Surrentini vini lagena. — At, o bone, pallidus es, ait medicus. — Nihil est. — Noli tamen istud negligere, quidquid sit. Tibi summa pellis intumescit plumbeo colore livida. — At tu multo deteriorem in modum palles; noli tutor esse mihi molestus; alterum jam pridem sepelivi, alterum te restantem sepeliam, cave. — Proinde fac ne libet; nihil addo amplius. — Ergo cibis repletus niger, et albico ventre lividus sese lavat in balneis, faucibus tetrum

Sed tremor inter vina subit, calidumque trientem
Excutit e manibus; dentes crepuere retecti;
Uncta cadunt laxis tunc palmentaria labris.
Hinc tuba, candelæ; tandemque beatulus alto
Compositus lecto, crassisque lutatus amomis,
In portam rigidos calces extendit: at illum
Hesterni capite induto subiere Quirites.
— « Tange, miser, venas, et pone in pectore dextram;
Nil calet hic: summosque pedes adtinge manusque;
Non frigent. » — Visa est si forte pecunia, sive
Candida vicini subrisit molle puella,
Cor tibi rite salit? Positum est algente catino
Durum olus, et populi cribro decussa farina:
Tentemus fauces; tenero latet ulcus in ore
Putre, quod haud deceat plebeia radere beta.

sulphureumque odorem ægre exhalantibus. Verum inter pocula subito horrore corripitur, fervidusque calix excutitur e manibus; nudantur, contractis labiis, dentes, rigentesque crepant; excidunt ex ore hiante lauta obsonia: moritur. Jamjam apparantur pompæ funebris instrumenta, et buccina, et faces, et sublimis lectus, in quo iste delicatulus feliciter compositus, et pingui amomo inunctus, rigidos ad portam extendit pedes: mox illum liberti, hesterna libertate facti Quirites, capite adoperto, humeris ad bustum extulere.

107. — « *Fabulam tuam probe intellexi*, infelix monitor; *sed ea nihil ad me pertinet.* Scilicet explora parumper hanc venam; manum huic applica pectori; num hic deprehenditur aliquid immodici caloris? Pedes attinge extremos et manus; num hic frigoris immodici deprehendis aliquid? » — « At, o beatule, si pecunia forte sese obtulit oculis, aut si candidior vicini filia leniter tibi arrisit, nonne tibi cor subsilit motu insolito? aut, si fuerunt apposita cruda olera in lance frigenti, panisve ex farina plebeio cribro male purgata, exploremus parumper tibi fauces delicatulas: Deprehendetur latitans in

Alges, quum excussit membris tremor albus aristas :
Nunc face supposita fervescit sanguis, et ira
Scintillant oculi : dicisque, facisque, quod ipse
Non sani esse hominis non sanus juret Orestes.

ore putidum ulcus (*gula et mollities palati*), quod non deceat vili herba offendere. Nunc frigidus es, quando tibi pavore subriguntur pili et capilli horrentes, ut aristæ; nunc sanguis incalescit veluti suppositis ignibus, et oculi scintillant ira inflammati : atque ea dicis et facis, quæ insani dicat esse hominis insanus ipse Orestes. »

VARIÆ LECTIONES

ET NOTÆ

IN SATIRAM TERTIAM.

De Satira tertia. Legitur in scholiis, quæ dicuntur esse Cornuti, *hanc satiram e Lucilii libro quarto esse translatam castigantis luxuriam divitum et vitia.* Multum habere auctoritatis primo aspectu videtur opinio, quæ, quo tempore in integro adhuc essent opera Lucilii, foret emissa. Cavendum tamen, ne nimia fides istis scholiis adhibeatur, quæ cujus auctoris sint, cujusve ætatis, incertum est, ne dicam plane ignotum; quæque, vel ejus qui scripsit, vel eorum qui ediderunt culpa, mendis referta sunt. Si vero, omissa scholiastis auctoritate, ipsa intuemur Lucilii fragmenta, quæ paucula exstant, nihil aliud in his reperimus satiræ hujus sententiis simile aut affine, quam hunc versum :

E somno pueros quum mane expergitu' clamo.

Cæterum æstimanti cuilibet utriusque poetæ ingenium, et tempora temporibus referenti, vix ac ne vix quidem recipi potest, idem sibi proposuisse viros, quorum alter florente vixit Republica, quum Græcorum litteris, quasi honestiori ludo, majestatem suam liberi et victores Romani temperarent; alter vero stabilita jam ac sæviente natus est Tyrannide, quum serviles projectorum Romanorum animos gravibus philosophiæ præceptis necesse fuit erigere et confirmare.

Sic fecit hoc satirico sermone Persius, quo Romanam juventutem ad studia philosophiæ moralis convertere nititur. Ingenium bonis excolere artibus animique malas sanare cupiditates, haud ita juvenes ubicumque juvat, qui virium conscii, avidi voluptatum, neque prospicientes futuro, frui malunt, quam ediscere, corporisque gaudio magis inserviunt, quam otio mentis. Quid si nobilitas, et divitiæ, et militiæ mores accesserint, quæ res maxime superbiam alunt inertiamque? hæc omnia porro adversus philosophiæ studia Romæ conspirabant. Utilem tamen honestamque sapientiam esse contendit Persius, satirico suo more. Magistri scilicet personam induit, contractoque ferociter supercilio, objurgat discipulum desidem, Stoicismique sui studia gravi simul et lepida argumentatione defendit.

Meminerimus hæc iis scripsisse poetam temporibus, quibus amor Stoicismi ferveret apud Romanos, quum unusquisque nobilis adolescens Stoico vel comiti, vel magistro traderetur instituendus, ipsumque Imperii heredem Stoicorum princeps Seneca educaret. Tacit. Ann. XIV, 53. Itaque fieri potuit, ut Senecam in Magistri, ipsumque Principem in Disci-

puli persona Persius describeret. Aulari enim Senecæ philosophiæ cum nostri poetæ austeritate haud ita conveniebat; atque ea potissimum tempestate Nero, *virtute relicta*, in omne flagitium prorupit, *sævamque tyrannidem* desidia, vinolentia, libidine auspicatus est. Insanientis autem belluæ furores necquicquam Seneca stoicismo suo refrænare conabatur. Vero igitur similis est conjectura, quam notis suis confirmare videtur Cornutus; conjectura tamen.

Censet unus e Gallicis Persii translatoribus (*Lemonnier*) hac satira non minus ipsum derideri Stoicum præceptorem, quam desidem discipulum. Nimia profecto est ea opinio; neque tamen tantum mihi moveat indignationis, quantum cæteris interpretibus. Equidem Persio venire non potuit in mentem ridiculo cooperire quem inducit philosophiæ patronum, ipsamque adeo philosophiam, cui juvenum animos conciliare nititur: prodesse procul dubio voluit, et docere; sed tamen ridendo, neque ea defensando, quæ philosophiæ maxime repugnant, quia carent modestia. Socratis enim auream illam modestiam sæpius obliti sunt omnium scholarum sapientiæ professores, qui discipuli ejus haberi dicique cupiebant; Stoici vel in primis, quorum ambitiosas ineptias ipsi Stoicismi principes interdum erubescerent. Audiamus parumper ea de re Senecam, Epistolæ quintæ initio: « Illud te moneo, ne eorum more, qui non proficere, sed conspici cupiunt, facias aliqua, quæ in habitu tuo aut genere vitæ notabilia sint. Asperum cultum, et intonsum caput, et negligentiorem barbam, et indictum argento odium, et cubile humi positum, et quidquid aliud ambitionem perversa via sequitur, devita. Satis ipsum nomen philosophiæ, etiamsi modeste tractetur, invidiosum est. Quid si nos hominum consuetudini cœperimus excerpere? etc..... » Quod sapientissimis his verbis damnat et ridet ipse dux Stoicismi et signifer, quid mirum est si luserit poeta satiricus? Sapientiæ hostes non ita Persius impugnavit, ut laudibus efferret nugas, ridendamve majestatem proponeret imitandam. Legenti cuilibet paulo attentius quæ de horrida Porticus disciplina scripta sunt ad verss. 54 sqq., quæque objicit *hircosus centurio* ad verss. 80 sqq. de habitu philosophantium, subesse aliquid risus, cui ipse Persius indulgeat, manifesto apparebit. Malignum hoc inest Satiræ ingenium, ut nihil non sale suo defricet, ne virtutem quidem ipsam virtutisque ministram sapientiam, si paulo severiores visæ fuerint. At vero severum quid, et morosum, et sublime, et nimium, ecquis evitavit magistrorum? Ita si comicum quid interdum habeat præceptoris in hac fabella gravitas, non ideo mihi reprehendendus poeta videatur, sed bene personatus.

Neque vero querula illa gravitas, quæ fuit omnis magistri, sola describitur, sed ipsa quoque usurpantur argumenta et dicendi rationes, quæ propria erant tela Stoicorum, comparationes nempe et dialogismi. Quin etiam Zenoniana oratio pressa nimis, et arguta, et abrupta fuisse dicitur: a quibus vitiis haud ita abhorruit vel hoc, vel aliud quodlibet opus Persianum. Nolim tamen iis assentire, qui fractas dissipatasque judicant ejus satiræ partes; quas apte cohærere et consentire, nostra, qualiscumque sit, Analysis satis confirmabit.

VARIÆ LECTIONES. 1. *Nempe hæc assidue.* Codex MS. 8273 habet *hoc*, quod Kœnig recepit nonnullique alii editores. 8048, 8055, 8070 habent *hæc*, quod posuere Casaubonus et Gifford, quodque paulo convenientius videtur.

NOTÆ. 1. *Nempe hæc assidue! jam clarum mane fenestras Intrat.* — Dramatica est forma ejus satiræ, quod sæpius evenit in poematum genere, quæ sunt comœdiæ affinia. Supplenda sunt lectori nomina personarum. Nunc loquitur præceptor discipulo iratus, qui de more stertit ad meridiem : *Nempe hæc assidue!* subaudi agis. — *Jam clarum mane.* Hoc loco non est adverbium *mane*, sed nomen, ut apud Virg. Georg. III, 325 : « Dum *mane* novum. » *Mane*, pro omni ea parte diei, quæ ante meridiem est, quemadmodum *vespera* pro omni parte diei ponitur, quæ a meridie ad noctem lucet. *Clarum mane;* quasi dixisset *lux clarior*, sol altus. Lege Macrob. Saturnal. lib. I; Gell. lib. II, cap. 2. — *Fenestras intrat;* Per *fenestras* intellige fenestrarum valvas ligneas, quæ foriculæ dicebantur, teste Varrone. Hunc Persii locum imitatus est Ausonius, Ephemerid. I, 1 sqq. Conf. Horat. Od. I, 25, 1.

NOT. 2. *Et angustas extendit lumine rimas.* — Fallaciam opticam Noster sequitur. Non enim *rimæ* extenduntur ipsæ, sed lumen, transmittente sole radios per *rimas*. Similem invenias hypallagen apud Virg. Æneid. III, 152 sqq. :

....qua se
Plena per *insertas* fundebat luna *fenestras*.

NOT. 3. *Stertimus, indomitum quod despumare Falernum Sufficiat.* — *Stertimus;* more objurgantium, primam pluralis personam usurpat præceptor pro secunda singularis, *stertis.* — *Quod sufficiat;* subaudi : adeo longum tempus, *quod* etc.... — *Falernum;* Campanum vinum generosissimum et nobilissimum in poetis. Catull. XXVII, 1; Horat. Od. II, 11, 19; et passim. — *Indomitum;* vox ea consecrata fuisse videtur ad vina generosissima. Virg. Georg. IV, 102 :

.... durum Bacchi *domitura* saporem.

Lucanus, lib. X, vers. 162 :

Indomitum Meroe cogens *spumare Falernum.*

— *Despumare;* metaphorice pro coquere, quia vinum, dum coquitur, multam *spumam* rejicit. Eamdem vim habet vox gallica *cuver*. Non intelligendum est ipsum ebrium esse discipulum, sed eum tantum dormire, quantum qui sint ebrii. Istam comparationem usurpat magister, quo magis pudeat dormientem.

VAR. 4. *Quinta dum linea tangitur umbra.* — Omnes fere editores hæc verba a superioribus verbis virgula tantum distinguunt, quasi dixisset Persius *Stertimus, dum quinta linea tangitur umbra, quod tempus sufficiat*, etc. Ego vero ante *quinta* punctum posui, atque ejus versus sensum ad ea verba retuli, *En quid agis!* Commodius enim fluere visa est series verborum idearumque.

NOT. 4. *Quinta dum linea tangitur umbra.* — Hypallage, pro *dum umbra tangit quintam lineam* in horologio solari. Vulgo Romani ad *quintam* negotiis sese tradebant; *quinta* vero cœnabant et corpora cura-

bant, ut se fecisse in Xistis aut Cryptoporticibus Plinius minor testatur lib. IX, Epistol. ad Fuscum; Martialis, Epigramm. lib. IV, VIII, 3:

In *quintam* varios extendit Roma labores.

Ausonius, in Ephemeride:

Sosia, prandendum est: quartam jam totus in horam
Sol calet; ad *quintam* flectitur *umbra* notam.

Ita, quo tempore a labore ad prandium otiumque cæteri redire solent, piger, qui describitur, stertit adhuc. — Paulo fusius hic explicandum est quid sit hora illa *quinta;* tum quæ esset solaris horologii antiquitas apud Romanos. Quoties apud auctores seu Græcos, seu Latinos mentio fit horarum, observandum est semper accipiendas horas diei naturalis, sicut hoc loco apud Persium. Distinguitur nempe dies alius civilis, alius naturalis. Hic ab ortu solis ad occasum extenditur; ille vero noctem simul atque diem continet, et in horas viginti quatuor distribuitur. Porro diem civilem alii aliter populi definierunt, sed ita tamen, ut ejus nunquam mensura variaret: ab ortu ad ortum, ab occasu ad occasum, a meridie ad meridiem, a media nocte ad mediam noctem. At dies naturalis (de quo hic est mentio) modo brevior, modo longior pro ratione temporum et climatum, dividitur in horas seu partes duodecim inter se æquales, longiores quidem æstate, quum longior est dies, hyeme vero breviores. Hujus hora prima est solis ortus, sexta meridies, duodecima solis occasus. Itaque Romæ, ubi dies longior solstitialis est horarum fere quindecim, hora illa *quinta* circa solstitium æstivum recidebat ad nostram decimam cum tribus quadrantibus; et circa Caniculam, de qua hic Persius, erat hora ipsa nostra undecima, aut non multo secus. Vid. Plinium, Hist. Nat. II, 76, 77; VII, capite ultimo; Macrob. Saturnal. I, 3; Cœlium Rhodigin. XII, 9; Alex. ab Alexand. IV, 20. — Quod spectat ad horologia solaria, si Plinio, loco citato, fides adhibeatur, primus eorum fuit inventor Anaximenes Milesius. Anaximandro tamen, Anaximenis magistro, hoc inventum tribuunt Diogenes Laertius, lib. II, Vitruvius, et alii. Romæ vero illorum usus esse cœpit bello Punico primo; Plinius, citatis locis. Augustus multa solaria, eaque absolutiora per eumdem Vitruvium describenda curavit.

Not. 5. *En quid agis! siccas insana canicula messes Jam dudum coquit.* — *En;* servire solet indignationi. Hic notat Casaubonus *agis* poni in singulari pro *agitis* per enallagen, quia plures discipuli; quam quidem opinionem multi interpretum sequi videntur. Sed quid tandem est, unde colligamus plures hic esse discipulos, quibuscum agat præceptor? Non in ludo scena posita est, ubi multi studeant uno docente, sed in domo nobili, ubi unus educatur adolescens. — *Canicula;* non ipsum quidem sidus *canis* majoris est caussa caloris, sed sol, qui, dum id signum peragit, terræ vicinior est. Attamen poetæ hunc errorem vulgi sequuntur, quo frigoris et æstus vices non solis itineri tribuuntur, sed variis sideribus ad quæ transvehitur. Oritur vero Sirius aut canis, dum sol est in Leone; unde vocatur Horatio « *vesani* stella leonis. » — *Insana;* sic poetis *ca-*

nicula vocatur, quia morbos bene multos procreat nimius æstus, *canesque* etiam in rabiem agit. Unde Horat. Sat. II, 6, 126:

.... rabiosi tempora signi.

— *coquit messes siccas;* perducit ad maturitatem segetes atque flavas reddit, quasi torreantur. — *Jamdudum;* propter æstivarum noctium brevitatem, et quo magis piger damnandus videatur.

Not. 6. *Et patula pecus omne sub ulmo est.* — Dum meridianus æstus defervescat, greges in umbram deducuntur. Virg. Eclog. II, 8:

Nunc etiam pecudes umbras et frigora captant.

— *Omne* non referam ad *patula*, quod umbra arboris *omne pecus* complectatur; sed ad horam diei, quæ adeo provecta est, ut *omne* omnino *pecus* jam sub umbram arborum compulsum fuerit. — *Ulmo;* pro qualibet arbore. Horat. Od. III, 29, 17 sqq. nonnulla videtur Persio ad hunc locum inspirasse:

Jam clarus occultum Andromedes pater
Ostendit ignem: jam Procion furit:
Et stella *vesani* Leonis,
Sole dies referente *siccos*.
Jam pastor umbras cum grege languido
Rivumque fessus quærit.....

Var. 7. *Unus ait comitum.* — Utrum his verbis sensus præcedentium concludatur, an insequentium inchoetur, quæstio est? Posteriorem opinionem Casaubonus defendit; perque *comites* intelligit discipulos æquales. Verum nuncupabantur *comites* apud Romanos philosophi, qui juvenes *comitabantur*. Unde Noster in V, 32, ubi describitur adolescens, qui jam a tutela recedit, magistrosque mutat sodalibus:

Quum blandi *comites*, totaque impune Suburra
Permisit sparsisse oculos jam candidus umbo.

Attende præterea hæc verba *ait*, *inquit*, etc.... vel intra, vel post sermonem poni, fere nunquam ante. Itaque refero *unus ait comitum* ad ea, quæ superius a magistro dicta sunt, et punctum posui ante *verumne*.

Not. 7. *Unus ait comitum.* Quasi dixisset: sic ait unus e magistris, qui juvenes *comitari* solent, discipuli dormientis cubiculum ingressus. Sæpe sæpius comicorum dialogum Persius usurpavit, sed demptis personarum nominibus, unde labor interpretibus oritur ad hæc restituenda nomina.

Not. 7, 8. « *Verumne? itane? ocius adsit Huc aliquis! nemon'?* » — Hæc omnia sunt discipuli expergiscentis, et tamdiu dormisse moleste se ferre similantis, et famulos advocantis, et increpantis. — *Ocius adsit*, etc. Videtur matutini temporis quam fecit jacturam, celeritate in negotiis adhibenda velle emendare. — *Nemon'?* pro *nemo ne*. Non semel jam superius ea visa est elisio. — Multum habet locus veritatis. Ab ipsa natura expressa est ista desidiosi indoles, cæteris magis irascentis, quam sibi, et nihil non incusantis præter desidiam suam.

Var. 8, 9. *Turgescit vitrea bilis; Finditur... Arcadiæ pecuaria rudere dicas.* — Aliter legitur hic locus in MSS. meis 8048, 8070, 8273, et in antiquis editionibus:

....Turgescit vitrea bilis;
Findor! *ut* Arcadiæ pecuaria rudere dicas.

Quasi hæc omnia quoque essent in ore discipuli servorum tarditatem indignantis, non vero in ore poetæ scenam describentis; quasi sermo esset, non narratio. Sed in laudatissimo Codice meo 8055 supra *findor ut*, legitur *finditur*, ut varians quæ tunc temporis jam esset notissima. Itaque lectionem secuti sumus cum probatissimis editoribus, quæ plus habere veritatis videretur, quum præsertim minus probabile sit, ipsum juvenem sese *rudentem* comparare cum *Arcadiæ* pecoribus. Casaubonus et Achaintr. recipiunt quidem *Findor;* sed reliquam partem versus subjici volunt vel a Persio insanas querelas irridente, vel ab eo qui ante locutus est præceptor. Quare monent ita esse interpungendum:

....Turgescit vitrea bilis....
Findor.... » ut Arcadiæ pecuaria rudere dicas.

— *Dicas;* legunt *credas* Kœnig aliique editores; sed in edendo *dicas* MMS. mei consentiunt omnes; neque necesse videtur novam addere versui duritiem, quo melius imitetur vocem *rudentis* asini horrisonam.

Not. 8, 9. *Turgescit vitrea bilis; Finditur.... Arcadiæ pecuaria rudere dicas.* — Verba hæc omnia poetæ sunt subitum iracundumque ad laborem apparatum irridentis. — *Vitrea bilis;* non ex eo quod *bilis* ut *vitrum*, dum sufflatur, *turgescit*, neque ex eo quod pallidi et virides ut *vitrum* sint, qui furore perciti sunt, neque ex eo quod irati homines quidquid in mentem venit temere effutiunt ac *vitro* sunt pellucidiores. (Namque ad hos omnes sensus recurrunt interpretes). *Bilis* vero dicitur *vitrea* ex colore suo, quum acerrima est. Horat. Sat. II, 3, 141:

....jussit quod *splendida* bilis.

Idem, eadem satira, 222, *vitrea* posuit pro *splendida:*

....quem cepit *vitrea* fama.

— *Finditur;* rumpitur in voces inconditas. — *Arcadiæ pecuaria;* id est asinos, quorum feracissimam fuisse Arcadiam testantur Varro, Plinius, Strabo Græcique scriptores bene multi. Juvenalis Sat. VIII, 160:

Nil sulit *Arcadico* juveni....

Ausonius:

Asinos quoque *rudere* dicas.

Hic in *rudere* prima producitur, quæ tamen corripitur in Virg. Georg. lib. III, vers. 374:

Cominus obtruncant ferro, graviterque *rudentes.*

Idem, Æneid. lib. VII, vers. 16:

Vincla recusantum et sera sub nocte *rudentum.*

In Ovidio quoque corripitur, Art. III, 290:

Ut *rudit* ad scabram turpis asella molam.

Not. 10. *Jam liber, et bicolor positis membrana capillis.* — *Jam;* ironice; haud ita enim diligens fuit discipulus. — *Liber;* sic dictus a *libris* arborum, quibus ad scribendum utebantur veteres. — *Membrana;* sub

Eumene Rege inventæ sunt Pergami *membranæ*, quæ inde Pergamenæ dictæ sunt. — *Bicolor;* erat nempe *membrana*, ab altera parte, quæ carni adhæserat, candidior, ab altera, qua pili fuerant, crocea. « *Bicolor*, ait vetus scholiastes, *quod pars crocea, pars glutinata apud antiquos erat.* » Hac vero parte glutinata solummodo scribebant. Variis etiam coloribus inficiebantur *membranæ;* sed cavendum, ne confundamus operculum libri cum *membrana* in qua scribebatur, ut monet Casaubonus. — *Positis capillis;* abrasis per pumiceum lapidem ac demptis: *capillis*, per catachresim pro pilis. Conf. Juvenal. VII, 22 sqq., ubi de *membrana* copiosius disseritur. Vid. vol. I, pag. 561.

Not. 11. *Inque manus chartæ, nodosaque venit arundo.* — *Chartæ;* si Marco Varroni fides adhibetur, *chartæ* vel *papyri* usus repertus est sub Alexandro, condita in Ægypto Alexandria. Palmarum foliis primo scriptitatum; deinde arborum *libris; chartis* demum et pergamenis. Cera quoque et stylo utebantur ad scripturam, sed non in ludis, uti monet Quintilianus, X, 3. — *Nodosa arundo;* calamus scriptorius, multis geniculis distinctus. Persius, variatis nominibus, idem appellavit *arundinem, calamum, fistulam.* Calami vero Ægyptiaci maxime probabantur. Plin. Hist. Nat. XVI, 63; Martial. XIV, XXXVIII.

Var. 12. *Tum queritur crassus calamo quod pendeat humor.* — Sic habent MSS. Codices 8048, 8070, 8273. Edit. vero 8055 : *tum queriMUR*, super inscripta tamen variante, *queriTUR*. Et quidem minime ineptum est *queriMUR*; simili enim ratione ponetur, qua paulo superius *stertiMUS*, per communicationem, ut aiunt rhetores.

Not. 12. *Tum queritur crassis calamo quod pendeat humor.* — Transfert desidiæ culpam piger discipulus in alia omnia. Horat. Sat. II, 3, 7:

Culpantur frustra *calami*....

— *Crassus humor;* crassum nimis atramentum. — *Calamo pendeat;* ita adhæreat, ut ductus calami non appareant in charta.

Not. 13. *Nigra quod infusa vanescat sepia lympha.* — Queritur contrarium, quia forte fuerit aqua nimis dilutum atramentum, nimis spissum antea. — *Vanescat;* nullum in papyro relinquat vestigium. — *Sepia;* piscis est marinus, quem vocamus *araignée de mer.* Ex ejus sanguine, qui est ater, Afros sibi atramentum solitos parare auctor est vetus interpres. Censet Casaubonus hic poni *sepiam* pro atramento per metalepsim; quod e *sepiis* apud Latinos non fiebat atramentum librarium, sed e fornacium balinearumque fuligine; seque Plinii, Hist. Nat. XXXV, 5, et Dioscoridis, extremo libro quinto, tuetur auctoritatibus. De *sepiæ* piscis natura et industria vid. Plin. Hist. Nat. IX, 29; eumdem, XXXII, 10; Cicer. de Nat. Deor. II, 50; Aristot. Hist. Anim. IX, 37; Ælian. Hist. An. I, 34.

Var. 14. *Dilutas queritur geminet quod fistula guttas.* — Rursus in hoc versu edit 8055 *queriMUR*, supra rursus inscripto, *queriTUR*. Perseverant alii MSS. Codices in edendo *queriTUR*.

Not. 14. *Dilutas queritur geminet quod fistula guttas.* — Tertia desidiosi tergiversatio. — *Dilutas;* aqua nimis dissolutas et fluidas. — *Guttas;* auctore Palemone Vicentino, *gutta* dicitur, quum stat; *stilla*, quum cadit. — *Geminet;* quod fieri solet, quum liquidius fluit atramentum et uberius quam par est. — *Fistula;* idem ac supra *calamus* et *arundo*.

Quinque superiores versus ad historiam scriptoriæ artis mire conveniunt. In quibus mentio est de omnibus fere scripturæ instrumentis Persii ætate usitatis, omissis tamen pumice et cultello. Conf. Plinii, Dioscoridis aliorumque locos jam relatos, et Florileg. Græc. lib. IV locum, ubi vetus poeta enumerat notarii supellectilem, capite *ὑπὸ Ταχυγράφων* (de Tachygraphis).

Not. 15. *O miser, inque dies ultra miser! huccine rerum Venimus?* — Satirica exclamatio in desidiosi vanas excusationes: O magis atque magis periture desidia! quasi dixisset: processu temporis minui solent vitia, in te vero adaugentur. — *Huccine rerum venimus;* num istas nugas tua fert ista ætas, ad quam jam pervenisti? *Huccine rerum;* pro ad id, eo.

Var. 16. *At cur non potius teneroque columbo.* — Sic habent MSS. 8055, 8273; Edunt 8058 et 8070, et cum iis Achaintr. *teneroque palumbo.* Capilli inter utramque lectionem interest; minus tamen usitatum est *palumbus*, quam *columbus*, qui recurrit vel apud Horatium.

Not. 16. *At cur non potius, teneroque columbo.* — Num accipi debeat *columbus* proprie, an metaphorice, quæstio est? *Columbos* olim impenso studio viri feminæque alebant, ut alias aves nostri alunt hodie; quod ex Theophrasti characteribus, Athenæo, aliisque constat. Notum vero hanc avem Veneri sacram esse habitam: quare inter blanditias amantium fuit et *columbi* appellatio, ut apud Catull. XXIX, 9, vel *palumbuli*, ut in X Apuleii. Persius hoc loco mollem institutionem et voluptariam denotat.

Not. 17. *Et similis regum pueris, pappare minutum Poscis.* — *Reges* blande et assentatorie vocabantur Romanorum principes a clientibus et peregrinis. *Reges* quoque Horatius et Juvenalis vocant divites, ad fastum et luxum eorum notandum. Horat. Od. I, 4, 14; Juvenal. VIII, 161. Hæc appellatio invidiosa jam a Reipublicæ temporibus maxime fuit usitata, quoties aliquis civilem morem paulo egrederetur. Immo etiam videtur quasi in proverbium abiisse apud veteres ea locutio *similis regum pueris*, de homine corrupto deliciis, aut de intemperante. — *Pappare minutum poscis;* quasi dixisset: cur non ea dicis et facis, quæ pueri parvuli et delicatuli solent? *πάππα* Græcorum infantibus idem ac nostris hodie; et *παππάζειν* infantilis vox est etiam apud Homerum pro patrem vocare. Apud Romanos aliter. Varro (Catone?) de liberis educandis: « quum cibum ac potionem BUAS ac PAPAS dicunt, et matrem mammam patrem tatam; » inde *pappare* etiam pro edere; Plautus, in Epidi: V, 2, vs. 62:

Novo liberto opus est quod *pappet.*

minutum vel cum *pappare*, vel cum *poscis* strui æque potest; malim tamen *pappare minutum*, cibum edere comminutum. Conf. Plutarch. in V Symposiacorum; Fragmentum epistolæ Theanus Pythagoreæ, quam scripserat, vel potius scripsit Pseudonymus, de recta liberorum educatione.

Not. 18. *Et iratus mammæ lallare recusas. — Iratus mammæ;* solent *irasci* nutricibus parvuli indulgentius habiti. Senec. de Ira, lib. II, c. 21; Ovid. Fast. II, 599 sqq. ibique interpp. *Mammæ;* matri, ut in superiore loco Varronis, aut aviæ, aut nutrici; namque hanc vocem varie usurpare solent Latini, ut Græci suam μαμμί. — *Lallare;* habet vetus scholiastes: « Nutrices infantibus, ut dormiant, solent dicere sæpe *lalla, lalla*, aut *dormi*, aut *lacte.* » Hæc vox *lalla* a Græco fortasse derivatur λαλεῖν (loquelam edere). De industria, et quidem recte, his verbis Noster usus est, quæ propria sunt ejus ætatis, cui absurdus iste Juvenis tam *similis* est.

Not. 19. « *An tali studeam calamo?* » *Cui verba? quid istas Succinis ambages? — An tali studeam calamo;* verba juvenis in stolida excusatione perseverantis, vel magistri superiorem excusationem resumentis. *Studeam;* pro scribam. — *Cui verba;* supple *das.* — *Quid istas succinis ambages; canere*, est idem repetere; *succinere*, idem repetere adversus vocem monentis; quemadmodum *succlamare* est clamare adversus aliquem concionantem. *Ambages;* hoc vocat Aristoteles τὰ κύκλῳ, quum non dicitur res ipsa, sed aliud quid ejus loco.

Not. 20. *Tibi luditur: effluis amens! — Tibi luditur;* vetus interpretatur scholiastes: *tu te ipse illudis*, h. e., ad te, non ad me aleæ hujus damnum spectat. — *Effluis amens;* monent alii interpretes *effluis* esse translatum a vase fictili non bene cocto, alii a vestitu laxo. Melius equidem sumi metaphoram ab aqua, quacum solemnis est temporis comparatio. *Effluere amenti* vitæ tempus, docet præceptor: neque tamen omnino omnem rejiciam comparationem cum iis qui *fluunt* voluptatibus; itaque transtuli: « insane, tibi vita mollitie fluens dilabitur. » Attende paululum non ad vocem *effluis* ipsam, sed ad omnem tenorem orationis; hic agi de jactura temporis facile intelliges.

Var. 21. *Contemnere. Sonat vitium percussa, maligne* etc. — Magis ea mihi placeat interpungendi ratio, quæ in duobus MSS. Codicibus recurrit 8055, 8070:

Contemnere. Sonat vitium: percussa maligne, etc.

ita ut *sonat vitium* non referatur ad *percussa*, neque cum eo verbo struatur, sed per se valeat idem ac si dixisset: *sonat* in te *vitium;* quemadmodum *fidelia percussa* etc. Hanc lectionem in interpretando secutus, in texto imprudens reliqui.

Not. 21, 22. *Contemnere. Sonat vitium: percussa, maligne Respondet viridi non cocta fidelia limo. — Contemnere;* Horat. Sat. II, 3, 14. — *Sonat vitium: sono* arguitur *vitium. — Percussa;* si fuerit *percussa*, explorata. — *Maligne respondet;* opponitur ad *sonat vitium.* Tautologia

est in his verbis : *viridi* et *non cocta. Respondet;* eleganter *fideliæ* tribuitur. — *Limum;* argilla. — Allegorice hæc omnia dicuntur ab arte figulina de Juvene *molli* et male tornato.

Not. 23, 24. *Udum et molle lutum es, nunc nunc properandus, et acri Fingendus sine fine rota.* — Pergit in eadem allegoria ab arte figulina. — *Udum et molle lutum es;* conveniunt hæc cum iis quæ supra dicta sunt *viridi non cocta fidelia limo;* neque quid hic minus aptum et non bene quadrans Kœnig inveniat video. *Lutum;* apud Latinos solemne fuit verbum ad exprimendos pravos mores, quemadmodum nostra vox *boue.* Cicer. in Pison. : « Homulus ex argilla et *luto* factus Epicureo. » Abierat etiam in proverbium *lutum es :* nonnihil ex hoc sensu h. l. verbum redolet, quamvis est ad artem figulinam proprium. — *Nunc nunc;* hac ætate scilicet quam maxime. — *Properandus et fingendus;* ὑπ δὲ δυοῖν pro *fingendus propere.* — *Acri rota;* citius currente; *acre* enim designat quidquid fit promptius; unde ad iram transfertur. — *Sine fine;* sine mora donec perficiatur. — Quod Latini *fingere* dicunt, idem simili metaphora Græci πλάττειν.

Queruntur h. l. interpretes, inprimisque Casaubonus diutius eadem similitudine Persium immorari et tautologiæ nimis indulgere. At vero potest excusari comparatio productior, eo quod monentis et castigantis est, eadem iterum atque iterum repetere; quod ingeniose notat ipse Casaubonus. Immo etiam ego libenter suspicatus fuerim Persium hic de industria comparationem adhibere, et producere, et amplificare, quæ foret in scholis ac disputationibus solemnis, quo magis haberet veritatis ac festivitatis præceptoris oratio. Tritam enim eamdem illam comparationem ridet quoque, dum usurpat, Lucianus, de Paras. sub initium, t. II, pag. 841, edit. Reiz. : Ἀλλὰ μὴ καθάπερ αἱ πονηραὶ χύτραι διαῤῥυέμεναι, μὴ σαθρὸν ἀποφθέγγηται. (Sed, ut malæ ollæ, quum pulsantur, ne putidum resonet.) Ridere autem eam comparationem Lucianum ex eo manifestum est, quod huic loco, quo eam adhibuit, nullam lucem afferat, atque per omnem dialogum solitas æqualium argumentationis et subtilitatis formas conquisivisse ad ridiculum videatur. Quam trita vero et obsoleta fuerit ea comparatio ex arte figlina petita, argumento sunt loci veterum prope innumeri. Plat. in Theæteto; id. in Philebo; Plutarch. de Adulatoribus; id. in octavo Symposiacorum, probl. III; Epictet. passim ac sæpius; Horat. Art. 164; Juvenal. IV, 134; Noster in V, 40; Sil. Italic. lib. IV; etc. etc.

Not. 24, 25. *Sed rure paterno Est tibi far modicum, purum et sine labe salinum.* — Fastum et fiduciam attingit, quam concipiunt liberi ex opibus et nobilitate parentum ac majorum suorum : *rure paterno.* — *Far modicum;* verba superbissimæ modestiæ, dum pigritiam suam excusat juvenis parentum opibus. — *Purum et sine labe salinum;* per hæc exprimit supellectilis munditiem et integritatem, quod bonis artibus acquisita sit ac sine macula. Horat. Od. II, 16, 13 sqq.:

Vivitur parvo bene, cui *paternum*
Splendet in mensa tenui *salinum*.

Not. 26. (*Quid metuas?*) *cultrixque foci secura patella.* — *Quid metuas?* Parenthesis ironica, qua stolidam juvenis in fortunæ bonis fiduciam exprimit magister. — *Patella;* a *patere* dicta; vas quo Diis domesticis delibandæ dapes offerebantur. Hæc *patella* videtur servari solita in foco, ut propterea dicatur *cultrix foci*; nisi per has voces intelligimus hac *patella coli* Deos in *foco.* — *Secura;* quia non sit metus ne patrimonium deficiat vel propter inopiam, vel propter irreligiositatem; sine *cura* possessum. Sic apud Horatium : « *securum* olus. »

Not. 27. *Hoc satis? an deceat pulmonem rumpere ventis.* — *Hoc satis?* Quid ais? inquit Stoicus præceptor : An nescis tria esse genera bonorum, animi, corporis, fortunæ; e quibus animi bona ita excellunt, ut sola dici vere bona mereantur. Tune igitur adeo amens es, ut fortunæ munera, quæ an in bonis censenda sint non convenit inter sapientes, ad beate vivendum putes tibi esse *satis?* Ita exponi debet *satis;* Stoici enim ad finem omnia referunt, ut sæpe monuimus; quare *satis* esse idem valet ac pro summo bono censeri. Præterea habet aliquid festivum *hoc satis*, quum pro summis bonis relata fuerint *salinum* et *patella*, res vilissimæ. — *An deceat pulmonem rumpere ventis* etc.; an sapienter facis, quod propter nobilitatem generis tui attollis spiritus? Largius hauriunt spiritum qui superbiunt, atque intumescunt; inde sumit locutionem, *pulmonem rumpere ventis.* — *Rumpere*, sæpius dicitur pro supra modum implere. Noster in V, 13 : « *rumpere* buccas »; Virg. Georg. I, 49 : « *ruperunt* horrea messes. »

Not. 28. *Stemmate quod Tusco ramum millesime ducis?* — *Stemmate Tusco;* summa nobilitas eo indicatur, quod avorum et proavorum serie supra Romulum urbemque conditam ascendatur usque ad Hetruscos. — *Ramum ducis;* elegantius quam si dixisset, *ducis* originem. — *Millesime;* ad millesimum gradum. Hoc et sequente versu (*trabeate*) casum vocandi posuit pro nominativo, quod Græcis poetis et Latinis familiare est, et apud ipsos solutæ orationis scriptores quoque recurrit. Plinius, de Cicerone loquens : « Primus patriæ parens appellate. »

Var. 29. *Censoremne tuum vel quod trabeate salutas?* — Sic edunt 8048 et 8070; habent vero 8055 et 8273 *Censoremque tuum*, quod ipsum recipi potest. Reperitur quoque *Censoremve tuum* vel *quod trabeate;* quæ lectio manifeste corrupta est, si quidem recurrerent simul *ve* et *vel.*

Not. 29. *Censoremne tuum vel quod trabeate salutas?* — Sensus : *vel* eone tibi places, quod genere sis equestri? Spectat autem ad equitum transvectionem coram Censore cum insignibus hujus ordinis, annulo, *trabea*, equo, phaleris. Conf. Liv. IX, 46; Dion. Halicarn. IV, 2; Val. Max. II, 2, 9. Alex. ab Alex. V, 18, Romulum primum *trabea* usum fuisse dicit, et triplex *trabeæ* genus distinguit. Transvectionis morem diu in-

termissum restituit Augustus; Sueton. August. 38. — *Censorem tuum*; non est fortasse simpliciter, *censorem* cui militiæ debes rationem; sed etiam cognatum *tuum*. Hæc omnia enim de industria in majus amplificata sunt, quæ hic de nobilitate generis dicuntur. Conf. Prop. IV, 11, 11; Juvenal. VIII, 130 sqq.; Senec. Herc. Fur. 338; Ælian. V. H. XIV, 36.

Not. 30. *Ad populum phaleras! ego te intus et in cute novi.* — *Ad populum*, subaudi jactita. — *Phaleræ* proprie sunt equorum ornamenta (Juvenal. XI, 103). Deinde pro quocumque ornamenti genere ponuntur, ut apud Petron. 55. H. l., intelligenda sunt per *phaleras* omnia corporis bona, quatenus fortunæ dona, non virtutis præmia sunt. Plutarch. de Amore divitiarum : τὰ τοῦ πλούτου φάλαρα (phaleræ istæ divitiarum.) Vox autem eo felicius h. l. adhibetur, quod agit poeta cum equite Romano. — *Ego te intus et in cute novi.* Sapiens homines non ex specie, sed ex intimo pectore dijudicat. *Intus et in cute*, pleonasmus; cæterum usitatissima est ea locutio *in cute*. Senec. Epistol. 56: « Aut fortasse hoc ipsum voluit nobis ostendere (Claranus) posse ingenium fortissimum ac beatissimum sub qualibet *cute* latere. »

Not. 31. *Non pudet ad morem discincti vivere Nattæ?* — *Nattæ;* utrum hoc nomine famosus aliquis designetur nebulo, cujus fuerit proprium, an e plebe nequissimi quique, quorum omnium fuerit commune, quæstio est? Et quidem *Natta* cognomen erat Pinariorum; Tacit. Annal. IV, 34; legiturque in nummis ejus familiæ. Contendit vero Casaubonus eorum omnium fuisse id nomen, qui sordidas artes exercebant, ut fullones, aliaque id genus; atque ex ea propria significatione translatum fuisse ad animum et vitæ dissolutæ homines et inhonestæ, qualis fere est vita pullatæ turbæ, et eorum quos *discinctos* Latini, Græci ἐκλύτους vocabant. Notum est apud Romanos *cinctutos* dictos fuisse frugis homines, *discinctos* vero moribus dissolutos; unde fortasse et in nostram linguam manavit locutio : « *des mœurs* relâchées. » Vetus scholiastes in MSS. 8055 adnotavit ad verbum *Nattæ* : « *erat quidam insulsus et lascivus.* » Litem eam, quæ de tenuissima re intercidit, quæque non nisi auctoritatibus quæ desunt dirimenda foret, injudicatam relinquam.

Not. 32. *Sed stupet hic vitio, et fibris increvit opimum Pingue.* — *Stupet;* idem valet apud Latinos ac in Græco ἀναισθητῶν; ponitur quoque eodem sensu *attonitum esse*. Deveniunt ad *stuporem*, qui vires animi sensim hebescere sinunt ac denique torpescere; atque adeo in doctrina Stoicorum *stupor* est ultimus degenerantis animi gradus, cui opponitur animi acies et industria, quæ dotes eorum esse solent, qui proficiunt, προκοπτόντων, ut ait Epictetus. — *Vitio;* propter *vitium*, non naturæ, uti placet Britannico; sed vitæ. — *Fibræ* nervini sunt ramuli et papillæ per omnes corporis partes diffusæ, quarum ope sentimus. — *Pingue;* pinguedo. — *Opimum;* crassum. Non infelix est pleonasmus *pingue opimum*. — *Increvit;* inolescit. — Hæc omnia per similitudinem dicuntur, qua stupidus et hebes animus cum corpore comparatur, qui, propter

callos vel obesitatem, vix ullum retinet sensum. Leg. Plutarchi libellum, quo morbos animi et corporis inter se comparat. Tertull. de Anima, cap. 20 : « *Opimitas* impedit sapientiam. » Noster, Sat. I, 57 : « *Pinguis* aqualiculus etc. »

Not. 33. *Caret culpa; nescit, quid perdat.* — *Caret culpa*, eo quod jam nihil sentit, neque intelligit. Jesu, in IX Joannis : εἰ τυφλοὶ ἦτε, οὐκ ἂν εἴχετε ἁμαρτίαν (si cæci eratis, culpa caruistis). Menand. fragm. ὁ μηδὲν εἰδὼς μηδὲν ἐξαμαρτάνει (qui nihil novit, nihil peccat). Conf. Juvenal. II, 15 sqq.

Not. 34. *Et alto Demersus, summa non rursus bullit in unda.* — *Alto;* fundo, cui opponitur *summa unda.* — *Bullit;* apparet, ut *bulla*, quæ ex aqua existit, ac proeminet in superficie. — Comparat hominem vitiis obrutum, qui nihil sentit aut peccat, cum homine aquis *demerso*, qui neque emergere, neque ad superam aquam redire potest. Quæ similitudo passim recurrit apud Antiquos. Cicer. de Finibus, III : « Ut qui *demersi* sunt in *aqua*, nihilo magis respirare possunt, si longe non absunt *a summo*, ut jam jamque possint *emergere*, quam si etiam tum essent in *profundo*. » Philo Judæus, in lib. ὅτι τὸ χεῖρον etc.; Dio Chrysostom. in IV de Regno; sacri sæpius scriptores.

Not. 35. *Magne pater divum! sævos punire tyrannos Haud alia ratione velis.* — *Stupori Nattæ* opponit acerrimos cruciatus, quibus ii dilacerantur, qui virtutem noverunt neglexeruntque. Augustin. lib. de Magistro, cap. 9 : « Persius omnibus pœnis quas tyrannorum crudelitas excogitavit, vel cupiditas pendit, hanc unam anteponit, qua cruciantur homines, qui vitia, quæ vitare non possunt, coguntur agnoscere. » Neque tantum laudandus est poeta propter sententiæ dignitatem, quæ multorum aliorum fuit, quam propter verborum gravitatem eloquentissimam, quæ ipsi propria est. Neque caret laude hic Boetii locus, a Persio fortasse mutuatus, Consolation. lib. III, cap. 8 :

> Quid dignum stolidis mentibus imprecer?
> Opes, honores ambiant!
> Et quum falsa gravi mole paraverint,
> Tum vera cognoscant bona.

Not. 36, 37. *Quum dira libido Moverit ingenium, ferventi tincta veneno.* — *Dira libido;* omnis immoderata cupiditas *libido* dicitur; si paulo sævior fuerit, ut in animis tyrannorum esse solet, vocatur *dira*, ac, si ira cæterarumque cupiditatum *fervor* accesserit, *venenis* inficitur. — *Tincta veneno;* pro venenata. Hoc adjecto libidinis vis aucta est. Sumptum hoc a telis venenatis, vulnera letifera semper infligentibus. — *Moverit ingenium.* Intelligunt cæteri interpretes ad excogitandum facinus; ego vero ad excogitandum supplicium. Immanissima enim subjiciuntur tormentorum genera, quæ rabies invenerit tyrannorum, quales fuerunt Taurus ille aheneus Phalaridis et Ensis in caput Damoclis crine suspensus. Pro mea interpretatione militant verba Augustini superiore

nota relata ipsumque auctoris consilium, qui pœnas comparare voluit, quas dat conscientia nocentium, cum iis pœnis, quæ sunt excogitatæ vel ab improbissimis tyrannis, dum furerent.

VAR. 38. *Virtutem videant, intabescantque relicta.* — Edunt quidam *virtutem invideant*, quidam *virtuti invideant;* quæ lectio nusquam in meis MSS. recurrit, atque per se minus laudabilis videtur, quam hæc nostra plerisque recepta editoribus.

NOT. 38. *Virtutem videant, intabescantque relicta!* — Felicissime hoc versu Persius expressit, quæ nocentes remordeat pœnitentia, si quando reflectant oculos ad virtutem, quam deseruerint, quæque, ut ait Tullius, de Finibus, lib. II, « ardentes amores excitaret sui, si oculis videretur. » Formam autem versus ab Ovidio mutuatus est, Metamorph. II, 780 sqq.:

Sed *videt* ingratos *intabescitque* videndo
Successus hominum.

NOT. 39. *Anne magis Siculi gemuerunt æra juvenci.* — Alludit ad celeberrimum illum taurum aheni, quo Phalaris Agrigentinorum in Sicilia tyrannus, homines cremavisse dicitur. Plinius, Hist. Nat. lib. XXXIV, cap. 8 : « Perillum nemo laudat sæviorem Phalaride tyranno, qui taurum fecit, mugitus hominis pollicitus, igne subdito, et primus eum expertus cruciatum justiore sævitia. » — *Gemuerunt æra juvenci;* metonymia, pro, ingemuerunt homines tauro æreo inclusi.

VAR. 40. *Aut magis auratis pendens laquearibus ensis.* — Quidam legunt *et* pro *aut*, quod edunt mei MSS. codices.

NOT. 40, 41. *Aut magis auratis pendens laquearibus ensis Purpureas subter cervices terruit.* — Alludit ad fabulam de Dionysio tyranno ejusque assentatore Damocle notissimam. Cicero, Tuscul. V, 21; Macrob. ad somnium Scipionis lib. I, cap. 10; Horat. Od. III, 1, 16. — *Laquearibus; lacunar* seu *laquear* erat tectum triclinii tignis transversis in quadratas depressiones (*lacus* vel *lacunas*) divisum, auro, coloribus et picturis illustratas; vid. Jani Comment. ad Horat. Od. II, 16, 11. — *Pendens;* seta enim equina. — *Purpureas subter cervices;* proprie supra caput Damoclis purpura induti.

NOT. 42. IMUS, IMUS PRÆCIPITES, *quam si sibi dicat.* — Voces conscientiæ in corde nocenti reclamantis, hominemque in præceps agi commonentis. Hos mentis tumultus exprimit Tiberius in ea Epistola scripta ad senatum, cujus meminit Suetonius, Tiber. 67. Confer Juvenal. satir. XIII, vers. 192 sqq.

NOT. 43. *Et intus Palleat infelix, quod proxima nesciat uxor? — Palleat intus;* paulo durior ea locutio videatur, si memineris *pallorem* in ore prominere, non vero *intus* existere posse; sed *pallere* dicitur interdum apud poetas pro *horrere*, remota omni imagine. H. l. nihil aliud

significat *intus pallere*, quam *internis* exagitari conscientiæ doloribus. — *Quod proxima nesciat uxor;* illud *quod* potest intelligi quasi sit pro: *palleat ob id, quod* etc. : Angoribus maceratur, quos ne cum familiarissimis quidem suis, ne cum uxore quidem communicare audeat. Vel eo sensu defendi potest subjunctivus. Potest quoque sumi *quod* pro *quamvis* (Burmann. ad Propert. III, 1, 49) ut sensus sit: internis cruciatur doloribus, *quamvis* ne uxor quidem prope cubans id sentiat ac noverit, quod admiserit piaculum. Certatim poetæ et oratores veteres conscientiæ stimulos variis expresserunt imaginibus; inter quas hæc Persiana maxime celebratur. Censent nonnulli hæc potissimum dicta fuisse Neroni, qui, *virtute relicta* tyrannidem jam tum exerceret, et cui *dira libido moveret ingenium*. Neque huic ego omnino repugnaverim opinioni. Nam, sicuti superius monui in argumento, inter legendum hanc satiram, Senecam tunc temporis assedisse Neroni magistrum, pessimamque naturam Principis stoicismi præceptis, quantum fieri potuit, compressisse, nusquam est obliviscendum.

VAR. 44. *Sæpe oculos, memini, tangebam parvus olivo.* — Sic ad eum versum Casaubonus annotavit: « Ita scribendum est: *tangebam*, inquam, non *tingebam*, quod et membranæ damnant, et vetus interpres, cujus sunt verba: *oculi oleo tacti perturbantur ad tempus*. Accedit, quod caput est, ratio ipsa; nam *tingere* oleo, h. e. linere superficiem ciliorum, adeo non nocet oculis, ut juvet plurimum firmetque aciem. Quare scribit Dioscorides in secundo, olei ὑπάλειμμα valere ad ὀξυδορκίαν. Non igitur *tingebam* hic legendum est, sed *tangebam*, et de interioris oculi *tactu* accipiendum. » Habent *tangebam* MSS. mei codices 8055, 8070, 8273.

NOT. 44. *Sæpe oculos, memini, tangebam parvus olivo.* — *Tangebam parvus olivo;* scilicet ut viderer laborare oculis, vel etiam laborarem ad tempus, meique parentes me a studiis, a quibus abhorrebam, retinerent. *Olivum* dixit pro *oleo*, quemadmodum in superiore satira, ad vers. 64. — *Parvus;* puer, unde etiam dicit *memini*. Opponitur ea vox *parvus*, huic versus insequentis: *grandia*.

VAR. 45, 46. *Grandia si nollem morituri verba Catonis Dicere, non sano multum laudanda magistro.* — Pro *morituri Catonis* legitur quoque *morituro Catoni*, ut non sit ipsi Catoni attributa oratiuncula, sed cuidam Romano ad Catonem. Quæ lectio et ipsa recipi potest, quum recurrat apud nonnullos MSS. codices Aldinamque editionem, neque parum habeat festivitatis. Inducit enim parvum puerum susurrum Catoni, quid ei sit agendum. — Diutius hæseram anceps ac suspensus inter MSS. Codd. scholiastisque fidem, qui edunt *discere*, et laudatissimorum Editorum auctoritatem (Casauboni, Kœnig, Gifford), qui *dicere* posuerunt. Diremit vero omnem tumultum hic Quintil. locus lib. II, cap. 8, qui demonstrat utramque lectionem æque probabilem ac probandam esse: « Illud ex consuetudine mutandum prorsus existimo in his, de quibus nunc disserimus, ætatibus, ne omnia quæ scripserint, *ediscant*, et certa die, ut moris est, *dicant*. » — Pro *non sano*, quod habent MSS. Codd. 8055, 8071, 8273, legitur in aliis *ab insano*, quod receperunt Scholiastes et Britannicus, perperamque sunt interpretati. Nam *insanum* transtulerunt per *valde sanum*, hoc sese tuentes Virgilii loco, Æneid. lib. III, 443: « *Insanam* aspicies vatem; » atque monentes particulam *in* hic esse auctivam. Sed

primo crediderim hoc Virgilii loco *insanam* verti debere per mentis non bene compotem, ut vates esse dicantur a numine agitatæ; deinde hic jocari et carpere Persium, minime vero laudare et admirari, quis non intelligit? Restat ut dicam *insano* (valde sano) dici per ironiam. Sed quid juvat vim verbi notam ac solitam infringere, ut ad similem sensum revertantur?

Not. 45. *Grandia si nollem morituri verba Catonis Dicere.* — Ridet hoc loco Persius et trita scholarum argumenta, et puerorum declamationes agi tunc temporis solitas. Quint. lib. II, capp. 3, 4, 8; idem lib. X, cap. 5; Juvenal. I, 16; Stat. Silv. V, 3, 215 sqq. — *Morituri verba Catonis;* declamatio, ut altera hæc, cujus Sat. I, 16, meminit Juvenalis: ad Syllam, ut abeat dictatura, etc. Locupletissimus fuit vel ad disputandum vel ad declamandum apud Romanos locus celeberrima mors Catonis Uticensis. Senec. Epistol. XXIV. — *Grandia;* noli intelligere: qualia decerent tantum virum in novissima ac solemni mortis die. Joco hoc dictum est, quo magis appareat, quam parum conveniens sit dare æstimandum puero, rerum temporumque ignaro, cives præclarissimos difficillimasque Reipublicæ tempestates. Sensuum enim et sententiarum neglecta gravitate, quam nondum capit illa ætas, turgida verba recitabant. Eodem more *grandia* hic positum est, ac in I, 14: « *grande* aliquid. »

Not. 46. *Non sano multum laudanda magistro.* — *Non sanus* erat *magister*, qui talia proponeret pueris argumenta, judiciique pravitatem in laudando ostenderet, vel adulationem. Petron. Imit. Satirici; Grammaticos *magistros* et *professores* esse appellatos docuerunt interpp. Petron. 55.

Not. 47. *Quæ pater adductis sudans audiret amicis.* — *Sudans*, æstuans, anxius de eventu, ἀγωνιῶν. — *Adductis*, ut filiolum *verba dicentem* audirent ejusque sapientiam mirarentur. Quintil. X, cap. 5: « Obstat huic, (ut pueri celeriter proficiant) quod secundo libro posui, frequens turba discipulorum, et consuetudo classium certis diebus *audiendarum*, nonnihil etiam persuasio *patrum* numerantium potius declamationes, quam æstimantium. »

Var. 48. *Jure; etenim id summum, quid dexter senio ferret Scire, erat in voto.* — Edunt MSS. 8055, 8070: *etenim id summo*, quasi adjectivum cum *voto* consociandum foret, non cum *id*. *Summum* prætuli, quod habent alii MSS. inter quos 8273, quodque receperunt editores probatissimi. Sæpius in versu recurreret et consonaret *o*.

Not. 48. *Jure; etenim id summum, quid dexter senio ferret Scire, erat in voto.* — *Jure;* convenienter annis puerilibus. Huic verbo inest vis comica, quum designet merito fastidisse puerum ineptas exercitationes. — *Etenim id summum;* Senec. Epistol. LXXI: « Quoties quid fugiendum sit, aut quid petendum voles scire, ad *summum* bonum et propositum totius vitæ respice: illi enim consentire debet quidquid agimus. Non disponet singula, nisi cui jam vitæ suæ *summa* proposita est. » *Summa* autem bona pueris, et quæ sibi maxime exoptanda putant, ludi sunt,

quorum genera præcipua recensentur. — *Dexter senio;* pertinet ad talorum tesserarumque ludum, græce *κύβεια*. *Senionem* vocabant tali latus, cui *sex* erat inscriptum. Ut quisque, talis jactis, *senionem* miserat, vincebat; unde Noster dixit: *dexter senio ferret*, h. e. felix *senio* lucrum conciliaret. Celebrantur ac nominantur alii quoque talorum jactus apud veteres. Vid. Ovid. Art. Am. II, 204 sqq.; Trist. II, 471 sqq., ibique interpretes; Dion. Chrysostom. in IV, de Regno; Sueton. August. 71, ibique Casauboni notas.

Not. 49. *Damnosa canicula quantum Raderet. — Damnosa canicula;* jactus est infelix, qui opponitur huic superiori: *Dexter senio.* Felix jactus vocabatur quoque *Venus*, infelix *Canis.* Lucian. Amor. tom. II, pag. 415 Edit. Reitzii, p. 1033 Edit. Benedicti. — *Raderet; deraderet*, rei detraheret; opponitur ad *ferret.* — Antiquissimi esse videntur talorum et tesserarum ludi, de quorum origine ac generibus vid. Herodot. lib. I, n° 26; Eustath. in Odyss. 1; Platon. in Phæd. sub finem; Alexand. ab Alex. lib. III, cap. 21; Cœl. Rhodig. lib. XX, cap. 27; Adrian. Turneb. advers. lib. V, cap. 6; lib. XXVII, cap. 3; item quæ Lib. Fromondus curiose pariter et docte scripsit ad Senecæ Apocolocyntosin Claud. Cæs. n° 134.

Not. 50. *Angustæ collo non fallier orcæ. — Angustam orcam* dicit ad differentiam veræ *orcæ;* meliusque conveniat *angustum* cum verbo *collo*, quam cum ipsa *orca.* Τρχυ Græci, Latini *orcam* vocabant vas modicæ capacitatis, oblongum. Vid. inf. 76. — *Non fallier;* non aberrare; pendet hic infinitivus ab *erat in voto.* — Magna inter commentantes *contentio est*, utrum hæc de eodem talorum ludo dicta sint, an de alio genere lusionis. Pompon. apud Priscian. lib. III, cap. 9: « Interim, dum contemplor *orcam*, taxillos perdidi. » Unde nihil aliud colligi potest, quam taxillos et *orcam* ejusdem lusionis fuisse arma, non vero eumdem nunc describi ludum ac superioribus versibus. Contendunt Casaubonus, Kœnig aliique interpretes idem unumque fuisse lusus instrumentum *orcam*, pyrgum, phymum, fritillum. Legitur apud Ovid. de Nuce, 87 sqq.:

> Vas quoque sæpe cavum spatio distante locatur,
> In quod missa levi nux cadit una manu.

Videtur ad eum ludum alludere Persius, quem Ovidius his versibus descripsit; isque ludus æque taxillis, aut calculis, aut nucibus ludebatur. Conf. Pollucis Onomasticon, IX, 7; Horat. Sat. II, 7, 17, ibique interpretes; Ruperti ad Juvenal. XIV, 5; Erasm. de Ludis.

Not. 51. *Neu quis callidior buxum torquere flagello. — Buxum;* turbinem, sive trochum e *buxo* tornatum. Virg. Æneid. VII, 378: « Volubile *buxum;* » ibique fusius ludus describitur, de quo nunc agit Persius; Tibull. I, 5, 3, ibique Heyn. — *Callidior torquere;* græca constructio, pro *callidior* ad *torquendum*, quæ sæpius recurrit apud poetas. Virg. Eclog. V, 1 et 2.

VAR. 52. *Haud tibi inexpertum curvos deprendere mores.* — Veteres habent nonnullæ editiones : *haud tibi inexpertum* EST ; quod mei non edunt MSS. Codices.

NOT. 52. *Haud tibi inexpertum curvos deprendere mores.* — Sequitur nunc ejus sententiæ quasi apodosis, quam Noster verss. 44—51 exprimere orsus est. — *Haud tibi inexpertum ;* locutio elegantior pro novisti, peritus es. — *Curvi mores; mores* qui a regula deflectunt, dicuntur Persio *curvi*, *intorti*. In V, 38 :

Apposita *intortos* ostendit regula *mores*.

Vulgo pravi ii *mores* appellantur ; Stoicis vero recte facta κατορθώματα vocari solebant. Apud Senecam et Plinium non semel reperire est *curva corrigere* pro censorem agere. — *Deprendere;* dignoscere, non vero reprehendere aut notare, quod censoris est minimeque convenit adolescenti nostro desidioso.

NOT. 53. *Quæque docet sapiens braccatis illita Medis Porticus.* — Sic designat præcepta Stoicæ disciplinæ. — *Porticus;* ποικίλη στοά. Fuit hæc *Porticus* ex multis quibus Athenæ superbiebant celeberrima, dicta etiam Pisianactia, et postea Pœcile, sive varia et decorata, propter ingentem pulcherrimarum tabularum numerum, quas excellentissimi pictores, Polygnotus, Mycon et Pandæmus, Phidiæ frater, pinxerant ad consecrandam tum aliarum, tum maxime Marathonicæ victoriæ memoriam ; unde Noster dixit : *braccatis illita Medis.* Sub hac *Porticu* Zeno dabat præcepta discipulis, atque ita Stoicismi nomen ejus Philosophiæ inditum est, quemadmodum Academiæ nomen scholæ Platonis, quæ habebatur in hortis Academi. Vid. Plin. Hist. Nat. XXX, 9 ; Cornel. Nepot, Miltiad. 6 ; Diodor. Sicul., VI, 9 ; Plutarch. in Cimone, 4 ; Diogen. Laert. VIII, 5 et 6 ; Suid. in voc. Polygnotus ; Pausan. I, p. 27. Adhuc temporibus Honorii et Arcadii visebatur Athenis Zenoniana *Porticus* cum suis tabulis. Sed Stoicos veneratione ei loco prope majorem quam superum templis tribuentes non tulit Proconsul quidam Achaiæ : is locum deturbavit, tabulas abstulit, eoque facto Stoicis supercilium non mediocriter retudit, ut ait Synesius, Epist. LIV, pag. 135. — *Braccatis Medis ; braccæ* erant feminalia seu femoralia, quibus Persæ nonnullique alii barbari utebantur. Laxiores apud Persas, striotiores apud Celtas fuisse videntur. Vid. loca a Ruperti ad Juvenal. II, 169, collata ; Xenoph. Cyropæd. VIII, 3, 13 ; et Perizon. ad Ælian. V. H. XII, 32, copiose de iis disserentem.

VAR. 54. *Insomnis quibus et detonsa juventus.* — Sic edunt MSS. mei Codd. laudatissimæque Editiones. Posuerunt quidam pro *et detonsa*, *indetonsa ;* quam lectionem per corruptelam invectam esse monent et constructio, quæ indigeat partieula *et* propter duplicem adjectivum, et sensus ; quoniam constat Stoicos non promissis capillis, sed curtis vixisse. Vide notam sequentem.

NOT. 54. *Insomnis quibus et detonsa juventus Invigilat.* — Significat Stoicæ disciplinæ severitatem, et, ut aiebant Græci, ἀπογύμνωσιν ; cui se obnoxium vixisse in pueritia testatur Marc. Aurelius imperator, de Reb.

suis. Juventutem præcipue Stoici exercebant ad omnem laborum patientiam inedia, vigiliis studiisque asperrimis. — *Detonsa;* fuisse mos videtur Stoicis, ut barbam alerent, sed capillos cute tenus tonderent. Juvenal. II, 14 sqq.:

> Rarus sermo illis, et magna lubido tacendi
> Atque supercilio *brevior coma.*

Lucian. Vitar. Auct. 20, et in Hermot. 18, et alibi passim ac sæpius ridet æqualium philosophorum mores inprimisque Stoicorum.

Not. 55. *Siliquis et grandi pasta polenta.*. — Stoicam disciplinam pergit describere. — *Siliquis;* legendum est apud Plin. Hist. Nat. XV, 24, quod genus sit arboris *siliqua.* Sæpius autem vox ea designat generaliter tegumenta et folliculos leguminum et frugum, quibus etiam pecora aluntur. H. l. pro vilissimo quoque legumine posita est, ut apud Horat. Epist. II, 1, 123: « *Siliquis* et pane secundo. » — *Grandi polenta;* farina hordacea vilis panis fiebat, qui apud Latinos panis secundus aut *polenta* dicebatur, apud Græcos ἄλφιτα. Plin. Hist Nat. XVIII, 7; id. XXII, 25. — Subesse his horridæ Stoicorum disciplinæ laudibus nonnihil ridiculi libenter crediderim. Nimiam enim et ambitiosam istam Stoicorum austeritatem ecquis apud veteres non ridet satiricus? Horat. passim in Satir. Epistolisque; Juvenal. tota secunda; Lucian. vitar. auction.; idem in Nigrino, cap. 27, 28; idem passim ac sæpius.

Not. 56, 57. *Et tibi, quæ Samios diduxit littera ramos, Surgentem dextro monstravit limite callem.* — Ad hunc intelligendum locum valebunt Servii verba ad Virgil. Æneid. VI, 136: « Novimus Pythagoram Samium vitam humanam divisisse in modum litteræ Y; Scilicet quod prima ætas incerta sit, quippe quæ adhuc se nec vitiis, nec virtutibus dedit: Bivium autem litteræ Y a juventute incipere, quo tempore homines aut vitia, i. e. partem sinistram, aut virtutes, i. e. partem dextram sequuntur. » Conf. Lactant. VI, 3. — *Samios;* quia Pythagoras, ejus emblematis auctor, in insula *Samo* natus erat. — *Diduxit;* in diversum extendit. — *Surgentem dextro callem;* Hesiod. Oper. et Dier. 267: « μακρὸς δὲ καὶ ὄρθιος οἶμος; *longa atque ardua via est.* » Qui locus Hesiodi omnis a versu 263 videtur initium huic dedisse imagini, quam posteri vates ac Philosophi non semel ab illo de vita humana expresserunt, et ad quam Noster rursus alludit in V, 34 sqq.;

> Quumque iter ambiguum est, et vitæ nescius error
> *Diducit* trepidas *ramosa* in compita mentes

Anthol. Lat. Burmann. tom. II, p. 416, Epigramm. 140, quod Martialis esse dicitur:

> *Littera* Pythagoræ discrimine secta bicorni
> Humanæ vitæ speciem præferre videtur, etc...

Conf. Platon. Rep. II, tom. VI, pag. 229, edit. Bipont.; Xenoph. in Memor. Socrat. II, 1, 20, ibique Zeunii notas; Sil. Ital. XV, 18 sqq.; Basilii Homil.: Quomodo Util. Percipi Possit e Græcorum Scriptis, n° 5.

Not., 58. *Stertis adhuc? laxumque caput, compage soluta. — Stertis adhuc;* exclamatio indignantis quod desidiosum juvenem ac temulentum nulla res excitare possit, non ætas, neque doctrina, neque exempla ejus juventutis, quæ *invigilat insomnis.* — *Laxumque caput* etc.; graphica descriptio ebrii, cujus caput, mero gravatum, quasi *laxatis* colli vinculis, quasi *compage* cervicis omni *dissoluta*, huc illucque nutat. Græce ἰκλυτοι, Latine *dissoluti* proprie dicuntur homines, qualem nunc describit Persius.

Not. 59. *Oscitat hesternum, dissutis undique malis! — Oscitat hesternum;* subaudi *vinum.* Virg. Eclog. VI, 15:

Inflatum *hesterno* venas, ut semper, iaccho.

Plato : « χραιπαλῇ ἐκ τῆς πρότερας; ex *hesterno* crapula; » — Amplificatur *oscitat* per *dissutis undique malis.* Nervis enim, quibus omne corpus cohæret et adstringitur, maxime inimicum est vinum. — Omnis ea descriptio cum iis maxime convenit, quæ supra dicta sunt, vers. 3 :

.... Indomitum quod despumare Falernum
Sufficiat.

Var. 60. *Est aliquid quo tendis, et in quod dirigis arcum.* — Nonnullis hæc legi placet interrogative, monetque interrogationem esse Cornutus. Magis tamen habere visus est locus ironiæ, si hæc ponantur absolute, ut in gallico sermone : *Vous avez un but; ou bien*, etc.

Not. 60. *Est aliquid quo tendis, et in quod dirigis arcum.* — Aperit discipulo magister fontem errorum vitiorumque ejus esse, quod vivendo certum sibi *finem* non proponat. Alii in alia re philosophi veteres summum bonum, extremum finem, τὸ τέλος posuerunt; sed in eo consensere omnes, ut summum illud bonum, qualecumque sit, per omnem vitam maxime expetatur. Ad finem, aiebant Stoici, vita omnis dirigatur, tanquam ad scopum sagitta. Unde Noster simili comparatione dicit : *dirigis arcum.* Seneca, epist. XX : « Unam semel, ad quam vivas, regulam prende, et ad hanc vitam omnem exæqua. » Id. epist. LXXI : « Ideo peccamus, quia de partibus vitæ omnes deliberamus, de tota nemo deliberat. Scire debet quid petat ille, qui sagittam vult mittere; et tunc *dirigere* et moderari manu telum. » Virgil. Cul. 89 (Lectio Scaligeri) :

Huc mittit et omnes
Dirigit huc sensus.

Horat. Epist. I, 2, 56 :

.... Certum voto pete finem.

De hac eadem Stoicorum doctrina vid. Senecam passim; Epictet. Manual. cap. VIII, edit. Shweigæuser; Marc. Antonin. II, 7.

Not. 61. *An passim sequeris corvos testaque lutoque.* — « Vita sine proposito vaga est », Senec. Epist. XCV. Hanc vitam hic describit Persius, et eum, qui ita vivit, similem dicit esse ei, qui *corvos* et id genus aviculas sectatur et capere intendat, non arcus, sed testæ vel luti jaculatione,

eo arrepto quod primum in manus venerit. Quasi in proverbium abierat apud antiquos *sectari aves*, τὰ πτερόμενα διώκειν, quod in stultos ac frustra laborantes dictitabant. Conf. Senec. de Vita Beata. — *Passim*; Senec. in Epistol. : « *passim* sectari profutura. »

Not. 62. *Securus quo pes ferat, atque ex tempore vivis? — Securus quo pes ferat*; Senec. de Tranquillitate Animæ : « qui sine proposito vagantur, quærentes negotia; qui non quæ destinaverunt agunt, sed in quæ incurrerunt. » — *Atque ex tempore vivis*; h. e. non ex consilio, sed *ex tempore in diem victitas*. Cicer. de Orat. XI : « Si barbarorum est *in diem vivere*, nostra consilia sempiternum tempus spectare debent. » Hom. Odyss. XXI, 85 :

Νήπιοι ἀγροιῶται, ἐφημέρια φρονέοντες.
(*Stulti agrestes, qui diem durantia cogitant.*)

Ex tempore interdum significat ex improviso; interdum convenienter, ad *tempus*, callide; qui sensus ab hoc Persiano paululum distant.

Not. 63, 64. *Helleborum frustra, quum jam cutis ægra tumebit, Poscentes videas : venienti occurrite morbo.* — Ovid. Remed. Amor. 91 sqq.

Principiis obsta : sero medicina paratur,
Quum mala per longas convaluere moras.

Quod de Amore dixit Ovidius, hoc de omnibus animi morbis dicit Noster, atque per comparationem, Ovidianæ haud absimilem, docet juvenes quam primum ægrotanti animo medicinam faciant. — *Helleborum* valere ad sanandos hydropicos monet Plin. H. N. XXV, 22 — *Quum jam cutis ægra tumebit*; per hæc verba intellige hydropisiam, atque per hydropisiam morbum quemcumque. — *Venienti occurrite morbo*; idem est ac Ovidianum illud : *Principiis obsta*. — Ne nos moretur singularis *videas* cum plurali *occurrite*; sic jubent lex versus et solemnis locutio *videas*.

Var. 65. (*Et quid opus magnos Cratero promittere montes?*) — Legenda hæc esse censeo sic inclusa in parenthesi, ne constructio intercidat. Ejusdem enim constructionis ac tenoris esse videntur hæc verba, quæ nonnulli distingunt ac separant editores : *occurrite, discite, cognoscite*.

Not. 65. (*Et quid opus Cratero magnos promittere montes?*) — *Et*, idem valet, ac si posuisset *nam quid*, vel potius *ecquid*. — *Cratero*; hoc nomen proprium posuit pro quovis medico celeberrimo. Medicus enim fuisse dicitur temporibus Augusti notissimus hic *Craterus*. Horat. Sat. II, 3, 161, ibique notas interpp.

Non est cardiacus; *Craterum* dixisse putato.

— *Magnos promittere montes*; monet Cornutus schôliastes in proverbio fuisse *aureos montes*. Sallust. Catil. XXIII : « maria *montes*que polliceri. » — Stultitiam hominum qui, neglecta cura valetudinis, deinde medicos implorant cumulantque donis, maxime damnant ac rident Stoici. Seneca, de Brevitate vitæ; Epictetus, apud Arrian. lib. III, πῶς δεῖ φέρειν τὰς νόσους; (*quomodo morbos ferendum sit.*)

VAR. 66. *Disciteque, o miseri, et causas cognoscite rerum.* — Habent MSS. Codd. *discite, o miseri*, quam lectionem probatissimi receperunt editores; et quidem interdum fieri potest, ut elisio nulla sit vocalis quæ præcedit o, propter aspirationem exclamationis. Sed habent vetustissimæ editiones optimæ notæ: *Discitque, o miseri*, quod cum præcedente verbo *occurrite* maxime convenit libenterque mihi recipitur. Posuit Kœnig, ut elisionem vitaret, *Discite io miseri.*

NOT. 66. *Disciteque, o miseri, et causas cognoscite rerum.* — Adversus animi morbos parandam esse quam primum sapientiam, docet magister adolescentem, subjicitque philosophiæ capita, quibus Stoicismi summa continetur. — *O miseri;* ex opinione Stoicorum, præter unum illum sapientem, quem animo et mente conceperant, cæteri homines *miseri* erant et *stulti.* Neque tantum habet in se indignationis et contemptus exclamatio, quam miserationis. Attende enim quibus agat verbis vel cum amico Hesiodus, Oper. et Dier. 262: « *μέγα νήπιε Πέρση*; (*o multum insane Perse.*) » — *Et causas cognoscite rerum;* recurrit eadem locutio apud Virgil. Georg. lib. II, vers. 490:

Felix qui potuit *rerum cognoscere causas!*

Sed Virgilius naturalem intelligit philosophiam, Noster moralem. *Cognitis* enim *rerum causis*, vanos animi tumultus insanasque cupiditates deponimus, discernimus vera bona, et vitam honestam instituimus. Huc pertinet hic Juvenalis locus, spirans sublimes Stoicismi sensus, sat. VIII, 83 sqq.:

Summum crede nefas animam præferre pudori
Et propter vitam vivendi perdere *causas.*

Operæ pretium est conferre hæc animi remedia, quæ petit e Stoicismo Persius, cum animi remediis, quæ ex omni schola recollegit Horatius, Epistol. 1 et 2 lib. I. — Omnem Persii locum qui sequitur, retulit Div. Augustin., de Civitat. Dei, lib. II, cap. 6.

NOT. 67. *Quid sumus, et quidnam victuri gignimur.* — Principium est philosophiæ noscere se ipsum, *quid sumus*, ac scire quem ad finem vita homini a Deo data sit, *quidnam victuri gignimur.* Quanquam hæc verba *quidnam victuri* interpretantur quidam non de fine homini in vita proposito, sed de brevissimo spatio vitæ. Senec. Epistol. XCIX: « Hoc, quod vivimus, proximum nihilo est, et tamen late disponitur. » Sed præstare mihi videtur latior hic sensus et huic loco magis proprius: quem ad finem geniti simus. Cic. de Finib. II, 13: « Hi non vident, ut ad cursum equum, ad arandum bovem, ad indagandum canem, sic hominem ad duas res, ut ait Aristoteles, ad intelligendum et ad agendum esse natum, quasi mortalem Deum. » Conf. Platon. Alcibiad. I, tom. V, pp. 56 et 65, Edit. Bipont.; Cicer. de Finib. lib. IV; eumd. ibid. lib. V; Senec. Epistol. XCV; eumd. de Benef. lib. VIII, c. 1; Epictet. apud Arrian. lib. II; Arrian. Dissertat. II, cap. 11: Quomodo Invenienda sint Officia ex ipsis Nominibus? Juvenal. sat. VIII, vs. 83 sqq.; eumd. sat. XI, vs. 27 sqq.

Var. 68. *Aut metæ quam mollis flexus, et undæ.* — Legunt quidam editores *et undæ*, ut *flexus* sit *undæ*, sicuti *metæ*; et intelligunt de navium cursu et certamine in mari, hoc sese tuentes Virgilii loco, Æneid. lib. V, vs. 430 sqq.:

Hic viridem Æneas frondenti ex ilice *metam*
Constituit signum nautis pater; unde reverti
Scirent, et longos ubi circumflectere cursus.

At vero, ut omittamus MSS. Codd. fidem, qui edunt *unde* omnes, atque ut eam admittamus locutionem *flexus undæ*, quæ minus habere videtur latinitatis, qui tandem erit sensus? scilicet *flectere iter vitæ molliter et callide, ut ad metam et in unda.* Ars illa porro et calliditas melius Aristippi philosophiæ conveniat, quàm huic Zenonianæ, quæ nunc describitur.

Not. 68. *Ordo Quis datus, aut metæ quam mollis flexus, et unde. — Ordo quis datus;* variant de hujus loci interpretatione editores. Alii vertunt: disce quem in rerum natura constituerit admirandum *ordinem* divinus opifex. Alii: quo *ordine* vita nostra vertatur. Quæ postrema translatio vero similior mihi videtur, neque tamen satis aperta. Meminerimus apud Stoicos *ordinem* aut *rerum ordinem* esse fatum. Senec. in libro: Quare Bonis Viris Mala Accidant? « Caussa pendet ex caussa; privata, publica longus *ordo* rerum trahit; » Id. Naturalium lib. II: « Sic *ordinem* rerum fati æterna series rotat, cujus hæc prima lex est stare decreto. » Ac paulo inferius: « In illo fati *ordine*, quo patrimonium illi grande promittitur, hoc quoque protinus fatum est, ut naviget. » Marc. Antonin. IV, 45; X, passim; Epictet. 29. Quamobrem intelligi debet sempiternus ille et immotus rerum *ordo*, quem Stoici *fatum* vocabant, et cui homo lubens volensque acquiescat. — *Aut metæ quam mollis flexus, et unde.* Fusius explicat quid per fatum, aut *ordinem datum* intelligi debeat. Scilicet *ordo* ille *datus* homini est, ut ad *metam* vitæ, h. e. ad mortem, *molliter flectatur*, et eo revertatur *unde* profectus erat, ut eo vita desinat, *unde* incœperat. Hæc vero expressit auctor per similitudinem translatam a curriculo, in quo certantes currus ad *metam*, h. e. ad extremum spatium, *molliter flectuntur*, eo revertentes *unde* sese effuderant. Sæpe sæpius eam comparationem veteres poetæ usurpaverunt. Virgil. Æneid. lib. IV, vers. 653:

Vixi, et, quem *dederat cursum fortuna* peregi.

Id. Æneid. lib. X, vers. 473:

Fata vocant, *metas*que *dati* pervenit ad ævi.

Id. Æneid. lib. XII, vers. 546:

Hæc tibi mortis erant *metæ*.

Conf. Pindar. Neme. VI, 10 sqq.; Ovid. ad Liv. Aug. 357 sqq.; Juvenal. X, 358. Jubet autem Porticus doctrina hominem respicere eò, *unde* ortus sit, quo minus irascatur mortem, aut finem esse vivendi, quoniam fuit initium; tum spes est sapienti esse Deum, ad quem boni revertantur. Plato, Apolog. Socrat. tom. I, pag. 93, edit. Bipont.; Cic. Tuscul. Quæstion. I, 41; Id. ad Familiar. IV, 5; Senec. Epist. 30; Marc. Anton. IV, 48, 50.

Not. 69. *Quis modus argento; quid fas optare; quid asper Utile nummus habet.* — Hæc omnia de *argento*, sive de opibus dicta crediderim, in quibus *modus* servandus sit, sive ad acquirendum spectes *quid fas optare*, sive ad utendum, *quid asper utile nummus habet. Modus* autem, ex omnium sapientium doctrina, is est optimus, qui naturæ conveniat. Senec. Epist. 16, sententiam referens Epicuri : « Si ad naturam vives, nunquam eris pauper; si ad opinionem, nunquam dives. Exiguum natura desiderat, opinio immensum. » Confer Juvenal. XIV, 316 sqq.; Persium VI, sub finem. — *Quid fas optare;* monent Kœnig et Casaubonus de hoc loco, ad satiram secundam respiciamus, quæ de votis agit; hæc vero non in totum dicta videntur, sed proprie de *argento*, vel de opibus, uti paulo ante monebam. — *Quid asper utile nummus habet;* quasi dixisset : quem ad usum *nummi* cudantur; non, ut in arca asserventur, sed, ut partis utaris. *Asper*, videlicet signis. Virgil. Æneid. lib. V, vs. 267 :

Cymbiaque argento perfecta atque *aspera* signis.

Perpetuum est epithetum omnis rei signatæ, præsertim vero pecuniæ. Senec. Epistol. 19 : « Non voles quod debeo, nisi in *aspero* et probo accipere. »

Not. 70. *Patriæ carisque propinquis Quantum elargiri deceat.* — Vulgatissima ea est veterum philosophorum opinio : non nobis natos esse nos, sed primo *patriæ*, deinde parentibus et *propinquis*, postremo et nobis. Hunc in officiis statuunt ordinem Plat. Epist. IX; M. Tullius, de Offic. I, 16, 17, 18, Stoicique omnes passim. Conf. Horat. Sat. II, 2, 100 sqq. — *Quantum;* quam impense, quam liberaliter; convenit cum *elargiri* et *caris*. Vertunt quidam *quatenus*, ita ut Persius videatur modum statuere liberalitati erga *patriam* et *propinquos*, quo melius toti hominum generi consulatur. Qui sensus non est certe ejus loci.

Not. 70, 71. *Quem te Deus esse Jussit et humana qua parte locatus es in re.* — Cætera omnia hoc versu comprehendit officiorum genera, quæ in hominem cadunt. — *Deus;* non dii; nam ita passim Seneca, M. Antoninus, Epictetus aliique e Porticu doctores, qui, etsi cum vulgo loquebantur, et sæpe Deos Deorumque nomina in ore habebant, in explicandis tamen suæ scholæ decretis Deum unum prodebant, causam efficientem hujus universi. Conf. Laert. in Zenone; Lactant. lib. I, cap. 5. — Sic autem arbitrantur Stoici, Deum illum unum maximum suas unicuique homini mandare partes, quas his in terris exsequatur. Has vero partes, aut cum cæteris relationes, quas σχέσεις vocabant, definiebat locus, in quo hominem collocaverat Deus. Hinc imagines sæpe sæpius Stoicis scriptoribus usurpatæ, vitam humanam scenam esse, in qua personam suam unusquisque hominum gereret ac tueretur; hominem in vita positum esse a numine, tanquam militem in statione, etc. etc. Conf. Epict. XVII, XXX, et passim. — *Quem te Deus esse jussit;* ortu, natura, conditione. — *Humana in re;* elegantius pro in hominum so-

cietate. — *Qua parte;* ad *quas partes*, ad quam personam gerendam. — *Locatus es;* quasi in statione, τεταγμένος. Cicero, Cat. Maj. 20.

Not. 72, 73. *Disce : nec invideas, quod multa fidelia putet In locuplete penu, defensis pinguibus Umbris.* — *Disce* posuit in singulari, quamvis supra dixerit *discite, cognoscite, occurrite.* Superiora vero omnibus dicta erant; hæc autem discipulo proprie. Sensus : Disce, inquam, et, philosophiæ præceptis informatus, noli istis inhiare, quæ bona existimantur, aut suas invidere opes divitibus. Rem vero expressit per satiricam hanc imaginem : *quod multa fidelia putet* etc. Scilicet causidicis solitæ donari lagenæ vini, et salsamenta, et ejusmodi tenuia munuscula. Juvenal, VII, 119 :

> Quod vocis pretium ? siccus petasunculus, et vas
> Pelamydum, aut veteres, Afrorum epimenia, bulbi;
> Aut vinum Tiberi devectum, quinque lagenæ.

Ejusmodi sunt munuscula, quorum hic meminit Persius. — *Fidelia;* vas Samium, proprie vinarium, sic dictum fortasse, quod eo condita *fideliter* asservarentur. *Multa fidelia;* pro magno numero *fideliarum*, ut apud Virgil. Eclog. I, 35 : « *Multa* victima. » — *Putet;* hoc verbo, ad ridiculum exquisito, ingens multitudo expressa est, quæ tanta erat, ut salsamenta cæteraque id genus obsonia, quæ iis continebantur, quum consumi non possent, situ et vetustate corrumperentur. — *In locuplete penu;* Cicer. de Nat. Deor. II, 27 : « Est omne quo vescuntur homines *penus.* » Hic vero dicitur *penus* locus ipse, quo obsonia condebantur. In usu etiam sunt *penus, oris*, et *penum*, i. — *Defensis pinguibus Umbris;* scilicet ea dona causidico missa fuerunt ab *Umbriæ* clientibus, in gratiam officii. *Umbri*, Tusciæ populi, antiquissimi totius Italiæ habebantur; ea ferme regione consederant, qua hodie Spoletti Ducatus. Plin. Hist. Nat. III, 14. *Umbros* vero dixit *pingues*, translato per jocum ad ipsos incolas epitheto ab eorum regione ejusque proventu. Pinguissimum enim erat solum *Umbriæ*, pascuis abundans, et porcorum ferax. Catull. XXVII, 2; Propert. I, 22, 9 sqq.

Not. 75. *Et piper, et pernæ, Marsi monumenta clientis.* — Pergit describere *penuarias* opes divitis causidici : *et piper, et pernæ*, etc. *Pernas* autem appellaverunt Latini partem in sue, quæ cruribus adjuncta est; gallice *jambons.* Cato, de Re Rustica : « Quum *pernas* emeris, ungulas præcidito. » — *Marsi monumenta clientis;* Dona, quæ testantur *Marsorum* defensionem et gratiam. *Marsi*, Apuliæ populi; Abellinates antea appellati, quorum in sylvis apri erant complures; unde Persius dixit eos patrono suo *pernas* dono mittere.

Not. 76. *Mœnaque quod prima nondum defecerit orca.* — *Mœna*, piscis est marinus, qui, in frusta dissectus, a salsamentis in ollis asservabatur. Plin. Hist. Nat. IX, 16. — *Quod;* reliqua est constructio : disce, nec invideas, *quod*... — *Orca;* Suidas : ὄρχαι, κεράμια ἀγγεῖα, ὑποδεκτικὰ ἁρίχων, δυό ὅλα ἐχούλα; (*Orcæ*, *vasa coctilia*, *quibus salsamenta*

piscium conduntur, duas auriculas habentia.) » Varia autem erant *orcarum* genera. Respice ad notam super. vs. 50. *Prima orca*, potest significare vel in *prima* parte *orcæ*, vel in ea *orca*, ex qua *prima* cœpta sunt depromi salsamenta, reliquis adhuc intactis, *nondum* cœptis : malo posteriorem sensum. Conf. Horat. Sat. II, 5, 43 sqq.; Juven. VII, loc. cit. et 119 sqq. ejusdem satiræ; Martial. IV, 46. Non minus habet hic locus festivitatis, quam sapientiæ. Viles res dono missas patronis ea mente poeta conquisivit, quo certius eorum opes elevaret, qui, scientia rerum divinarum humanarumque posthabita, omnem operam sordido quæstui impendebant.

VAR. 77. *Hic aliquis de gente hircosa centurionum.* — Pro *hircosa*, quidam edidere *hirtosa*, idem ac hirta, hirsuta; quæ lectio forsan et ipsa posset admitti, si modo in MSS. Codd. recurreret.

NOT. 77. *Hic aliquis de gente hircosa centurionum Dicat.* — *Hic;* tum, ecce autem; forma transitionis, nunc objectionis, non semel visa apud Persium. — *Centuriones* posuit Noster pro philosophiæ osoribus, ut apud Horat. Sat. I, 6, 73; nobiles enim, aut omnino castra sequentes, virtutem omnem in despiciendis bonis artibus et in negligendo corporis cultu positam putabant, ut, si non strenui et fortes, tamen horridi et feri viderentur. — *De gente hircosa;* sic hominum incultorum illuviem et fœtorem denotavit, qui setosi et illoti *hircum* olebant. Simillime in quinta philosophiæ contemptores vocat *varicosos centuriones.* Conf. Juvenal. XIV, 193 sqq.

VAR. 78. *Dicat : quod satis est, sapio mihi.* — Sic edit MSS. 8055; paululum vero differunt 8070 et 8173, habentque : *Dicat quod sapio satis est mihi.* Prior constructio visa est tantillo elegantior.

NOT. 78. *Dicat, Quod satis est, sapio mihi : non ego curo....* — Rationes philosophiam contemnentium Romæ vulgo jactatæ : satis est magna mihi sapientia, et, patrum more contentus, transmarinis non egeo doctoribus. Communis fere omnium Romanorum erat erga Græcos Græcorumque artes ac scientias contemptus.

NOT. 79. *Esse, quod Arcesilas ærumnosique Solones.* — Sermonem bruti militis felicius expressit Persius sive forma orationis *esse quod*, quæ iners et inelegans est, sive selectis philosophorum nominibus, quos posuit pro transmarinis doctoribus. *Arcesilas* enim, Scythi filius, discipulus, ut aliis placet, Crantoris, ut aliis, Polemonis, Academiæ mediæ vel secundæ fuit princeps; qui de omnibus esse dubitandum adversus Zenonem contendebat. Diog. Laert. IV, 40. Tullius Academ. I, 12, et II, 14, laudibus effert Arcesilæ doctrinam et in affirmando modestiam. Lactant. III, 5, vocat eum *ignorantiæ magistrum.* — *Ærumnosi Solones;* quasi dixisset in totum, *tristes philosophi. Solonem* vero posuit Atheniensem illum celeberrimum, in quo nulla prorsus tristitia; usque

adeo pinguem istum centurionem, philosophiæ osorem, res hominesque fallunt! De *Solone* vide Plutarchum, Laertium, allosque multos.

Not. 80. *Obstipo capite, et figentes lumine terram.* — Describit ignorantiæ defensor, nec sine aliqua veritate, philosophorum habitum meditatione defixorum. — *Capite obstipo;* protensa cervice et incurva. De canibus dici solet, atque ob id ipsum hoc loco usurpatur. Sueton. in Tiberio : « Incedebat cervice rigida et *obstipa.* » Horat. Sat. II, 5, 92 :

Stes *capite obstipo*, multum similis metuenti.

— *Et figentes lumine terram;* hypallage pro *defigentes terræ lumina.*

Not. 81. *Murmura quum secum et rabiosa silentia rodunt.* — Quos « *Murmure* cogitationem agitantes » dixit Quintilianus, lib. X, 3, eos per acerrimam verissimamque hyperbolen dicit Persius *murmura secum rodere*, et *rabiosa silentia.* Canibus conveniunt voces *rabiosa* et *rodunt*, uti superius *capite obstipo;* neque sine causa ad Cynicos depingendos usurpantur. *Rabiosa*, quia de plebe aliquis, meditantem cernens ejusque gestus qui hic notantur, furiosum putavit; ut inter *rabidi* canis notas ponitur medicis, quod nullos edat latratus, sed *secum immurmuret.* Antholog. Lat. Burm. tom. II, Epigr. 139, 21 sqq. :

Est et non igitur, quoties lucem esse fatendum est,
Sed non esse diem : mille hinc certamina surgunt;
Hinc pauci, multi quoque talia commeditantes,
Murmure concluso *rabiosa silentia rodunt.*
Qualis vita hominum, duo quam monosyllaba versant!

Confer Juvenal. II, 14; Lucian. de Sect. Princip.

Not. 82. *Atque exporrecto trutinantur verba labello.* — Vividior imago pro æstimare *verba.* Non sine invidia posuit *verba;* sæpius enim philosophis objectum est, quod circa *verba* et voces morentur, rerum haud ita curiosi. — *Exporrecto labello trutinantur; Labiis porrectis* ceu *trutinæ verba* appensantur. Exquisitæ ad ridiculum imagines.

Not. 83. *Ægroti veteris meditantes somnia.* — Sani hominis bona esse somnia existimabantur; turbato autem statu corporis, somnia quoque turbari dicebantur. Unde sententiæ philosophorum, ex opinione militis, non modo *somnia*, sed etiam *somnia ægroti*, atque etiam *ægroti veteris.* — *Meditantes;* summa cura revolventes. Vividior locutio *meditari somnia.* Horat. Sat. I, 9, 2.

Not. 83, 84. *Gigni De nihilo nihil, in nihilum nil posse reverti.* — Celeberrimum est Physicæ veteris principium. Lucret. I, 206 :

Nil igitur *fieri de nilo posse* fatendum est,
Semine quando opus est rebus.

Marcus Aurelius Imper. lib. IV : « οὐδὲν ἐκ τοῦ μηδενὸς ἔρχονται, ὥσπερ μηδ' εἰς τὸ ὂν ἀπέρχονται; (*Nihil ex nihilo fit, quemadmodum nihil in ni-*

hilum revertitur.) » Vid. Gassendi, de Epicuri Philosophia, t. I, p. 161, Lugdun. 1649. Axioma vetustissimum esse indicant Mythi omnes cosmogonici, quibus non omnino creatum fuisse mundum dicitur, sed e chao quodam fictum.

Not. 85. *Hoc est, quod palles! cur quis non prandeat, hoc est?* — Epiphonema, exclamatio ironica elevantis studia philosophantium. — *Pallere*, propria vox est studentium, ac sæpe sæpius dicitur pro studere, quia ex studio, ut ex elucubratione et inedia *pallorem* contrahimus. Juvenal. VII, 96 sqq.:

. . . . utile multis
Pallere, et vinum toto nescire decembri.

Cur quis non prandeat, hoc est! — Miratur centurio homines esse, qui, ediscendi causa, *prandio* careant. *Prandium* apud Romanos erat matutinum, cœna vero vespertina; ita *prandere* verius dixit, quam cœnare. Horat. Sat. II, 3, 257, vocat Xenocratem « *impransum* magistrum ». Senec. Epistol. 58: « O pueriles ineptias! In *hoc* supercilium subduximus? In *hoc* barbam demisimus? *hoc est quod* tristes docemus et *pallidi*? »

Not. 86. *His populus ridet: multumque torosa juventus.* — *His*, scilicet in philosophiam ac philosophos dictis. — *Ridet;* pro irridet, dicta risu comprobat. — *Multum* cadit in verba versus insequentis, potius quam in *torosa*, quia in *torosa* jam ea vis latet, quam *multum* addere videtur. — *Torosa juventus;* his opponuntur ac respondent *palles* et *non prandeat;* eos nunc designat, qui nihil præter corpus curant, ii sunt quos Horat. II, Od. 13, 32, vocat « densum humeris vulgus. »

Var. 87. *Ingeminat tremulos naso crispante cachinnos.* — Sic edunt optimi et plurimi codices MMS. Habet 8070: *Ingeminat naso tremulos* etc.

Not. 87. *Ingeminat tremulos naso crispante cachinnos.* — Junge cum his verbis *multum*, quod idem valet ac diu. — *Ingeminat tremulos* etc.; solemnis apud poetas loeutio pro solvi in risus. — *Naso crispante;* reductus enim nasus ridentibus *crispat* faciem. Unde sat. V, 91: « rugosa sanna. » Conf. Epictet. XXII; et respice ad finem sat. I, vs. 127 sqq.

Not. 88. *Inspice: nescio quid trepidat mihi pectus.* — Nunc respondet doctor Stoicus istis qui rident philosophiam. Summa responsionis est: qui alieno sunt animo a sapientiæ studio, similes esse iis, qui morbo laborant et medicinam respuunt. Quare, ut hi, neglecta medici curatione, intereunt, sic isti, dum philosophiam, quæ animorum medicina est, aspernantur, in vitia præcipites ruunt, quæ ipsos male tandem perdant. Hoc volunt novemdecim versus qui sequuntur. Sed auctoris obscurat mentem comparationis quam diximus omissa penitus pars altera: solam enim protasim posuit, apodosim reliquit auditori supplendam. Præterea nihil monet auctor se respondere centurioni, neque ullo modo suam

prænuntiat comparationem, sed ægroti cito verba refert, quem inducit medicum appellantem : *Inspice ; nescio quid trepidat mihi pectus.*

Var. 89. *Faucibus exsuperat gravis halitus.*—Sic edunt MMS. mei codices omnes; quæ lectio nescio quid habeat vitii, ut aliam quamlibet quæsierint Editores, posuerintque alii *exuberat*, quod admittere lex versus non potest, alii *exsudat*, quod minus convenit cum *halitu*, alii denique *exspirat*. Rectissimum est *exsuperat*, inquit Casaubonus ; nam ructus e ventriculo sursum ascendunt.

Not. 89. *Et ægris Faucibus exsuperat gravis halitus : inspice, sodes.* — Physicum est laborantem stomachi cruditate graveolentiam emittere. *Gravis ;* graveolens. — *Faucibus ægris ;* propter tumorem ac spirandi difficultatem. — *Inspice ;* rursus appellat medicum. — *Sodes ;* contractionis forma pro *si audes*, inter confabulandum usitata.

Not. 90. *Qui dicit medico, jussus requiescere.* — *Qui dicit medico*, concludit constructionem superiorum versuum ; *qui dicit* ea quæ superioribus duobus versibus relata sunt. — *Jussus requiescere ;* Seneca, de Ira, lib. II : « Initia morborum *quies* curat. » Quintil. II, 17 ; Corn. Celsus, III, 2. Conf. Plin. Min. Epist. VI, 1.

Not. 91. *Postquam, Tertia compositas vidit nox currere venas.* — Neglectis medici præceptis, surgit, ubi primum ostenditur spes aliqua salutis. — *Tertia nox vidit ;* poetica locutio pro ubi sensit *tertia nocte*... — *Venas compositas ;* pulsum arteriacum magis temperatum. — *Currere* noli intelligere de circuitu sanguinis, quem fieri veteres ignorabant. Locutio est populi et poetæ.

Not. 92. *De majore domo, modice sitiente lagena.* — *De majore domo, i. e. e domo* divitis amici aut vicini. Mittere solebant convalescentibus amicis aut clientibus magnates aliquid e sua mensa, vinum, obsonia. Martial. II, 40 et 76. — *Modice sitiente lagena ;* poetica locutio pro non multum capiente, haud ita capaci ; minus plena, inquit vetus scholiastes Cornutus, quia non impleatur vini usque ad collum, vel quia vetustate decoquatur, ac per hoc sese tanquam *sitiens* ebibat. Confirmat eam interpretationem Kœnig eo quod *Surrentinum* incipiebat bibi non nisi post 25 annum. Quem numerum quis indixerit veterum, necesse fuerat admonere. Britannicus vero et Casaubonus vertunt *modice sitiente lagena* per parum capaci, ἰκτικῆς μεγάλης, quia vina exquisita parcius divites largiebantur. Equidem hæc ego dicta fuisse crediderim neque in divitum parcimoniam, neque in lagenæ exiguitatem, sed in ægrotum istum, cujus in rogando vina modestiam ridet Persius. Quum enim vel minimum petere aut bibere maxime fuit nociturum, ille *lagenam* poscit haud ita capacem. *Lagena* porro genus erat amphoræ, in qua vina asservabantur, aut in triclinio habebantur, unde pocula aliaque vascula implerentur.

Var. 93. *Lenia loturo sibi Surrentina rogavit.* — Edit 8055 : *Lenia loturo tibi*

Surrentina rogabis; quæ lectio et ipsa probari potest, si modo superius legeris: *Qui dicis medico* pro *qui dicit medico.*

Not. 93. *Lenia loturo sibi Surrentina rogavit.* — Plin. Hist. Nat. XIV, sect. 3 : « Item *Surrentina*, in vineis tantum nascentia convalescentibus, maxime probata propter tenuitatem salubritatemque. » — *Lenia*, propter ejus vini ingenium et vetustatem. — *Sibi loturo;* mos erat antiquis exercere se ad vesperam, inde lavare, postea cœnare. Ille vero intemperans intempestive hæc omnia facit, simulque lavat se ac potat. Celsus, III, 2 : « Plurimi falluntur, dum se primo die protinus sublaturos languorem aut exercitatione, aut *balneo*, aut coacta digestione, aut vomitu, aut sudationibus, aut vino sperant. »

Not. 94. *Heus bone, tu palles. — Nihil est. — Videas tamen istud, Quidquid id est.* — Dialogus est ægrotum inter et medicum, aut amicum admonentem. — *Palles; pallor* enim indicium est morbi. — *Nihil est;* sic refert æger, morbum suum sibi objici ægre ferens. Hippocrates monet in iis, qui morbum suum non cernunt, spem exiguam aut nullam esse salutis. — *Videas tamen istud, Quidquid id est;* instat medicus, eumque sibi caveat monet.

Not. 95. *Surgit tacite tibi lutea pellis.* — Sic designat aquam intercutem. Celsus, lib. III. — *Surgit;* tumet, tumescit. — *Tacite;* sensim ac sine sensu. — *Lutea pellis;* Horat. Epod. X, 16 : « *luteus* pallor; » quod genus palloris deterrimum est; quare subjicit ægrotus indignans : *At tu deterius palles.*

Not. 96. *At tu deterius palles : ne sis mihi tutor.* — Tantum abest, ut capiat medici consilium, ut contra ultro monentem irrideat, monitaque in eum vertat : *At tu deterius palles.* — Locutio est usitatissima latinorum : *ne sis mihi tutor, ne sis mihi patruus*, pro noli me nimia urgere severitate.

Not. 97. *Jam pridem hunc sepelî, tu restas. — Perge; tacebo. — Jam pridem hunc sepelî;* scilicet iratus dicere voluit: alterum *tutorem* habui, quem jam dudum *sepelivi;* teque ipsum, qui non minus acriter mones, quam ille solebat, restantem sepeliam libentissime. Quæ omnia paucioribus et acrioribus verbis concludit. Horat. Sat. I, 9, 18:

Omnes composui felices! nunc ego *resto.*

Sepelî; contractum pro *sepelivi.* — *Perge, tacebo;* verba male habiti medici, et comminantis, et discedentis.

Not. 98. *Turgidus hic epulis atque albo ventre lavatur.* — Jam sui compos ægrotus discessu medici, sese cibis ingurgitat, et ad balneum *pergit.* Similis ferme est apud Juvenalem oratio, I, 142 et sqq.

Pœna tamen præsens, cum tu deponis amictus
Turgidus, et crudum pavonem in balnea portas :
Hinc subitæ mortes atque intestata senectus.

— *Albo ventre ;* corpore pallido, seu ob hydropisim, seu ob intemperantiam et voluptates. Seneca, de Brevitate Vitæ, initio : « Quam multi continuis voluptatibus *pallent!* » Horat. II, Od. 2, 15 sq. :

.... et aquosus *albo*
Corpore languor.

Id. Sat. II, 2, 21 :

.... pinguem vitiis *album*que.

Not. 99. *Gutture sulphureas lente exhalante mephites.* — Paulo ante dixerat de eodem ægroto, *faucibus ægris exsuperat gravis halitus.* Nunc, ingravescente morbo, acrius rem exprimit. — *Gutture lente exhalante;* felicior est languentis ac ægre spiritum ducentis descriptio. — *Sulphureas mephites ;* teterrimum genus est sulphurei fœtoris. Senec. Epist. 105 : « Quam fœdi atque pestilentes ructus sunt, quantum sui fastidium *exhalantibus* crapulam veterem! scias putrescere sumpta, non concoqui. »

Var. 100. *Sed tremor inter vina subit, calidumque trientem.* — Sic edunt MMS. mei omnes ; consentiunt autem editores in ponendo *triental*, auctore Casaubono, qui dici vult *triental*, ut *quadrantal*, quique lectionem tuetur scholiis Cornuti, in quibus recurrit : « *Triental* dicit calicem talem, qui tertiam partem sextarii capit, aut tres heminas. » *Dici tamen* potuit *triens* per catachresim. Imo vero *triens* melius refert imaginem vini profusi.

Not. 100. *Sed tremor inter vina subit, calidumque trientem Excutit e manibus.* — Senec. Quæst. Nat. lib. 5 : « Quæ desiderantibus alimenta erant, onera sunt plenis. Inde pallor, et nervorum vino madentium *tremor*, et miserabilior ex cruditate, quam ex fame macies. Inde incerti labantium pedes et semper quasi in ebrietate titubatio. » — *Inter vina ;* ut *inter* pocula, *inter* bibendum. — *Calidum trientem ;* i. e. poculum, *trientis* capax, *calidi* vini plenum. Conf. Horat. Epistol. I, 6, 20 sqq.

Not. 101. *Dentes crepuere retecti.* — Solent labra eorum diducta esse, quos febris vehementer concutit. Intelligit Casaubonus dentes esse retectos non propter diductum os, sed exesis gingivis ; quod minus probabile est.

Not. 102. *Uncta cadunt laxis tunc pulmentaria labris.* — Hominis animo deficientis ac subito horrore correpti felicior descriptio. — *Uncta pulmentaria ;* cibos intellige exquisitos. — *Laxis labris ;* Hippocrates in prognost. ait signum esse in ægris mortiferum, quando *labra* soluta habent et pendentia.

Not. 103. *Hinc tuba, candelæ ; tandemque beatulus.* — *Hinc ;* non ex his causis, sed post, non multo post. Respicit ad *tunc.* — *Tuba, candelæ* non in efferendo tantum mortuo adhibebantur, sed etiam in nuntiando civibus funere. — *Beatulum* facete dixit, vel alludendo ad philosophorum sententiam « mortem requiem esse ærumnis omnibusque malis remedium », vel quod splendidiore habitu et decora veste mortui efferebantur.

VAR. 104. *Crassisque lutatus amomis.*—Sic edunt MMS. Codd. 8055, 8070, 8273. Editores vero multi posuere: *crassoque lutatus amomo;* sed nimis multæ in his versibus recurrerent syllabæ in *o* consonantes. Habet Cornutus in scholiis : *crassisque lutatus amomis.*

NOT. 104. *Alto Compositus lecto, crassisque lutatus amomis.* — *Componi* proprie de mortuis dicebatur, quorum membra, in mortis dimicatione distorta, *componebantur.* Huc pertinebant os claudere, oculos condere, etc. Tibull. III, 2, 26; Virgil. Æneid. I, 249, ibique Heynii notas vide. — *Alto lecto;* spectat ad magnificentiam funeris et pompæ apparatum; in lectulo ferali, aut in pheretro corpus aptabatur. Ovid. Metam. X, 463; id. Fast. II, 353. — *Amomis;* vid. Heyn. not. ad Virg. Eclog. III, 83. *Amomum* est proprie fruticis genus Indicæ; vox autem de omni aromate dici potest. Ejus pulvere ossa sua spargi jubet Ovidius, Trist. III, 389. Hoc loco, unguentum est, quo inungi corpora solebant, antequam rogis imponerentur. Ovid. Fast. IV, 853. — *Crassis;* pinguibus : convenit cum *lutatus.*

NOT. 105. *In portam rigidos calces extendit.* — Mortui, lecto compositi, in atrio ita collocabantur, ut pedes in januam essent versi; cujus moris jam in Homero mentio est. Iliad. T, 212 :

Κεῖται ἀνὰ πρόθυρον τετραμμένος.

Conf. Lips. ad Tacit. Annal. III, 5; Kirchm. de Funer. Roman. I, 12. — *Rigidos calces;* ut esse solent cadaverum.

NOT. 106. *At illum Hesterni capite induto subiere Quirites.* — Sensus est : denique effertur. Rem vero per eam expressit imaginem, quæ funerearum pomparum Romæ esse solebat. — *Hesterni Quirites;* qui haud ita pridem civitate donati fuerant; manu missi; liberti. *Hesterna* dici solent, quæ sunt recentissima. — *Capite induto;* pileati, in signum libertatis acceptæ a domino, quem efferunt humeris. — *Subiere;* vox in funeribus solemnis. Virgil. Æneid. VI, 222 :

..... Ingenti *subiere* pheretro.

NOT. 107. *Tange miser venas, et pone in pectore dextram : Nil calet hic.*—Antequam sermonem institutum peragat Philosophus, alteramque partem efferat comparationis, qua isti ægroto confertur is, qui laborat animi affectibus, succlamat adversarius, nihilque ultra corporis statum intuitus, contendit se optima frui valetudine, neque similem mortem formidare. — *Tange, miser, venas;* adversus philosophum insurgens, invitat sese inspiciat, ut intelligat pulsus æqualitate, quam bona valetudine fruatur, quam parum indigeat ejus narratione ac monitis de ægroto et ægritudine. *Miser;* vox indignantis, quasi dixisset : apage hinc cum *misera* ista tua fabula. — *Et pone in pectore dextram ;* rursus invitat sibi *pectus* palpet, quia quotiens plus solito cor aut salit, aut *calet*; infirmitatis indicium est. Julian. in Misop. « προσαγε τῷ στέρνῳ τὴν χεῖρα » (*impone cordi manum.*) » — *Nil calet hic;* nullum ibi deprehendes nimium calorem, atque bona me frui valetudine fatearis necesse est.

Not. 108. *Summosque pedes attinge manusque : Non frigent.* — Inter morbi futuri signa Celsus, II, 4, recenset quoque caput et manus et pedes frigidos habere. Quare ferox centurio pedum manuumque sib summitates *attingi* et inspici confidentius postulat. — *Non frigent;* verba hominis nihil timentis, quemadmodum superius *nil calet hic.*

Not. 109. *Visa est si forte pecunia.* — Respondet centurioni philosophus, incœptamque absolvit comparationem : a corpore quidem vales et robustus es, inquit; sed gravissimis animi morbis laboras, avaritia, libidine, luxuria, timore, ira, quæ omnes per occasionem erumpent; atque adeo, *si visa est forte pecunia*, erumpet avaritia, tibique animum conturbabit.

Not. 110. *Sive Candida vicini subrisit molle puella.* — Alteram notat occasionem, quæ moveat animi affectus. — *Candida;* spectat ad pulchritudinem. — *Vicini;* minime supervacaneum est hoc verbum; namque, ut dixit Ovidius, Metam. IV, 59 :

Notitiam primosque gradus *vicinia* fecit.

— *Molle subrisit;* pro molliter et elegantius. Ovid. Amor. III, II, 83 :

Risit et argutis quiddam promisit ocellis.

Var. 111. *Positum est algente catino.* — Pro *catino*, quod et MSS. edunt omnes et editores posuere, Kœnig recepit *camino.*

Not. 111. *Cor tibi rite salit? Positum est algente catino Durum olus.* — *Cor tibi rite salit;* quasi dixisset, servatne tibi *cor* compositum motum suum? *Rite*, ut esse solet sani hominis. Stat. Silv. I, 2, 210; Senec. Thyest. 756. — *Positum est durum olus;* nunc ad frugalitatis periculum faciendum provocat hominem fortissimum, et interrogat quo tandem animo sustineat *apponi* sibi *cruda olera?* — *Algente catino;* non multum differt *catinus* a patina. Ferventibus cibis delectari solent convivæ. Inf. Sat. VI, 69.

Not. 112. *Et populi cribro decussa farina.* — *Populi cribrum*, quod Plinio dicitur *farinarium;* eo succreta *farina* panem facit secundarium, ut quæ *cribro decussa* fuerit *pollinario*, primarium et candidum.

Not. 113. *Tentemus fauces : tenero latet ulcus in ore Putre.* — Age, inquit ad centurionem philosophus, videamus parumper, quomodo tibi placebit hic victus. — *Tenero latet ulcus in ore Putre;* de *ulcere* vero non esse cogitandum unusquisque videt; significantur fauces tenellæ, quas vulgares cibi duriores et asperiores offendant, ut in *ulcere* quamcumque mollem attrectationem ægre ferunt. Gula delicatior est *ulcus.*

Not. 114. *Quod haud deceat plebeia radere beta.* — Exquisitissimæ sunt et felicissimæ voces *deceat* et *plebeia*, quæ tangunt vividius delicatorum nobilium mores. — *Beta;* herba nullius saporis et pretii, quam *fabrorum* prandium vocat Martialis lib. XIII, Epigr. 13. — *Radere;* of-

fendere, perstringere. Sic faciunt cibi asperiores, dum in stomachum descendunt. Horat. Sat. II, 2, 24 :

Hoc potius, quam gallina *tergere* palatum.

VAR. 115. *Alges, quum excussit membris tremor albus aristas.* — Edunt quidam *timor*, qui minus hoc loco proprius videtur, quam *tremor*, et minus cum *excussit* convenire. Legitur tamen *timor* in Cornuti scholiis.

NOT. 115. *Alges, quum excussit membris tremor albus aristas.* — Aliud est moralis morbi genus *tremor* et animi tumultus. — *Alges;* respondet ad superiora centurionis verba *non frigent.* — *Tremor albus;* sic apud poetas græcos φόβος ὀχρώσας. Præ metu calor omnis sese ad intimum cor recipit, ita ut frigescat reliquum corpus et pallescat. — *Excussit membris aristas;* i. e. horrore pili eriguntur : quos per metaphoram vocat *aristas;* corpus enim pilis horridum rigentibus, cum agro ferme comparat, qui horret *aristis.*

NOT. 116. *Nunc face supposita fervescit sanguis, et ira Scintillant oculi.* — *Ira* denique morbus animi quoque est, et quidem violentior — *Nunc;* alias. — *Fervescit sanguis face supposita;* concitat enim æstum sanguinis *ira*, ut ignis; unde vel in soluta oratione dicitur *ira accendi.* — *Scintillant oculi;* hanc *iræ* speciem poetæ omnes expresserunt; nullus vero felicius, quam princeps omnium Homerus, Iliad. ά, 104 :

Ὄσσε δέ οἱ πυρὶ λαμπετόωντι ἰάχτην.

Oculi autem ejus igni flammato similes erant.

NOT. 117 et 118. *Dicisque facisque, quod ipse Non sani esse hominis non sanus juret Orestes.* — Expende, inquit Stoïcus, cætera dicta factaque tua; invenies te ne insanorum quidem judicio, nedum philosophorum, esse sapientem, usque adeo aberras, qui tibi sic gratularis : *Quod sapio satis est mihi.* Tu vel *insanos insania* vincis; pro *insanis* vero posuit *Oresten*, celeberrimum illud insaniæ exemplar, scenis agitatum.

SATIRÆ QUARTÆ

ARGUMENTUM.

Est administrandæ reipublicæ, ut instituendæ vitæ, fundamentum philosophia. Imberbes vero adolescentuli rempublicam capessere non dubitant, nullis ante bonis artibus præparati. Scilicet homines, atque ii potissimum quibus fucum faciunt fortunæ bona et adulantes, in eam opinionem facilius inducuntur, ut sese supra cæteros eminere putent, vel quum infra humanitatem turpissimis cupiditatibus deprimantur. Nulla alia re præstat homini homo, quam animi virtutibus.

Hæc disserere Socratem cum Alcibiade collocutum, juvenique superbiam lepida ironia retundere fingit poeta, quasi Platonem secutus. At vero Alcibiadis persona illum ipsum repræsentari Principem, quo imperium ineunte scripsit Persius, non sine causa creditum est. Similior enim Neronis, quam cujusquam alius, illa imago politici ganeonis, quæ hic adumbratur.

SATIRÆ QUARTÆ

ANALYSIS.

Sic agere cum Alcibiade Socratem putandum est: Rempublicam suscipis administrandam; scilicet politici dotes, ait ironice, tibi venerunt ante annos, et potis es munia exsequi oratoris atque magistratus, 1, 13. — Desine igitur velle ante tempus populum regere, et quam primum sana mentem. Sapientia enim in te nulla est, neque vera bona magis intelligis, quam plebecula vilissimus quisque, 14, 22. — Tum præceptor prærocem adolescentulum quo certius sui admoneat, hac tangit illidissima dicendi ratione: Ut nemo sese ipse novit! Tu vide-

licet, morum et vitæ civilis optime magister, pudendas avari sordes acerrime reprehendis; sed attende parumper, quas de te narrent libidines. Describis avarum, sed ipse ut insignis ganeo describeris, 23, 41. — Scilicet, dum alii alios vituperamus nosque invicem impugnamus, omnia omnium vitia retegun-tur palamque fiunt. Sic interiora illa tua vulnera novimus, quæ nequicquam occulere conaris. Noli igitur alius haberi atque es, noli adulantibus adhibere fidem; sed potius insanas cupiditates muta bonis artibus ac sapientia, 42, 52.

SATIRA QUARTA.

Rem populi tractas: (barbatum hæc crede magistrum
Dicere, sorbitio tollit quem dira cicutæ:)
Quo fretus? dic hoc, magni pupille Periclî.
Scilicet ingenium et rerum prudentia velox
Ante pilos venit; dicenda tacendaque calles.
Ergo, ubi commota fervet plebecula bile,
Fert animus calidæ fecisse silentia turbæ
Majestate manus. Quid deinde loquere? *Quirites*,
Hoc, puto, non justum est: illud male: rectius istud.
Scis etenim justum gemina suspendere lance
Ancipitis libræ; rectum discernis, ubi inter
Curva subit, vel quum fallit pede regula varo;

SATIRÆ QUARTÆ INTERPRETATIO.

Tu rempublicam suscipis administrandam: (hæc *ad Alcibiadem* dicere puta barbatum illum sapientiæ magistrum, quem dirum abstulit cicutæ poculum:) qua tandem re fretus sic audes facere? responde parumper, o magni Periclis pupille. Scilicet tibi venit ante annos ingenium citiorque rerum prudentia, et apprime novisti quid dicere, quid reticere deceat. Si quando igitur, concitata bile, vulgus exardescit, en tibi sustinet animus ferventi isti plebeculæ imperare silentium, elatæ manus majestate. *Bene habet;* quid vero dices postea? « Cives, hoc, mea sententia, iniquum est; pravum illud; istud vero melius. » Namque tibi notum et familiare est jus examinare in geminis æquissimæ libræ lancibus, et rectum discernere ab incurvo, vel quum errare incipimus, ipsa nos in pravum agente regula: denique ea tibi est animi æquitas et constantia, ut sce-

Et potis es nigrum vitio præfigere theta.
Quin tu igitur, summa nequicquam pelle decorus,
Ante diem blando caudam jactare popello
Desinis, Anticyras melior sorbere meracas?
Quæ tibi summa boni est? uncta vixisse patella
Semper, et assiduo curata cuticula sole.
Exspecta: haud aliud respondeat hæc anus. I nunc;
Dinomaches ego sum suffla; *sum candidus*. Esto:
Dum ne deterius sapiat pannucea Baucis,
Quum bene discincto cantaverit ocima vernæ.
Ut nemo in sese tentat descendere, nemo;
Sed præcedenti spectatur mantica tergo!
Quæsieris: « Nostin' Vectidî prædia? » — « cujus?

lestos non dubites, præfixo fatali theta (θ), morte afficere.

14. *Sin vero hæc omnia, quæ politico viro maxime necessaria sunt, in te sunt omnino nulla*, quin tu igitur *prius acquirere conaris?* quin tu, summa nequicquam cute speciosus, desinis te blandienti popello jactitare ante tempus, *more pavonis spectacula* caudæ *expandentis?* satius enim fuerat sanare te, sorbendo merum Anticyrarum helleborum. Nam quid tandem summum tibi bonum est? cibis nempe quotidie vesci delicatissimis, et assidua cuticulam curare insolatione. At vero attendas, quæso, quid ipsa respondeat hæc anus de summo bono, si interrogaverimus? Non aliud profecto, quam quod ipse respondisti. I nunc *et fluxas dotes jactita;* dic nempe intumescens: « Ego sum Dinomaches filius; ego sum formosus. » Sis equidem per me licet; dummodo fatearis, te nihilo melius sapere, quam vetula ista mulier pannosa, quæ, ut venditet herbas, vernas dissolutos cantando appetierit transeuntes. *Sapere ac noscere se ipsum politicæ quoque artis est fundamentum.*

22. Ut nemo, nemo omnium est, qui velit sese ipsum perscrutari et æquo æstimare; sed contra peram alius dorso præcedentis impositam prospicimus oculati, *nequaquam peram respicientes nostro ipsorum dorso insidentem! Verbi gratia*, rogaveris aliquem: « Novisti-ne Vectidii prædia? » et ille subje-

« Dives arat Curibus, quantum non milvus oberret :
« Hunc ais? » — « Hunc, dis iratis genioque sinistro,
« Qui, quandoque jugum pertusa ad compita figit,
« Seriolæ veterem metuens deradere limum,
« Ingemit *Hoc bene sit!* tunicatum cum sale mordens
« Cæpe; et, farratam pueris plaudentibus offam,
« Pannosam fæcem morientis sorbet aceti. »
At si unctus cesses, et figas in cute solem,
Est prope te ignotus, cubito qui tangat, et acre
Despuat in mores, penemque arcanaque lumbi
Runcantem, populo marcentes pandere vulvas.
Tu quum maxillis balanatum gausape pectas,
Inguinibus quare detonsus gurgulio exstat?
Quinque palæstritæ licet hæc plantaria vellant,

cerit : « Cujus Vectidii? Dives est Vectidius, qui circa urbem Cures tantum agri possidet, quantum circumvolando non milvus complectatur : eum-ne dicis? » Tu statim respondebis : « hunc ego, hunc avarum nempe, diis iratis infaustoque genio natum, qui, *quandocumque redeunt Compitalia festa*, et ad aras Compitales undequaque apertas juga boum suspendit, veterem lagunculam ægre relinit, libandoque sic precatur ingemiscens : *hoc sit fortunatum!* ac simul cæpe tunica etiam involutum cum sale mandit, servisque appositam offam ex hordeo fartam admirantibus *ut pote non alias visam*, fæcem exhaurit aceti deficientis floccisque pannosis respersi. » At tu, Vectidii censor, si quando oleo delibutus otio te dare volueris et cuticulam ad solis radios excoquere, attende parumper, ut non procul a te ignotus aliquis, te cubito pulsans, in tuos mores invehatur, neque reticeat, te peni arcanisque lumbi partibus detraxisse pilos, prostantemque marcidas transeuntibus vulvas expandere. Nam quis furor iste tuus, *tibi ait*, ut, dum barbam in genis excolas unguento pectasque ut mantile villosum, interea pilos ex inguinibus ita detrahas, ut penis detonsus promineat in modum gurgulionis? Licet enim robustissimi quinque dropacistæ silvam istam radicitus extirpare conentur, et nates calida emollitas mordaci

Elixasque nates labefactent forcipe adunca,
Non tamen ista filix ullo mansuescit aratro.
Cædimus, inque vicem præbemus crura sagittis.
Vivitur hoc pacto : sic novimus. Ilia subter
Cæcum vulnus habes; sed lato balteus auro
Protegit. Ut mavis, da verba, et decipe nervos,
Si potes. « Egregium quum me vicinia dicat,
« Non credam? » Viso si palles, improbe, nummo;
Si facis in penem quidquid tibi venit amarum;
Si puteal multa cautus vibice flagellas :
Nequicquam populo bibulas donaveris aures;
Respue quod non es; tollat sua munera cerdo;
Tecum habita, et noris, quam sit tibi curta supellex.

forcipe adoriantur et urgeant, non tamen ista filix vomere ullo exscindi poterit, neque locus expurgari et mansuescere.

42. *Vita prælio similis est :* vulneramus ipsi alios, inque vicem præbemus terga telis aliorum. Sic vivitur; sic omnia retegunturpalamque fiunt. Tu scilicet sub ilia plagam occultam habes; novimus; sed latior balteus tegit auro et ab oculis defendit. Quoniam igitur ita libet, finge te sanum esse, et, si potes, falle te ipsum, qui nervis laborantibus ulceris tui satis admoneris. « At, inquies, quum me circumstantes omnes egregium prædicent, nequaquam ego illis fidem adhibeam? » At, improbe, si visa pecunia expallescis, si admittis in miserum penem quæcumque suasit infanda cupiditas, si transeuntes in foro cædis repetitis ictibus tabernasque effringis, ipse tibi cavens ac tui securus : nequicquam laudis avidas aures populo blandienti præbueris; repudia quidquid tibi tribuitur nil tale commerenti; recedant cum suis muneribus calones; tu, tu tibi vivas et tecum sis, et vide intus, quam sis bonis animi omnibus destitutus.

VARIÆ LECTIONES

ET NOTÆ

IN SATIRAM QUARTAM.

De Satira IV. Nunc agit de politica vita Persius, qui paulo ante de privata egerat; neque aliam professus ac superius doctrinam, disputationem hanc omnem solemni illo suo fundamento constituit, rem unam esse omnium, qua præstet homini homo, sapientiam; defenditque maxime, esse necessarium, sapiant et ipsi Principes. Quod quidem non tam argumentando confirmavit poeta, quam eos irridendo, qui ad rempublicam imberbes accedunt, totamque civitatem suscipiunt administrandam vel sui impotentes.

Hic vero gravis exoritur inter commentantes contentio. Qui sunt enim illi principes, quos hic descripsit Persius? quis tandem est ille juvenis Alcibiades, cujus temeritatem ac mores poeta sub persona Socratis acriter perstringit? Alii hæc in universum dicta esse putant, neque fieri potuisse contendunt, ut Persius imperatorem suum eumdemque crudelissimum tyrannum versibus appeteret; altius spectavisse gravissimum hominem, et principes cujuscumque ævi, cujuscumque nominis forent, si modo improbi forent et imprudentes, in uno repræsentavisse; vicinum esse philosophicæ disputationi Socraticum hunc sermonem, qui fuerit e Platonis dialogo petitus, cui inscribitur *Prior Alcibiades*. Hæc sunt quæ sentiant nonnulli editores atque etiam recentissimi, ac sese vetustissimo tuentur commentario Cornuti, qui nullam fecit neque de Nerone, neque de alio quoquam principe romano mentionem. Alii vero, et quidem plures, hæc in Romanorum principes imprimisque in Neronem scripta fuisse contendunt: cujus opinionis auctorem Casaubonum operæ pretium est audire, vel paulo fusius pro suo more disserentem: «Nerone principe, quanta fuerit bonorum civium indignatio, quantus mœror, quum viderent perditissimum juvenem imperio Romano illudere, facile cuivis æstimare est. Neque dubitandum præclara ingenia, quæ illa tempestate non pauca effloruerunt, ægre se continuisse, quominus ingenui doloris testimonia monumentis suis impressa ad posteros transmitterent: cujus rei vel unius Annæi Lucani Pharsalia abunde fidem nobis fecerit. Vixit inter cæteros nobilioris ingenii viros eorum temporum et poeta noster, duorum summorum hominum, Pœti Thraseæ, et ipsius Lucani amicus ac familiaris. Hic quum impatientissime ferret, ut erat naturæ acris, et in amore virtutis ac vitiorum odio juxta vehemens,

susque deque omnia misceri Romæ, regentibus imperium juvenibus depravatissimis et imprimis Nerone ipso, qui neque usum reipublicæ ullum habebat, neque rationem ejus administrandi ullo modo aut didicerat aut sciebat, non abstinuit quin stili sui mucronem tam in Neronem ipsum stringeret, quam in reliquos similis dementiæ juvenes, qui totius πολιτικῆς imperiti gubernacula publicæ rei pro se quisque capessebant. Isti sunt adversus quos Satira hæc est scripta; cujus etsi præcipuus erat scopus in Neronem invehi, atque ipsum satirico sale defricare, quod rempublicam suscepisset gubernandam, tanto oneri prorsus impar, quodque esset illius vita libidine aliisque vitiis infamis, sic tamen poeta in hoc argumento indignationi suæ habenas laxavit, ut neque palam, neque plenis velis in flagitiosissimum principem inveheretur, verum tecte et longe mollius quam vel natura ipsius ferebat, vel Neronis flagitia ac scelera merebantur: nos autem putamus tum scriptam hanc esse Satiram, quum nondum totus innotuerat Nero, cujus principium laude digna habuit multa. Sed simulata, non vera fuit ista virtus, quum suis flagitiis ac sceleribus initio velamenta quæreret, ut narrant historici. Viris gravibus, quibus interior Neronis vita non erat incognita, verba dari non poterant; neque ulla simulatione effici, quin suspectam ejus indolem haberent. Postea cœpit paulatim manifesta fieri illius monstri immanitas. Quo tempore videtur hoc carmen fuisse compositum. Ita enim meminit libidinum ejus principis, quasi tum primo vitæ ejus obscenæ opinio sinistra in vulgus emanasset, quemadmodum suo loco est a nobis indicatum. » Hic docet Casaubonus quæ sit Satiræ totius hypothesis et οἰκονομία; quo facto, hæc subjecit: « Probe vero norat Persius, quum ad hanc Satiram scribendam se accingeret, quantam rem et quam periculosam moliretur. Quamobrem consilio prudentissimo hoc argumentum Platonis imitatione sibi tractandum censuit: non solum nominibus inde petitis, sed etiam sententia propemodum universa; ut, si quis forte Corycæus, aut Cercops nomen ipsius deferret, probabili excusatione posset factum suum defendere; quasi, exercendi tantum stili causa, petitum e libris summi philosophi argumentum, Latinis versibus tentasset complecti. » Conjectura nititur hæc omnis opinio Casauboni; bona vero conjectura est. Cuilibet enim paulo attentius Taciti Annal. lib. XIII legenti, et Dionis Cassii lib. LXI, et Suetonii Neronem, atque ea quæ apud illos memorantur ad hoc opus Persianum referenti, nequaquam admitti potest, non scriptam fuisse hanc Satiram in principem, cui tota proprie conveniat. Convenit ætas, qui *septemdecim annos natus erat, ut de Claudio palam factum est,* Sueton. Ner. 8; convenit rerum civilium et oratoriæ artis ignoratio, qui *puerilibus statim annis vividum animum in alia detorsit,* Tacit. Annal. XIII, 3, et Sueton. Ibid. 52; convenit corporis forma et cura turpior, qui *vultu pulchro magis quam venusto* fuisse dicitur et *circa cultum habitumque pudendus,* Sueton. ibid. 51; convenit generis nobilitas a matre accepta, Id. ibid. 5; conveniunt fœdissimæ voluptates nocturnique per urbem excursus, et accepta etiam ab appetitis civibus vulnera, Id. ibid. 26, 28, 29; Tacit.

Annal. XIII, 25. Propria sunt hæc omnia Neronis præter cæteros omnes, præter ipsum illum Alcibiadem, cujus nomen toti operi prætenditur. Ipsa autem hæc Socratis persona, magistro romano similior quam Atheniensi, qui cives vocet *Quirites*, qui nominet *Vectidium* hominem romanum, et *Cures* Italiæ municipium, et *Compitalia* ignota Græcis festa, et *Puteal* locum Urbis. Nonne hæc qui dicit, Senecam verius quam Socratem repræsentat? Scilicet animosior poeta, quam callidior, mores Atheniensium ac nomina, quibus sententiam dissimulare primo instituerat, cito obliviscitur, et iræ magis consulit, quam utilitati.

Clara sunt et aperta in hoc opere omnia, si conjectura Casauboni usus fueris; sin minus, ambigua et obscura. Quid tandem est quod dubites? Equidem ego *Dryden* Anglo libentissime assentior, qui dixit commentatores ante Casaubonum Persianæ voluntatis fuisse ignaros, ac per illum unum scholiastem optimum vulgata esse operis ejus mysteria.

In MS. 8070 inscriptum huic Satiræ reperio: *De eis qui ambiunt honores;* titulumque alii alium posuerunt editores. Nullum vero ipsi Persio fuisse positum, vel ea fides sit, quod quid sibi hac Satira proponat aperte declarare vix potuerit, si modo verum ejus operis argumentum deprehendimus. Adde quod antiqui librarii et auctores methodicas et analyticas illas scripturæ formas, quæ sunt recentiorum, raro admodum curaverint, qui vix noverint.

VARIÆ LECTIONES. 1, 2. *Rem populi tractas: (barbatum hæc crede magistrum Dicere, sorbitio tollit quem dira cicutæ:)* — Sic interpungendum censeo in expositione ironica, et propter ea quæ sequuntur: *quo fretus?* etc. Alii autem editores punctum admirandi post *tractas*, alii punctum interrogandi posuerunt; quod quidem interdum etiam post parenthesim distulerunt. Nonnulli quoque receperunt *hoc* pro *hæc*, quæ varietas capilli interest. Recurrit tamen *hoc* in versu tertio: *Dic hoc... Hoc* vel *hæc* plane omittit editio vetustissima, neque infeliciter.

NOTÆ. 1. *Rem populi tractas:* — Tribus statim primis versibus et argumenti summam indicat, et personas quas in hoc carmine loquentes inducit. — *Rem populi;* « est respublica *res populi* » Cicer. de Repub. I, 25. *Rem populi tractas;* sic græce: τὰ τοῦ δήμου πράγματα πράττειν, Plat. Sympos. 32, Edit. Wolfii.

NOT. 1, 2 (*barbatum hæc crede magistrum Dicere, sorbitio tollit quem dira cicutæ.*) — Periphrasis, qua Socratem designat; cur autem moneat *hæc* Socratem *dicere*, superius docuimus. — *Barbatum magistrum;* non solum quia *barbam* alebat Socrates, quod Græca comœdia testatur, ita vocat; sed quia Romani, quum majores laudabant, soliti erant dicere: *cauci, barbati*, ut in IV° De Finibus testis Cicero. In morem abiisse videtur locutio *barbatus magister* pro *gravi magistro* aut *philosopho*. Juvenal. XIV, 12:

Barbatos licet admoveas mille inde *magistros.*

Plinius Min. Epist. I, x, 56, de *cana barba* loquitur, quæ, quamvis res ipsa sit exterior et fortuita, inter hominis eruditi insignia recensetur. Horatius, sat. II, 3, 15 sqq. Juvenal. sat. II, 11 et 12, Lucianus pas-

sim ac sæpius, in sapientiæ insignia illa *barbam* et *pilos* festive jocantur. Athenæus lib. XIII, ait Alexandri tantum sæculo *barbam* radendi invectum esse morem, ac derasam *barbam* flagitiosi hominis notam exstitisse. Vide infra ad vers. 35—41. — *Sorbitio tollit quem dira cicutæ;* Plinius Maj. Hist. Nat. XXV, sect. 95: « *Cicuta* venenum est, publica Atheniensium pœna. » Ad cicutam autem damnatum fuisse Socratem, et quam iniquas ob causas, testis est omnis antiquitas; unde Seneca, Epist. 13: « *Cicuta* magnum Socratem fecit. » — *Sorbitio;* græce ῥόφησις, vox usitatissima: Phædrus, I, 25, 5; Plin. Maj. Hist. Nat. XXII, 157.

Nor. 3. *Quo fretus? dic hoc, magni pupille Periclî.* — *Quo fretus?* quibus tandem confisus artibus? ὅτῳ πιστεύων; sub initium Prior. Alcib. Platonis. — *Dic hoc;* plena est interrogatio contumeliæ, et quæ maxime lædat superbum vel Dinomaches, vel Agrippinæ filium. Tacit. Annal. XIII, 6: « Igitur in urbe sermonum avida, quemadmodum princeps, vix septemdecim annos egressus, suscipere eam molem aut propulsare posset; quod subsidium in eo, qui a femina regeretur; num prælia quoque et oppugnationes urbium et cætera belli per magistratus administrari possent, anquirebant. » — *Magni pupille Periclî;* dicitur latine *Pericles, is,* et *Pericleus, ei,* sicuti Ulysses et Ulysseus; contrahendo *Periclî* pro *Periclei. Magni;* vide Plutarch. in vita Periclis, 12. *Pupille;* scilicet Clinias, Alcibiadis pater, *Periclem,* Xantippi filium, tutorem Alcibiadi reliquit. Plutarch. in vita Alcibiadis, 1; Plato, Alcibiadis ipso initio. Vide quam bene conveniant hæc omnia Neroni, etsi nominibus dissimulata, quem etiam *pupillum* vocabat irridendo Poppæa. Tacit. Annall. XIV, 1.

Nor. 4. *Scilicet ingenium et rerum prudentia velox Ante pilos venit.* — *Scilicet;* particula ironiæ aptissima. Ironice autem hic versus legendus est, nec non qui sequuntur ad decimum tertium. Notam enim illam ironiam Socratis noster secutus est. — *Ingenium;* non proprie intelligendum; *ingenium* enim, si modo naturæ donum sit, *ante pilos venire* potuerat; doctrina vero et usu elaboratum, non potest. Ovid. Metamorphoseon VI, 29:

....seris *venit* usus ab annis.

— *Rerum prudentia;* rerum omnium, civilium vero imprimis, cognitio, quæ vocatur Platoni et Aristoteli πολιτικὴ τέχνη, δύναμις, ἐπιστήμη, vel simpliciter πολιτικὴ. — *Velox;* convenit cum *ante pilos venit.* Alcibiades viginti tantum annos natus, Nero decimum septimum nondum egressus, *rem populi tractare* cœperunt. Unde apud Platonem, Alcibiadis sub initium: « οἷον ἄρα ἐπίστασθαι καὶ σοὶ ὧν τὰ δίκαια καὶ τὰ ἄδικα (*arbitrabaris nempe vel in pueritia novisse quid sit æquum, quid iniquum*). Unde hæc Persius.

Nor. 5. *Dicenda tacendaque calles.* — Intelligit eam potissimum prudentiam, quæ cernitur in arte dicendi. Quintilian. Institut. Orat. II, 20, « si consonare sibi in faciendis et non faciendis virtutis est, quæ pars ejus *prudentia* vocatur, eadem in *dicendis* et *non dicendis* erit. » — *Cal-*

les; ut *callus* in corpore, sic in animo *prudentia* longo usu paratur. Frequentior apud Latinos a *callo* metaphora.

Not. 6. *Ergo, ubi commota fervet plebecula bile.* — Videtur locus ex his expressus Platonis, Prior. Alcib. sub initium: « εἰ, μέλλοντός σου ἴεναι ἐπὶ τὸ βῆμα, λαβόμενος ἐροίμην, etc.... (*si ego te jamjam in concionem processurum manu apprehenderem, sicque interrogarem*, etc.) Lepidior tamen apud Persium ironia, qua Socrates hominem, non interrogat processurum in placidissimam deliberantis populi concionem, sed laudat et admiratur, quod ire ad multitudinem infensam et seditionem coercere audeat: *ergo fert animus*, etc. — *Plebecula*, pars populi infima ac pessima. — *Fervet commota bile;* de omni vehementiore actione *calere* et *fervere* Græci Latinique auctores usurpant, unde inferius *calidæ turbæ. Commota bile;* plebis iras sic repræsentat.

Not. 7, 8. *Fert animus calidæ fecisse silentia turbæ Majestate manus.* — *Fert animus;* sustinet *animus* : habet locus multum festivitatis. — *Silentium fecisse;* usitatissima est locutio; poetica vero et minus usitata constructio est *facere silentium turbæ*, pro imperare *turbæ* silentium; nam *facere silentium* alicui vulgo usurpatur pro adhibere alicui silentium, audire aliquem. — *Calidæ;* convenit cum *fervet.* — *Majestate manus;* singularis audacia verborum et felicitas. Ovid. Metam I, 205 sqq.; Lucanus, Pharsal. I, 297 sqq.; unus vero est omnium Virgilius, qui in hoc præstet Persio, laudato Æneid. loco, I, 149 sqq.

> Ac veluti magno in populo quum sæpe coorta est
> Seditio, etc.

Ammianus Marcell. lib. XXVI: « Immaniter strepente exercitu, quum cieri tumultus violentior appareret, Valentinianus, *elata prospere dextra*, ut princeps fiducia plenus, ausus increpare quosdam ut seditiosos et pertinaces, cogitata nullis interpretantibus absolvebat. »

Var. 8, 9. *Quid deinde loquere? — Quirites, hoc, puto, non justum est; illud male; rectius istud.* — Codd. Colbertini duo, duo Pithœi, item qui dicuntur Bongarsii, edunt *puta*, quod multi receperunt, inter quos Kœnig et Casaubonus. Priscianus quoque grammaticus, teste Casaubono, hæc habet lib. XV, de Terminatione adverbiorum : « *Ita* solum *a* correptum habet; quamvis quidam *puta* adverbium esse accipiunt ideoque Persium id corripuisse, ut : *hoc, puta, non justum*, etc. » Tamen prætuli *puto*, quod laudati receperunt editores habentque MMS. mei Codd. 8055, 8070, 8273. — *Illud* et *istud* transferunt vel commutant editores atque etiam MMS. Codices, et vulgo legitur *illud* bis repetitum. Equidem ego omnem hunc locum et legendum, et interpungendum ita esse censeo, quemadmodum fecit laudandus editor Franciscus *Passow*.

Not. 8. *Quid deinde loquere? — Quirites*, etc. — *Quid deinde loquere;* i. e. postquam animi constantia tumultuantem sedaveris populum et silentium feceris, quid *deinde*, quid tandem dices? — *Quirites;* parum convenit hoc verbum in ore Atheniensis, quem dicere decuerat: ἄνδρες Ἀθηναῖοι, aut saltem *cives*. Sed non imprudens, ut arbitror, appellationem Atticam Romana commutavit poeta; propositam vero satiram

magis secutus est, quam decorum. Etenim vel hac una voce satis innuit omnia in Romanum dici principem.

Not. 9. *Hoc, puto, non justum est; illud male; rectius istud.* — Hæc, necnon appellatio *Quirites*, verba sunt hominis ad plebem *loquentis*, et pravas vulgi opiniones auctoritate sua corrigentis. Quidam interpretes, paulo argutiores fortasse, hæc censent simplicius esse dicta ad irridendum hominem qui, deliberationum ignarus, de rebus inepte pronuntiet, non disserere possit. — *Puto* vertunt per *inquies*, qui hoc verbum, ut cætera ejusdem versus, non tribuunt ipsi homini ad plebem verba facienti, sed Socrati hæc verba fingenti; quæ mihi minus probatur interpretatio, ac, si recipienda foret, *puta* maluissem, cujus sensus est: *verbi gratia*. *Puto* vox est hominis secum deliberantis et ad plebem sensus suos proferentis. — *Illud* refertur ad *hoc;* quibus opponitur *istud*, ut tertia sententia, et quidem bona.

Var. 10. *Scis etenim justum gemina suspendere lance.* — Quidam MMS. Codd. inter quos 7984, qui dicitur Thuaneus, habent *etiam* pro *etenim*. Corruptela videtur irrepsisse *etiam*, quod est ineptissimum; quum enim præcedenti versu dixerit *hoc, puto, non justum est*, maxime convenit *etenim* ad repetitionem verbi *justum* et ad ironiam.

Not. 10. *Scis etenim justum gemina suspendere lance Ancipitis libræ.* — Producitur ironia, juvenique Socrates suam *justi* et injusti cognitionem lepide gratulatur, innuitque simul veri politici officium quale esse debeat et quam arduum sit. — *Gemina suspendere lance*, etc.; allegoria est linguarum omnium usitatissima, quæ fingit res ratione ponderari, quemadmodum libra ponderantur. Respice ad sat. I, not. 6. *Justum suspendere lance*, locutio est paulo audacior, ut Persianæ esse solent. — *Ancipitis libræ;* vertunt *ancipitis* per *ambiguæ;* libra enim exacta, ait *Kœnig*, in neutram partem vergit. Possit vero referri quoque *anceps* ad *justum* quod ponderatur et ita ambiguum est, ut in neutram partem lances deprimantur.

Var. 11. *Rectum discernis ubi inter Curva subit.* — Habent quidam MSS. Codd. et vetustissimæ quas habeat Regia Bibliotheca editionum, *verum* pro *rectum*, quod multo aptius convenit cum *inter curva subit*, quodque plures habent MMS. Codd. et Editiones. Nostram quoque lectionem tuetur exemplum Horatii nota sequenti relatum.

Not. 11. *Rectum discernis, ubi inter Curva subit.* — *Rectum;* æquum; *curva;* iniqua. Tenui autem discrimine æquum ab iniquo secernitur, atque aliud ab alio dignoscere et dividere hominis est præstantissimi. Quamobrem juveni gratulatur ironice Socrates, quod certo quasi limite noverit *recti* pravique confinia definire, et quasi commixtum aliud ab alio separare. Horat. Epistol. II, 2, 44:

Scilicet ut possem curvo dignoscere rectum.

Monent interpretes princepsque Casaubonus, ad plurale *curva*, credo, respicientes, ἀγχιθύρους, ut ait in Asceticis divus Basilius, εἶναι ταῖς ἀρε-

τοις τὰς κακίας (*vicina esse virtutibus vitia*); unde Horatius dixerit:

Virtus est medium vitiorum utrinque reductum.

Medium autem felicissimum illud, quod *inter curva subit*, deprehendi ac ab utraque parte confinium vitiorum dividi hic ironice laudari arbitrantur. Paulo argutior interpretatio mihi videtur, et quæ stoïcorum doctrinæ haud ita conveniat.

Not. 12. *Vel quum fallit pede regula varo.* — Hominem laudare voluit, qui possit ipsas corrigere regulas, quas dicit esse *pede varo fallentes*, h. e. male nixas ac male regentes. Quæ sunt autem istæ regulæ? Leges, consuetudo, instituta; quæ omnia persæpe fallunt in judiciis; neque enim per se perfecta sunt, atque ut forent, nulla lex est tam certa, quæ non multas patiatur exceptiones et ex nonnullis circumstantiis peccet. Hoc est igitur ingenii opus usu et experientia elaborati discernere quatenus ad regulam constitutam res exigere conveniat, et eos declinare errores, in quos abduceret nimia regularum observantia. Censet Britannicus, non jure, ut opinor, his continuari priorum verborum allegoriam, atque *regulam* esse libræ flagellum, *pedem* autem *varum*, eam esse lingulam, quæ vergit in trutina.

Not. 13. *Et potis es nigrum vitio præfigere theta.* — Extremum est ironiæ telum, quæ præferocem adolescentulum dejiciat. Scilicet animi vim atque prudentiam ei gratulatur, qua nunquam aut aberrare aut dubitare possit in damnandis morte hominibus: *et potis es.* — *Nigrum vitio præfigere theta;* « Judices, ait vetus scholiastes Cornutus, litteram *theta* apponunt ad eorum nomina, quos supplicio afficiunt. Merito *theta* ἀπὸ τοῦ θάνατος, eo quod quasi habeat telum suum; ideoque triste intelligitur, vel mortis signum. » Martial. VII, 37:

Nosti mortiferum quæstoris, Castrice, signum?
Est operæ pretium discere *theta* novum.
Exprimet et quoties rorantem frigore nasum
Lethalem juguli jusserat esse notam.

Erant alii quoque usus litteræ *theta*. Monet Casaubonus, Rufinum citans ad Hieronymum, fuisse in more, ut qui recenserent laterculos militum, nominibus eorum qui perierant θ præfigerent: hoc erat expungere. Respice ad sat. II, not. 12. Exstant etiam nunc in antiquis monumentorum lapidibus crebra ejus signi vestigia. Sidon. Apollinaris pro nota critica usurpavit, eodem modo quo græci τὸ χ, quod iis locis inscribebant, qui erant corruptissimi. Sidon. Apollinar. IX, 339 sqq.

Var. 13, 14. Inter hos nostræ editionis versus hunc habet improbissimum codex MS. 7984, Thuaneus et veteres quædam editiones:

O multum ante alias infelix littera *theta;*

quem etiam in notis sic retulit Cornutus scholiastes: « unde quidam ait: *o multum infelix*.... » pudendus hic versus e glossa in textum irrepsit, atque improba est imitatio Virgilii, Æneid. III, 321: « *o felix* una *ante alias* Priameïa virgo. »

Not. 14. *Quin tu igitur, summa nequicquam pelle decorus.* — Hac-

tenus ironice; nunc agit apertius. — *Quin tu igitur;* junge cum *desinis* ac verte: quandoquidem nihil horum habes, quæ ad regendam rempublicam necessaria sunt, cur non, omissa publicæ rei cura, te ipsum sanare properas? — *Summa nequicquam pelle decorus;* convenit æque Alcibiadi ac Neroni, sive ad corpus, sive ad ingenium respicias. Formosus enim erat Alcibiades, Nero pulcher; uterque corporis diligentior et vestimentis conspicuus; uterque virtutem præ se ferens, moribus erat haud ita castus, atque etiam Nero fere semper turpissimus. Vid. Plutarchum, in Vit. Alcibiad.; Sueton. in Neron.; Tacit. Annal. XIII et XIV, passim. Conf. Horat. Sat. II, 1, 64 sqq.; Epist. I, 16, 45.

Not. 15. *Ante diem blando caudam jactare popello.* — *Ante diem;* sic supra: *ante pilos;* Scilicet minime tempus poscit, accedat ad rempublicam juvenis ineptissimus. — *Caudam jactare popello;* speciose factis se venditare ad plebem ejusque favorem captare. Rem vero expressit per metaphoram vel e pavonibus ductam, qui pandunt *caudæ* spectacula, vel e canibus, qui *cauda* blandiuntur. *Popello;* melius quam *populo:* minutus enim est populus. — *Blando;* populus enim ejusmodi hominibus semper blanditur, eosque, ut in Alcibiadis vita legimus ac Neronis, effert in cælum. Specie enim magis quam re ducitur multitudo. Horat. Sat. I, 6, 15 sqq.

Not. 16. *Desinis, Anticyras melior sorbere meracas.* — *Desinis;* junge cum *quin tu igitur.* — *Anticyras melior sorbere meracas;* hyperbole satirica pro: aptior regi, quam regere alios. *Melior sorbere;* hellenismus Persio familiaris. — *Anticyras;* censent alii fuisse ejus nominis urbes Phthiotidis ac Phocidis maritimas, alii insulas in sinu Ætæo, seu Maliaco ad Thessaliam, quarum in agro magna copia hellebori proveniret; unde etiam vox *Anticyra* pro helleboro ponitur, atque eo sensu hic Persio videtur usurpata, necnon Horatio in Arte Poet. 300:

Si tribus *Anticyris* caput insanabile nunquam ....

Ex quo tamen versu nonnulli colligunt fuisse *tres Anticyras* insulas, aut urbes; at Strabo, lib. IX, duarum solummodo meminit. Noxios humores atque etiam insaniam helleboro posse purgari, ingenium acui, testes sunt auctores bene multi. Plin. Maj. XXV, 5; Gell. XVII, 15; Sueton. in Caligul. 29; Juvenal. XIII, 96, ibique Ruperti. — *Meracas;* dilutum commixtumque sumi solet hellebórum; *meracas* vero posuit ad hyperboles vim confirmandam, Horatium secutus, qui dixit Epist. II, 2, 137:

Expulit *helleboro* morbum bilemque *meraco.*

Var. 17. *Quæ tibi summa boni est?* — Habent plures e vetustissimis Regiæ Biblioth. Parisiensis editionibus: *Quo tibi summa boni est,* quam certe manuscriptus aliquis fert lectionem, non contemnendam ipsam, quæ ab orationis solutæ constructione vulgari paululum recederet.

Not. 17. *Quæ tibi summa boni est?* — Solemnis est ille mos nostri auctoris homines æstimare ex Stoicismi sui præceptis; sic in superiore Sat. 60: *Est aliquid quo tendis.* Nunc juvenem interrogat de *summo*

bono; quod si ille ignoraverit, qua tandem ratione poterit esse in ulla re sapiens, nedum in politica?

Not. 17, 18. *Uncta vixisse patella Semper, et assiduo curata cuticula sole.* — Pro juvene respondit magister, non habente illo quod respondeat. *Summa* autem stolido juveni dicit esse *bona* abjectissimas corporis voluptates, gulam et *cuticulæ curam.* — *Uncta vixisse patella;* vulgo *unctum* Latini usurpabant pro cibis lautis ac opipare positis. Hor. Art. Poet. 422:

Si vero est *unctum* qui recte ponere possit.

— *Semper et assiduo;* sic stolidos exprimit juvenis sensus, qui ne voluptatis quidem intelligat rationem. Namque, ut ait Juvenal. Sat. XI, vs. 206:

.... facere hoc non possis quinque diebus
Continuis, quia sunt talis quoque tædia vitæ
Magna. Voluptates commendat rarior usus.

— *Curata cuticula sole;* insolatio, græce ἡλίωσις vel ἡλιοκαία, res est longe alia et longe usitatior apud antiquos etiamque nunc apud Orientis populos, quam in Occidente nostro. Omnibus adhibebatur ad conciliandam corpori siccitatem, atque etiam ex præcepto medicorum. Plin. Maj. H. N. XXI, 14; Plin. Min. III, Epist. 1. Quam vero interdum adhibebant frugis homines insolationem bonam honestamque, lascivi ac delicatuli *semper et assidue* usurpabant et in pravos usus detorquebant. Juvenal. sat. XI, vs. 203:

Nostra bibat verum *curata cuticula solem.*

Martial. lib. X, Epigramm. 12:

I, precor; et *totos* avida *cute* combibe *soles:*
Quam formosus eris!

Var. 19. *Exspecta: haud aliud respondeat hæc anus.* — Edunt *exspecta* MMS. Codd. omnes. Marcilius legi vult *En specta*, eodem ferme modo, quo dixit Virgilius, simili aliquantum loco, Eclog. III, 50:

Audiat hæc tantum vel qui venit, *ecce*, Palæmon.

Non ejus ineptiæ est hominis conjectura, ut moveat iras Casaubono; immo vero ingeniosa est: conjectura tamen, atque etiam supervacanea, quum optimum sensum habeat *exspecta*, quod edunt MSS. Codd. Sic enim aiunt græce ἐχ' ἄτρεμας; latine, attendas, attende parumper. Seneca, de Benef. lib. V, cap. 12: « Dicis me abesse ab eo, qui operæ pretium facit; immo totam operam bona fide perdere. *Exspecta*: etiam hoc verius dices, simul ac te ad has latebras perduxero. » Placet igitur legi *exspecta.* Videtur tamen legisse *en specta* Scholiastes Cornutus, qui vertit *inspice*, hunc referens versum Lucani in exemplum:

Omnis in Ionios *spectabat* navita fluctus.

Not. 19. *Exspecta: haud aliud respondeat hæc anus. I nunc.* — Sensus: certe si volueris *exspectare* et *anum* audire, invenies eam *non aliud* interrogatam *respondere.* Ex quo ostendit superbissimum juvenem non minus insanum esse, quam *anum* decrepitam: *anuum* enim est delirare. — *Hæc anus;* satis lepide fingit Poeta *hanc* transire *anum.* — *I nunc*,

cum indignatione et irrisione pronuntiandum. Virg. Æneid VII, 425; Juvenal. Sat. X, 310.

Not. 20. Dinomaches ego sum *suffla;* sum candidus. *Esto.* — Verba sunt juvenis externa bona sua jactitantis. — *Dinomaches ego sum;* græca constructio, qua subauditur *filius.* Matrem enim habuit Alcibiades *Dinomachen*, quæ generis fuit Alcmœonidum. Maternæ autem potius meminit originis Persius, quam paternæ, non ut Alcibiadem ipsum tangat, qui patrem quoque habuit optimo loco natum, quo genus duceret ab Ajace; Plutarch. in Alcibiade. Respicit vero ad Neronem, qui per matrem Agrippinam in Cæsarum domum ac hæreditatem adscitus est, patre natus Domitio Ænobarbo. — *Suffla;* dic superbia intumescens; sic in satira prima, vs. 27: « *pulmonem rumpere ventis.* » Græce: ἐκπνευμάτουν. — *Sum candidus;* erat Alcibiades præstanti forma corporis, et, ut ait Socrates, καλλιστός τε καὶ μέγιστος; Plato, in Alcibiade; mansitque ei sua pulchritudo per omnem ætatem; Plutarchus, Vit. Alcib.; Plinius Maj. Hist. Nat. XXXIV, 6; neque laus omnino Neroni aliena est, qui fuisse dicitur ore pulchro, et circa corporis cultum diligentior. — *Esto;* i. e. licet plane et generis nobilitate et forma corporis præstes, fluxis ac fragilibus bonis.

Var. 21. *Dum ne deterius sapiat pannucea Baucis.* — Edit MS. 8273: *Dum non deterius...;* sed raro admodum cum subjunctivo recurrit *non.* Alii edunt *pannucia* atque etiam *pannutia*, quæ quidem æquè dicuntur ac *pannucea.*

Not. 21. *Dum ne deterius sapiat pannucea Baucis.* — Sensus: dummodo fatearis te nihilo magis animi bona, quæ vera sunt, intelligere, quam qui vel minime omnium. — *Dum ne;* formula est exceptionis. — *Deterius;* subaudi *ac tu.* — *Pannucea Baucis;* nomen est *Baucis* apud Callimachum aliosque græcos poetas vetulæ pauperculæ, unde sumpserunt Latini. Ovid. Metam. VIII. Hic, pro vetula qualibet anu olitrice.

Var. 22. *Quum bene discincto cantaverit ocima vernæ.* — Habent *ozima* vetustissimæ pleræque editiones, Italianæ, credo, pronuntiationis magis observantes, quam Latinæ. Dicitur enim in Italiano *ozzimo.* Latini vero dicere debuerunt *ocimum* vel *ocymum*, a græco ὄκιμον vel ὄκυμον. Legitur quoque interdum *ocinum;* Varro, R. R. lib. I, cap. 31. — In hoc edendo versu consentiunt MMS. Codd. omnes ac vetustissimæ editionum; quo minus de recipiendo dubites, tametsi quidam ejiciendum censeant, ut abortivum, aut temere adjectum.

Not. 22. *Quum bene discincto cantaverit ocima vernæ.* — Inceptam absolvit periphrasim a *pannucea Baucis* incipientem, quæ *anum* olitricem designat. Sensus: dum *cantando* jactitat et venditat herbas et olera ad vernas protervos transeuntes. Nam *cantare ocima*, quid aliud esse potest, quam venditare legumina et herbas, quæ qui circumferunt *cantu* aliquo suo jactitare solent? *Ocimum* enim genus est leguminis aut herbæ græce dictum, ut volunt, βασιλικόν, gallice *basilic.* Secundum Plinium Maj. Hist. Nat. lib. XIX, sect. 36, et XX, sect. 48, vocabatur quoque *ocimum* quædam farrago aut variarum herbarum mistura, qua ventrem

bobus et equis ciebant, aut in venerem hos stimulabant. Hic vero *ocima* posuit Noster pro vilissimis quibusque leguminibus. — *Vernæ discincto*; turpissimum famulorum genus *vernæ*. *Discincto*, dissoluto et procaci. Respice ad superiorem sat. vs. 31 : « ad morem *discincti* vivere Nattæ. » Omnia in his duobus versibus abjectissima quæque videntur fuisse consulto conquisita, quo certius comparatione deprimatur juvenis imperiosus. — Torquent sese ad hunc locum plerique commentantes; sed quare ita faciant, parum video, quoniam apertissima est quam sequimur et quæ prima omnium occurrit interpretatio. « Ex Plinio (loco citat.) ubi dicuntur *ocima* cum maledictis et probris seri, colligit Casaubonus *ocima cantare vernæ* idem esse ac opprobria ingerere servulo; provocat quoque ad naturam muliebris sexus pronam ad convicia, qualis ab Aristophane repræsentatur, Ranæ, 857. Verum inde, quod *ocima* cum maledictis et probris seruntur, minime sequitur *ocima cantare* esse *opprobria ingerere*. Quin etiam maledicta et opprobria ab h. l. aliena esse videntur, quum *pannucea Baucis vernam* ita tractare debeat, ut Alcibiades popellum, nisi mavis statuere, comparationem esse mancam, aut versum hunc temere adjectum. » Sic explodit Kœnig explicationem Casauboni, et quidem recte; ipse vero alteram secutus est explicationem non minus duram et alienam, qui dicit : « Plinius, ubi agit de virtutibus medicis hujus *ocimi* (loco citat.) addit : *venerem stimulat; ideo etiam equis asinisque admissuræ tempore ingeritur*. Positum igitur esse potest *ocima cantare* pro *cantare* ea, quæ venerem seu libidinem stimulant, seu simpliciter pro libidinem excitare. Huic interpretationi, seu, si mavis, hariolationi (nam hariolandum sane h. l. est) aptum quoque videtur *bene discincto vernæ*, i. e. dissoluto ac libidinoso servo. » Equidem ego sic existimo, homines eruditos sese ultro in eas conjecisse ambages, unde nullo modo se extricare potuerint.

Hunc omnem locum a versu 14 *Quin tu igitur*...., ad hunc extremum *Quum bene discincto*.... convenire apprime Neroni, monet Casaubonus, ac per se satis perspicuum est. Neronis enim fuit, imperium ineuntis, multa facere publice laudanda, et speciose factis sese *jactare popello*, ut, quum iniens consulatum cum L. Antistio, jurantibus in acta principum magistratibus, in sua acta collegam Antistium jurare prohibuit. Tacit. Ann. lib. XIII, 11; vel, quum agenti Senatui gratias respondit : *quum meruero*. Sueton. Nero, 10; vel, quum ex Augusti præscripto imperaturum se promisit. Tacit. Annal. XIII, 4; vel denique, quum vocem illam dixit celeberrimam : *quam vellem nescire literas!* Sueton. Ner. 10. Sed hæc qui faciebat, aut dicebat speciosa, idem *vera bona* ignorans, sese turpissimis dabat voluptatibus, et generis nobilitatem ab Agrippina acceptam jactitabat insolentius. Quæ omnia Persius satirice tetigit.

Var. 23. *Ut nemo in sese tentat descendere, nemo.* — Sic edunt MMS. Codd. 8048, 8055, 8070, et vetustissimarum editionum optimæ : Codex vero 8273, quem nonnulli sequuntur editores, præfert *tentet*, vel potius *temptet*. At non regit sub-

junctivum *ut*; namque hic est admirativum. Sic apud Virgil. Eclog. VIII, 40:

Ut vidi, *ut* perii, *ut* me malus abstulit error!

Not. 23, 24. *Ut nemo in sese tentat descendere, nemo; Sed præcedenti spectatur mantica tergo!* — His versibus transitio fit ad alteram partem satirici sermonis. Priore scilicet juvenem admonuit civilis prudentiæ, quam prorsus ignoret, quum ne prima quidem sapientiæ elementa melius noverit, quam e plebecula vilissimus quisque. Nunc vero hac posteriore parte tendit longius Poeta, eumdemque illum præferocem adolescentulum, qui se politicum ferat et in cæteros homines imperium sibi velit arrogare, demonstrat vel infra humanitatem esse prolapsum, qui turpissimis mancipetur voluptatibus. Sed hominem quo certius conficiat, non aperte adoritur, neque violenta oratione, at per callidam hanc lepidamque dicendi rationem: *Ut nemo in sese tentat*, etc., eo immitiorem, quod minime inimica videatur. Immo etiam arcanas hominis libidines non suo nomine descripsit, sed ut aliis describerentur retulit, vix isti rumori fidem adhibere visus, usque adeo portentosa narrantur! Admirandus certe locus, præsertim quum eo tangatur arcana vita Neronis, quam attrectare summæ egebat calliditatis. Tangi vero Neronem ex eo manifestum est, quod his versibus 24—42, illi subjiciantur, qui proprie Neroni conveniunt, ut liquet ex Tacit. Annal. XIII, 25:

Vivitur hoc pacto: sic novimus: ilia subter
Cæcum vulnus habes....

Ejus autem loci vim et calliditatem parum intellexisse videntur commentantes, præter unum Casaubonum, qui monent Poetam hic a proposito longius digredi, atque intercidere queruntur tenorem orationis. — *Ut nemo in sese tentat;* voces hominis vitia hominum secum admirantis; quæ dicendi ratio apud Persium solemnis est. — *In sese descendere;* intimum animum perscrutari, ubi vitia latent. Sic in hujusce satiræ fine *secum habitare.* — *Sed præcedenti spectatur mantica tergo;* alludit ad notissimum illum Æsopi apologum, quem sic Phædrus retulit, lib. IV, fab. 10:

Peras imposuit Juppiter nobis duas:
Propriis repletam vitiis post *tergum* dedit,
Alienis ante pectus suspendit gravem.
Hac re videre nostra mala non possumus;
Alii simul delinquunt, censores sumus.

Monet Casaubonus aliam esse excogitatam Æsopo vel Phædro imaginem, aliam Persio, qui unam solummodo unicuique homini peram imposuerit, eamque suis vitiis gravem et a *tergo* dependentem; verum ex eo quod qui sequitur, *manticam spectat dorso præcedentis* insidentem, non colligas necesse est, alteram non dependere *manticam*, quæ pectori ejusdem insideat, quemadmodum Æsopus excogitavit. At vetus Scholiastes *præcedenti tergo* intelligit de pectore, ita ut in Persiana imagine unum tantummodo hominem videat repræsentari, qui spectat in *præcedenti dorso* suo, h. e. in pectore, *manticam* alienis vitiis gravem. Quanto probabilior eorum interpretatio, qui duos hic esse volunt homines, al-

terum qui sequatur et spectet, alterum qui præcedat et a *tergo* spectetur, quique audiunt *tergo præcedenti*, non aliter ac si esset *tergo præcedentis!* Conf. Horat. Sat. I, 3, 25 sqq.

> Quam tua pervideas oculis mala lippus inunctis,
> Cur in amicorum vitiis tam cernis acutum,
> Quam aut aquila, aut serpens Epidaurius? At tibi contra
> Evenit, inquirant vitia ut tua rursus et illi.

Cicer. Tuscul. Quæst. lib. III, cap. 30, edit. Ernesti : « . . . avari avaros, gloriæ cupidos gloriosi reprehendunt. Est enim proprium stultitiæ aliorum vitia cernere, oblivisci suorum. »

VAR. 25, 26, 27.

> Quæsieris : « Nostin' Vectidî prædia? » — « Cujus?
> « Dives arat Curibus, quantum non milvus oberret :
> « Hunc ais? » — « Hunc, dis iratis genioque sinistro, etc.

Hæc est lectio quæ mihi verissime exacta videatur ad sensus claritatem et ad fidem MMS. Codd. vetustissimarumque optimæ notæ editionum; nisi tamen hanc prætuleris simillimam, quæ est Scholiastis Cornuti :

> Quæsieris : « Nostin' Vectidî prædia? » — « Cujus? » —
> « Dives arat Curibus, quantum non milvus oberret. »
> — « Hunc ais? » — « Hunc dis iratis genioque sinistro,

— Pro *quæsieris* multi legi velint *quæsierit*, monetque fautor et auctor ejus opinionis Britannicus, secundam personam pro tertia positam esse, quasi dixisset : *aliquis quæsierit fortasse*. Malo nihil immutari MMS. Codd. lectioni, et ad eum referri *quæsieris*, quem tangit Poeta, et ad quem subjicit : *at si unctus cesses et figas in cute solem*. — Pro *Vectidî* habent MMS. 8048 et 8055 *Vetidii*, 8070 *Vectidii*, quod sic contractum recurrit in 8273 : *Vectidî*. Quidam legendum censuerunt *Ventidî*, ut sit idem nomen ac apud Juvenalem, Sat. XI, 21, sqq. :

> In Rutilo nam
> Luxuria est; in *Ventidio* laudabile nomen
> Sumit, et a censu famam trahit.

Vicinum quidem est *Ventidio*, quod edunt MMS. 8048 et 8055 *Vetidii;* sed, ut optime colligit Casaubonus, alius luxuria insignis, alius avaritiæ insimulatur. Quare ejusdem esse hominis nomen ægre admodum potest. — Legitur in Cornuti Scholiis *oberrat*, quod nonnulli receperunt; sed *oberret* edunt MMS. Codd. quod aptius videtur constructioni, nec non versus harmoniæ, ut vitetur *arat, oberrat*. — At vero non in legendis ipsis verbis sita est ejus loci difficultas, verum in interpungendis, ut recte dialogismus instituatur. Qua de re parum est lucis in MMS. Codd. atque etiam in editorum plerisque operibus, qui tres hos versus, perpaucis interpositis dialogismi signis, continuarunt. Britannici interpretationem, paulo superius relatam, secuti *Kœnig*, Franciscus *Passow* et *Gifford*, totum sic locum disposuere :

> Quæsieris : « Nostin' Vectidî prædia? » — « cujus? » —
> « Dives arat Curibus, quantum non milvus oberret. » —
> « Hunc ais? hunc dis iratis genioque sinistro,

quæ lectio in hoc potissimum peccare mihi videtur, quod illi *quæsieris* non ejusdem tenoris acceperint ac *ais*, aut inferius *cesses* et *figas*. Atque suum ipsi vitium satis intelligere videntur, quoniam, uti censuit Britannicus ante omnes, legi malint *quæsierit*, aut *quæsierint*, h. e. *a te quæsierint*. Equidem ego malignam istam interrogationem : *Nostin' Vectidî prædia*, et avari descriptionem quæ sequitur,

Hunc, dis iratis genioque, etc.... malo ei tribuere, qui de *Vectidio* maledicere cupiat, quique non aliam ob causam de eo interroget, quam ut inde maledicendi sumat occasionem.

Not. 25. *Quæsieris* : « *Nostin' Vectidî prædia?* » — « *cujus?* — Ut comprobet quam difficile sit sese ipsum noscere, quamque simus in aliorum vitia oculati, affert in exemplum quæ audeat in *Vectidii* vitam ganeo politicus, qui hac tota satira agitatur. — *Quæsieris*; quasi dixisset : *verbi gratia, alium sic rogaveris.* — *Vectidî*; quisnam fuerit ille *Vectidius*, plane ignoratur. Fuisse videtur homo *prædiis* opulentior, qui degeret in agro Sabino. Sordidissimæ istum insimulat avaritiæ politicus ganeo; potuit tamen esse solummodo vir frugis; vir enim frugis ganeoni et prodigo avarus videtur. Rem exaggerat fortasse, qui vult *Vectidium* irridere; fortasse et jure irrisit, et verissima ut ridicula de eo narravit. — « *Cujus?* » Sic refert qui interrogatione appetitur.

Not. 26. « *Dives arat Curibus, quantum non milvus oberret* : — Circumstantiæ sunt, quibus innotescat *Vectidius*, de quo agitur : *Dives, arat*, degit prope *Cures*, multum possidet agrorum. — *Arare*, latine agros possidere; *pascere*, habere pascua. Aliud erat atque est curam dare *arationi*, aliud pecori. — *Curibus*; urbs Sabinorum *Cures* olim primaria, in qua Titus Tatius imperitabat, unde Numa Pompilius Romam dicitur accitus. — *Quantum non milvus oberret*; hyperbolica locutio, quæ recurrit et apud Juvenal. Sat. IX, 55 :

Tot *milvos* intra tua pascua lassos.

Testatur etiam vetus Scholiastes fuisse in proverbio : *quantum milvi volant.*

Not. 27. « *Hunc ais?* » — « *Hunc, dis iratis genioque sinistro.* — *Hunc ais?* Rogat interrogatus, an de eo *Vectidio* prope *Cures* agente sermo fiat. — « *Hunc, dis iratis genioque sinistro*; hæc refert qui de *Vectidio* malitiose prior interrogavit, hominemque incipit more suo describere. De *genio* vide supr. Sat. II, 3. — Strui velit Britannicus *dis iratis genioque sinistro* cum *qui* et cum *ingemit*, ut sit *qui ingemit dis iratis* etc. h. e. qui litat *diis iratis* et *genio sinistro* ingemiscens. Paulo distantiora mihi videntur verba *ingemit* ac *dis iratis*, ut construendo copulentur, et malo subaudi hoc versu *natum*, uti monet vetus scholiastes.

Not. 28. « *Qui, quandoque jugum pertusa ad compita figit.* — Pergit hominis avaritiam describere, qui, vix die festo, opus intermittens, cum familia liberaliter velit epulari. Tunc quoque epulas ejus ait esse pultem et cæpas cum pauxillo aceto. Quid igitur aliis diebus esse censeamus? « Obscura est, ait Casaubonus, diei festi notatio hoc versu comprehensa. Clarum est cessationem ab opere intelligi.... Nondum tamen intelligimus, quid sit *figere jugum ad compita.* Sed tangit fortasse Persius ritum aliquem Compitaliorum, cujus ignoratione obscura nobis sunt ipsius verba. » *Compitum* proprie quadrivium; quadrivia autem laribus *Compitalibus* sacra erant. Ovid. Fast. v. 140; Sueton. August. 31. Quo-

rum in honorem aræ ibi constructæ et sacella per omnes quatuor partes patentia; Gronov. ad Gell. I, 22. Ibi sacra fiebant bis anno; Sueton. loc. cit.; Dionys. IV, 14. *Compitalia* appellata; Gell. X, 24. Illis diebus omne servitium erat sublatum; Dionys. l. c.; Tibull. II, 7; Macrob. I, 14. Porro mos erat apud antiquos, Græcos Latinosque, ut *juga*, festis diebus, et similia agricolationis instrumenta suspenderentur. Unde græce τὰ ἐργαλεῖα ἀνατίθεναι aut ἀναχρεμᾶσθαι, unde Tibull. lib. II, eleg. 1, 5 sq.

Luce sacra, requiescat humus, requiescat arator;
Et grave, *suspenso vomere*, cesset opus.

Confirmat hæc omnia interpretatione sua vetus Scholiastes : « *Compita* sunt loca in quadriviis quasi turres, ubi sacrificia, finita agricultura, rustici celebrabant. Merito *pertusa*, quia per omnes quatuor partes pateant vel vetusta, vel *compita*. Non solum sunt in Urbe loca, sed etiam viæ publicæ ac diverticula aliquorum confinium, emeriti et elaborati operis indicium. » Itaque verti : « qui, *quandocumque redeunt Compitalia festa*, et ad aras Compitales undequaque apertas juga boum suspendit.... » Probabilior ea mihi visa est interpretatio, quam quæ Pratæo probatur aliisque.

Var. 29. « *Seriolæ veterem metuens deradere limum.* — Edunt nonnulli, inter quos Pratæus, *veteris*, quod et habent MMS. Codd.

Not. 29. « *Seriolæ veterem metuens deradere limum.* — *Seriolæ;* a *seria*, quæ vas est fictile, oblongum et ventriosum, variæ magnitudinis, vino, oleo aliisque rebus continendis ac servandis. Deminutivum *seriola* plus hic habet festivitatis. — *Veterem;* qua perdiu homo sordidus abstinuerat, ita ut vinum acesceret, unde infra dicit : *fæcem morientis aceti.* — *Metuens deradere limum ;* scilicet pice vel luto, quod hic vocat *limum* Persius, dolia et vasa vinaria obturabantur, aut linebantur. Horat. lib. I, Od. 20, 1 sqq.

Vile potabis modicis Sabinum
Cantharis, græca quod ego ipse testa
Conditum *levi.*

Picationis ejus testarum varios modos describunt Columella, lib. XII, 18, 4, aliique. Testam igitur ad bibendum aperire dicitur *picem aut limum deradere*, aut simpliciter *testam relinere.* Terent. Heauton. III, 1, 51 :

Relevi omnia dolia, omnes *serias.*

Deradere limum veterem, quidam non vertunt *veterem seriam relinere*, sed intelligunt de *seria*, humo demersa in cellario, quam necesse fuit, antequam relineretur, purgare sordibus. Alii *limum* volunt esse vini fæcem reliquam ac diutius servatam, quæ nunc de *seria deradatur.* Paulo sunt exquisitiores hi sensus.

Not. 30. « *Ingemit* Hoc bene sit! *tunicatum cum sale mordens Cæpe.* — *Ingemit;* comicum hoc indicat verbum, quam lubenter litet homo sordidus. Constructio est : *ingemit* hoc bene sit; *hoc* in causativo, quod

regat *ingemit:* felicior constructionis audacia. — *Hoc bene sit;* solemnia verba sunt, quemadmodum *quod bene vertat*, aut *quod felix fortunatumque sit*, aut *quod Dii secundent*, aut *Dii me ament*, quibus omnibus utebantur, quoties rem magnam aliquam inusitatamque aggrederentur, atque etiam quoties in conviviis sese ad hilaritatem et ad bibendum invicem hortarentur. Sic facit noster avarus, sed lætitiam indicit *ingemiscens*. Vide Tibull. Eleg. 1, lib. II; Plaut. in Stich. sc. 13, ibique Lambini notas. — *Tunicatum cum sale mordens cæpe; cæpe* comedit multis rudioribus involucris etiam involutum, et mandit avidius, quod *mordens* indicat. *Cum sale;* miserum condimentum. *Tunicatum*, elegantius quam proprium fuerat apud poetam; sic apud Stat. Sylvarum IV, 9, 29:

replictæ
Bulborum *tunicæ*.

Cæpe; dicitur et *cæpa*, hortense olus, satis notum. Juvenal. Sat. XV, 9:

Porrum et *cæpe* nefas violare et frangere morsu.

Var. 31. « *Et, farratam pueris plaudentibus offam.* — Sic edunt MMS. mei Codd. 8048, 8055, 8070, 8273 et editionum vetustissimæ. Legitur et *farratam ollam*, et *farrata offa*, et *farrata olla*, quas admiserunt variantes alii alias. Sed primo *olla* minus convenit cum *farrata* quam *offa;* tum constructio paulo foret impeditior, si admitteretur ablativus *farrata offa* pro causativo *farratam offam*, quem regit *plaudentibus*.

Not. 31. « *Et, farratam pueris plaudentibus offam.* — Scilicet visa *offa*, quam raro admodum viderit alias, *plaudit* omnis familia et admiratur. — *Farratam offam; offam* ex horreo aut *farre* factam : vilis est cibus, cui tamen apud sordidissimum dominum *pueri* non assueverint. Vertunt plerique *fartam* ex pulte; sed aliud est puls, aliud *far*. Struunt quoque *farratam offam* non cum *plaudentibus*, sed cum *sorbet;* minus vero convenienter.

Not. 32. « *Pannosam fœcem morientis sorbet aceti.* » — Observanda est Poetæ curiosa felicitas in delectu verborum. Non bibit, sed *sorbet;* non vinum, sed *acetum*, h. e. vappam aut poscam, vel etiam verum *acetum*; nam et Romani milites et alii pauperes *acetum* potabant. Sed hic deparcus *acetum* bibit *moriens*, h. e. jam deficiens et ipsa vetustate corruptum; immo ne *acetum* quidem, sed *aceti fœcem;* istam quoque *pannosam*, h. e. membranis præ vetustate jam obductam. Ista sunt, ait Casaubonus, vere Persiana, ἐμφατικώτατα.

Not. 33. *At si unctus cesses, et figas in cute solem.* — Prius erat de homine avaro; nunc de luxurioso, atque, ut vero simillimum esse probavimus, de Nerone, sed tecte et dissimulanter. Neque enim luxuriam Principis infandasque libidines nomine suo describit Poeta, vel Socratica persona indutus; sed alii dicit esse relatas, homini *ignoto*, qui forsan nimius sit. Hæc est ironiæ forma callidior. Totum hunc locum, a versu 33 ad 41, sic interpretatur Casaubonus, et quidem feliciter : « Si quis mollius cutem curare instituerit, ut qui pumice, volsellis ac psilo-

thris corpus sibi leve totum reddunt; statim de his spargi famam, quod sint impudici ac molles, et qui flore ætatis nefarie abutantur. Hoc vult istis novem versibus; sed poeta alioquin gravissimus, et verecundiæ virginalis, ut testantur de illo veteres, a moribus suis hic discessit. Sic enim alienam impudicitiam castigat, ut sermonis licentia, etsi figuris obscurati, castas aures merito offendat. » Omnium ferme fuit antiquorum ea, de qua jure queritur Casaubonus, sermonis licentia, satiricorum vero maxime; et vero satira est ingenio suo vel in omni ætate licentior. — *At si unctus cesses, et figas in cute solem;* hic nonnulli contendunt *si cesses ac si figas* in secunda posita esse pro *si quis cessaverit et fixerit* in tertia; placet vero magis hæc quoque dici in sermonando a Socratico doctore. Maxime fuit usitatum apud antiquos oleo et unguentis post laborem ac balneum inungi, tum corpus nudum *solis* radiis exponere. — *Figere in cute solem*, locutio est Persiana pro *cutem* exhibere ad *solem* diuturniore mora, ut optime colligit Casaubonus. Horat. Sat. II, 5, 38:

Pelliculam curare jube.

Marc. Tullius, ad Atticum, lib. XII, Epistol. 6: « Pro isto asso *sole*, quo tu abusus es in nostro pratulo, a te *nitidum solem unctumque* repetemus. » Appellat *unctum solem*, quo calefiebant *uncti*. Seneca, de Brevitate Vitæ: « Persequi singulos longum est, quorum aut laterunculi, aut pila, *aut excoquendi in sole corporis cura*, consumpsere vitam. » Respice ad vers. 18 hujusce satiræ.

Not. 34, 35. *Est prope te ignotus, cubito qui tangat, et acre Despuat in mores.* — *Est prope te ignotus, cubito qui tangat;* imitatio Horat. Sat. II, 5, 42:

... aliquis *cubito* stantem *prope tangens*
Inquiet.

Tangere aliquem cubito, græce ἀγκῶνι νύσσειν, admonere aliquem, in illum etiam animadvertere. Hic vero quæstio est, an illum ipsum *cubito tangat*, cujus reprehendere vitium velit, an alium quemcumque, quem attendere cupiat ad istam turpitudinem? Hunc sensum Kœnig sequitur; illum Casaubonus, et, ut opinor, jure, propter *prope te ignotus.* — *Ignotus;* nam si notus esset, non ita audacter loqueretur; vel eo quod pessima luxuriosi fama etiam ad *ignotos* pervenit. — *Et acre despuat in mores;* neutrum adjectivi *acre* pro adverbio *acriter* elegantius et vulgatissimum. *Despuat;* est abominantis, græce καταπτύειν. *In mores;* in turpissimam tuam vitam, quam cito retegit per ea quæ sequuntur. Lucian. Icaromenipp. sub finem, tom. II, p. 786 edit. Reiz. tom. II, pag. 300 edit. Benedicti: « περιέρχονται ἐπιπλάστῳ σχήματι καταπτυστὰ ἤθη περιφέροντες » (fucato habitu obambulant detestandos mores secum circumferentes.)

Not. 35, 36. *Penemque arcanaque lumbi Runcantem, populo marentes pandere vulvas.* — Solebant libidinosi pilos, quibus natura pudendas corporis partes velavit, evellere, evellebantque forcipe, pumice, ascia pice obducta. Hoc ad eos maxime pertinebat, qui deterrimis illis

vitiis laborabant, quæ fuere totius antiquitatis, atque ejus potissimum ætatis corruptissimæ, qua vixit Persius. Juvenal. II, 10 sqq.; id. VIII, 16; id. IX, 12 sqq.; Martial. II, 62; VI, 56. — *Penemque arcanaque lumbi;* partes sunt corporis pudendæ anteriores et posteriores, quibus detrahebant pilos, quasque leves sibi reddebant cinædi ac pathici. — *Runcantem;* proprie est *runcare*, herbas inutiles ex adultis segetibus manu evellere, agrum purgare. Cato, De Re Rustica, cap. 2 : « Per ferias potuisse fossas tergeri, vepres recidi, pratum purgari, spinas *runcari.* » Plinius Maj. Hist. Nat. lib. XVIII, cap. 21 : « Siliginem, far triticum, semen, hordeum occato, sarrito, *runcato*, quibus dictum erit diebus. » Translate, ut hoc loco, vellere, depilare. Convenit metaphora cum altera quæ hunc locum concludit : « *non tamen ista filix...* » — *Pandere; runcantem pandere*, quasi dixisset *runcantem ut pandas;* græca est constructio notissima. *Pandere vulvas populo;* prostare et muliebria pati. Turpissima est imago, cui vim etiam addit vox *marcentes.* Conf. Horat. Epod. VIII, 5 sqq.

Var. 37. *Tu quum maxillis balanatum gausape pectas.* — Fert editio e Regia Parisiensi Bibliotheca antiquissima (anno 1474) : *Tu quum in maxillis;* quam lectionem ad sensum clarissimam libenter recepissem, si MMS. admisissent Codices.

Not. 37. *Tu quum maxillis balanatum gausape pectas.* — Carpit hominem, quod secundum naturam nequaquam vivere velit, pilosque pudendis corporis partibus detrahat, excolat vero in genis. — *Maxillis* struit Casaubonus cum *pectas*, intelligitque de dentibus pectinis, accipitque *gausape balanatum* de capillis; sed hoc durum admodum. Aptius erit et mollius, si *gausape* barbam intelligas, et suam *maxillis* serves significationem. Proprie enim *maxilla* est os in quo infixi sunt dentes, ac vix ipsi Persio de pectine per metaphoram dici potest. H. l. *maxillæ* sunt ea pars genarum, in qua barbulam alunt delicati. Vid. Ciceron. pro Cælio, cap. 14. Hunc meum sensum tuetur editio quæ fert, *in maxillis.* — *Gausape balanatum;* proprie est *gausape* militare stragulum villosum, aut mappa villosa ad detergendas mensas; Horat. Sat. II, 8, 11. Barba est villosa quæ vestit genas, ut *gausape* corpus vestiebat; unde sic transtulit. *Balanatum; balanus* glans unguentaria, nucis avellanæ magnitudine, in Arabia, Æthiopia et Ægypto nascens, e cujus cortice suavissimi odoris oleum exprimebatur. Horat. Od. III, 29, 4 :

Pressa tuis *balanus* capillis.

Fieri potest, ut Neronem in hoc quoque tangat. Sueton. in Neron. 51 : « circa cultum habitumque adeo pudendus, ut comam semper in gradus formatam peregrinatione Achaica etiam pone verticem summiserit. »

Var. 38. *Inguinibus quare detonsus gurgulio exstat?* — Legunt quidam *detonsis* pro *detonsus*, quod edunt MMS. mei omnes et vetustissima Regiæ Bibliothecæ editio.

Not. 38. *Inguinibus quare detonsus gurgulio exstat?* — Sententiam ab-

solvit antecedenti versu inchoatam, dicitque : *quare* denudas pilis *inguina?* rem vero per metaphoram expressit satis inhonestam et ipsam. — *Gurgulio;* proprie caruncula, vel columella, quæ in extremo palato inter tonsillas dependet. *Curculionem* quoque vocant vermem frumentis inimicum; Virg. Georg. I, 185. *Gurgulio* natura sua vel sese contrahit vel extendit; unde noster per metaphoram ejus nomine designat membrum virile. — *Inguinibus;* struendum cum *exstat.* — *Detonsus;* pilis scilicet detractis. — *Exstat;* prominet dependetque. — Kœnig omnem hunc locum, de quo eruditissime disseruit, sic transtulit : « Tu qui faciem pilis adscititiis ornas, ubi natura pilos tibi negavit, cur depilas eas partes, quas natura pilis vestitas esse voluit? »

Not. 39. *Quinque palæstritæ licet hæc plantaria vellant.* — Plenus est ironiæ locus et festivitatis, quo describit hominem in extirpandis sibi pilis servos robustiores artisque suæ peritissimos exercentem, perdentemque tamen operam. — *Palæstritæ;* vulgo exercitati in *palæstra* athletæ, aut servi qui athletis in *palæstra* oleum infundebant et corpora curabant. Hoc loco dropacistæ (δροπαχισταί) tonsores, corporum curatores. — *Quinque;* ad augendam ironiæ vim; scilicet unus tanto labori foret impar. — *Plantaria;* sic pilos vocat, quibus arcanæ corporis partes consitæ sunt, ut ager *plantis.* — *Vellant;* proprium de extirpandis radicibus. — Continuant hæc verba imaginem quæ per *runcantem* inchoata est.

Not. 40 *Elixasque nates labefactent forcipe adunca.* — Producitur et corroboratur ironia, qua servos repræsentat circa *nates* hominis operantes. — *Elixasque nates;* aqua callida *nates* emollitas et quasi coctas : *elixant* barbam tonsores, quam sunt rasuri. — *Labefactent;* fatigando eruant : ductum ab arbore, quæ multis ictibus succisa tandem ad terram propellitur. Vehemens expressio, quæque convenit cum *forcipe adunca,* qua tondentes in miserum podicem armantur.

Not. 41. *Non tamen ista filix ullo mansuescit aratro.* — *Filix;* est herba sterilis, culturæ inimicissima, quæ vix exscindi potest; Virgil. Georg. II, 189; id. ibid. 297. *Filix* vera *mansuescit aratro,* teste Columella, lib. II, cap. 2 : « pernicies *filicis* frequens extirpatio est, quæ vel *aratro* fieri potest; quoniam intra biennium sæpius convulsæ moriuntur, celerius etiam. » Sed *ista filix,* i. e. pili, *nullo mansuescit aratro,* nunquam radicitus extirpantur. Sensus est sine figura; naturam vincere non poteris.

Not. 42. *Cædimus, inque vicem præbemus crura sagittis.* — Optima est nota veteris scholiastæ : « Allegoria a sagittariis, qui aliena crura *sagittis* feriunt, et sua ferienda aliis præbent; et ad superiorem sensum pertinet, quo dixit : *sed præcedenti spectatur mantica tergo.* Ita et nos vitam objurgamus aliorum, et alii nostram. » Altera forma est callida orationis, qua Neronem ironice sui admoneat. Horat. Epist. II, 2, 97 :

Cædimur, et totidem plagis consumimus hostem.

Not. 43. *Vivitur hoc pacto : sic novimus.* — *Vivitur hoc pacto;* i. e.

cædimus, inque vicem... Vituperamus alios, ac ipsi vituperamur; hæc est et erit semper vita hominum; quam si emendare velis, et auctoritate tua impedire ne de te liberius loquantur, frustra sis. — *Sic novimus;* multi transtulerunt *vivere ita didicimus*, qui sensus parum habet claritatis. Quanto erit apertior, si Casauboni secuti fuerimus explicationem, qui vertit: « hac ratione interiorem tuam vitam *novimus*, o Nero; et flagitia, quæ dissimulas et occulta putas, perspecta habemus. » Omnino similis est locutio Persiana huic Virgilianæ, Eclog. III, 8:

Novimus et qui te... transversa tuentibus hircis...

Not. 44. *Ilia subter Cæcum vulnus habes; sed lato balteus auro.* — Metaphorice pro: vitiis occultis laboras; sed ea dissimulare conaris. Eo felicior autem est metaphora, quod ad ea *vulnera* alludere videatur, quæ Nero acceperat noctu per Urbem petulantissime discursans, testibus Tacito, Annal. XIII, 25, et Suetonio, Neron. 26. Prospice inferius ad vers. 49. — *Balteus;* cingulum militare, e quo arma dependent. *Baltei* veterum *lati* vulgo erant. Virgil. Æneid. V, 312:

..., *lato* quam circumplectitur *auro*
Balteus.

Balteus lato auro duarum rerum hic symbolum est, potentiæ et divitiarum; quæ duo sunt vitiorum magna tegumenta.

Var. 45. *Prætegit. Ut mavis, da verba, et decipe nervos.* — Habet 8273 *protegit*, cæteri *prætegit*. Legit vetustissima editio *et mavis* pro *ut mavis*, et sic interpungit: *Prætegit, et mavis: da verba et decipe nervos.*

Not. 45. *Prætegit. Ut mavis, da verba, et decipe nervos, Si potes.* — *Ut mavis;* i. e. quoniam ita placet, uti libuit. — *Da verba;* imponas aliis. — *Decipe nervos;* translatum ab iis, qui nervorum infirmitate laborantes, et morbis articularibus et cæteris ab eadem causa provenientibus obnoxii, sanos tamen se fingunt, quo liberius et Baccho et Veneri serviant. — *Si potes;* quasi diceret: at tu non poteris. Omnia hæc ironice dicta sunt.

Not. 46. « *Egregium quum me vicinia dicat, Non credam?* » — Seneca, Epist. 59: « illud præcipue impedit (*quominus tantum, quantum adversus vitia discere satis sit, discamus*) quod cito nobis placemus. Si invenimus qui nos bonos viros dicat, qui prudentes, qui sanctos, agnoscimus. Nec sumus modica laudatione contenti; quidquid in nos adulatio sine pudore congessit, tanquam debitum prendimus; optimos nos esse, sapientissimos affirmantibus assentimur, quum sciamus illos sæpe mentiri. » Aliorum laudationem sibi fraudi fuisse profitetur Alcibiades apud Platonem, Sympos. XXXII, edit. Wolf. Pertinet etiam hoc ad Neronem, quem, quamdiu vitia latuere, laudabant omnes, boni etiam; mitius ipsi agebant cum pessimo suo discipulo Burrhus et Seneca, ne cito eum a se atque a virtute alienarent. Unde non sine causa ea pars a Persio addita est, qua ab alienis assentationibus ad suam ipsius con-

sciemtiam hominem revocaret. Horat. Sat. II, 5, 106:

Egregie factum laudet *victnia.*

Not. 47. *Viso si palles, improbe, nummo.* — Nunc agit minus indulgenter cum homine quem alii laudent, eumque sui vitii monet. — *Improbe;* opponitur ad *egregium* versus superioris. — *Viso si palles nummo;* h. e. si laboras avaritia. Quæ porro fuerit avaritia Neronis, et in conficiendis nummis *improbitas*, tum ex multis aliis liquet, tum e Sueton. Neron. 32. Nimis argute distinguunt commentantes prodigum fuisse Neronem, non vero avarum. Nam avarus primo idem est ac avidus; tum avarum non dixit Persius, sed *pallentem viso nummo*, præ habendi *improba* cupidine. Cf. supra. III, 109 sqq. *visa est si forte pecunia....*

Not. 48. *Si facis in penem quidquid tibi venit amarum.* — Struunt nonnulli, inter quos Kœnig, *amarum* cum *penem;* placet vero magis strui cum *quidquid* in recto casu. — *Amarum* vox ad amorem, aut miserum, aut turpem, quasi consecrata; Græce πικρὸς ἵμερος. Virgil. Eclog. lib. III, 108 sqq.

.... et quisquis amores
Aut metuet dulces, aut experietur *amaros.*

Var. 49. *Si puteal multa cautus vibice flagellas.* — Scribit MS. 8048 *vibisce* pro *vibice*, quod in usu receptum est.

Not. 49. *Si puteal multa cautus vibice flagellas.* — Multum ad hunc versum sese torquent interpretes, neque de ulla alia re consentiunt, quam de loci ejus difficultate. — *Puteal;* a puteo, proprie umbella vel petasus, qua puteus operitur. *Putealia* duo Romæ videntur fuisse: Alterum Attii Nævii, in comitio; cujus meminit Cicero, de Divinatione, I, 17; conf. Liv. I, 36; alterum Scribonii Libonis, in porticu Julia, ad arcum Fabianum. Vid. Festum, de Verb. significatione, pag. 487, edit. Dacier. Ejus figuram præbet nummus apud Patin. de Famil. Rom. pag. 249. Quum ad hoc *puteal* congregari solerent, qui pecunias occupabant, vel sub usuris sumebant, pro negotiis fœneratoriis usurpari cœptum est. Horat. Epist. I, 19, 8 sqq.:

...Forum *putealque* Libonis
Mandabo siccis.

Id. Sat. II, 6, 35:

Roscius orabat sibi adesses ad *puteal* cras.

Ovid. Remedia Amor. 561:

Qui *puteal*, Janumque timet celeresque calendas.

Cicer. pro Sextio, 8: « ..... *puteali* ac fœneratorum gregibus infestatus atque percussus. » Unde prior sensus oritur, quem Cornutus, Britannicus, aliique sequuntur: si debitoribus gravis es et molestus, dum usuram exigis, si eos repetitis cædis ictibus. Quam explicationem ferme refert Badius Ascensius, qui *puteal* fœneratores et usurarios esse putat, et *multa vibice flagellas* pro gravi damno afficere positum arbitratur. His Kœnig assentit, clarius aliquid desperans, et Casaubonus in priore

notæ parte eamdem hanc interpretationem his confirmat : « *Flagellare puteal ἰμφαντικῶς* dictum pro frequenter forum adire, et in turba forensi assidue versari. *Flagellare* est arctare, premere : ut apud Martialem lib. II,

Et libertinas arca *flagellat* opes.

Scilicet arca pecunias ægre infertas continet... sed addit Persius *multa vibice*, ad majorem declarationem improbitatis, quam hic alienarum opum insidiator adhibebat. Adde quod ubi est turba hominum aliorum in alios incidentium, ibi rixa est, ibi verbera et *vibices*. *Cautus* artis verbum est ; proprium enim fori peritis et pragmaticis *cavere*. » At Salmasius versum hunc longe curiosius explicuit. Dicit enim de more fieri, ut qui frequenter ad locum aliquem conveniant, ibique diu desideant, per otium sæpe, dum aliud agunt et loquuntur, vel stilo parietem conscribillent, vel unguibus deradant, vel aliquid nugarum faciant ; hinc lepide dictum esse et *ἰμφαντικῶς* de fœneratore, qui totum diem ad *puteal* consisteret, expectans cui pecuniam credere posset. Exquisitissima ea est interpretatio atque e rebus levissimis petita, quæ parum loci ejus gravitati respondeant.

Ego hæc, *Si puteal multa cautus vibice flagellas*, neque de forensi multitudine, neque de fœneratorum sævitiis, neque de viventium in foro desidiosis occupationibus dicta esse crediderim. Non est Persii expressam antea sententiam jamque omissam repetere, ac rursus aliis verbis explicare ; et qui avaritiam per hæc tetigit *viso si palles improbe nummo*, non iterum, atque alia interjecta sententia, per hæc exagitavit : *si puteal multa*, etc. Præterea, si proprie in Neronem scripta omnis ferme satira est, fatendum est Principem non usuris, neque fœnori unquam operam dedisse, qui raperet vi ac ferro, quæcumque vellet habere. Itaque longe aliam ejus loci explicationem prætulerim, quam primus omnium petierit ex historicis Casaubonus, quam tamen ille non satis puram sinceramque retulit, cui admiscuerit aliena. Audiamus parumper historicos. Tacit. Annal. XIII, 25 : « Q. Volusio, P. Scipione Coss., otium foris, fœda domi lascivia, qua Nero itinera urbis, et lupanaria, et diverticula, veste servili in dissimulationem sui compositus, pererrabat, comitantibus qui raperent venditioni exposita, et obviis vulnera inferrent, adversis ignarus adeo, ut ipse quoque exciperet ictus et ore præferret.... Nero.... metuentior in posterum, milites sibi et plerosque gladiatores circumdedit, qui rixarum initia modica et quasi privata sinerent : si a læsis validius ageretur, arma inferrent.... » Similia narrant, et Dio Cassius, locis ante citatis de Nerone, et Plin. Major. Hist. Nat. XIII, sect. 43 ; narrat eadem Suetonius, Ner. 26 : « Petulantiam, libidinem, luxuriam, avaritiam, crudelitatem sensim quidem primo et occulte, velut juvenili errore, exercuit ; sed ut tunc quoque dubium nemini foret, naturæ illa vitia, non ætatis esse. Post crepusculum statim, arrepto pileo vel galero, popinas inibat ; circumque vicos vagabatur ludibundus, nec sine pernicie tamen ; si quidem redeuntes a cœna verberare, ac repugnantes vulnerare cloacisque demergere assueverat :

tabernulas etiam effringere et expilare : quintana domi constituta, ubi partæ et ad licitationem dividendæ prædæ pretium assumeretur. Ac sæpe in ejusmodi rixis oculorum et vitæ periculum adiit, a quodam laticlavio, cujus uxorem attrectaverat, prope ad necem cæsus. Quare nunquam postea se publico illud horæ sine tribunis commisit, procul et occulte sequentibus.... » Hæc sunt quæ totam satiram illustrant, atque hunc imprimis locum faciunt, mea sententia, apertissimum. — *Puteal;* est et *puteal* ipsum, et circumstantia loca vel tecta, tabernulæ et vendentium umbellæ, quæ Neroni ejusque satellitibus effringebantur et expilabantur. — *Multa vibice flagellas;* discursus designat et impetus Neronis, et vulnera, quibus transeuntes appetebant cædebantque, aut venditioni exposita ruebant. — *Cautus;* respicit quum ad vestem servilem, pileumque, aut galerum, quibus Nero in dissimulationem sui sese componeret, tum ad comitantes milites ac tribunos quibus ille metuentior sese circumdedit. Explodatur ea iis interpretatio, qui Neronem hoc loco tangi a Persio negant; mihi peropportuna et vero simillima videtur.

Not. 50. *Nequicquam populo bibulas donaveris aures.* — Periodi apodosis, cujus fuit protasis : *viso si palles*, etc.... *si facis in penem*, etc... *si puteal*, etc. Quoniam, inquit, tam multis vitiis laboras, non est quod *populi* laudationes pronis *auribus* accipias. Vanæ sunt laudes, quibus indigni sumus. — *Bibulas donaveris aures;* locutio est huic vicina : *auribus* combibere, quæ sæpius apud auctores recurrit. Horat. Od. II, 13, 32 :

Densum humeris *bibit aure* vulgus.

Var. 51. *Respue quod non es; tollat sua munera cerdo.* — Ferunt quidam MMS. Codd. *respice quod non es;* sicque legit editio vetus et Aldina. Sed *respue* quod edunt mei Codd. magis convenit cum *tollat sua munera cerdo*, et plus habet virium.

Not. 51. *Respue quod non es; tollat sua munera cerdo.* — *Respue;* dedigneris. — *Quod non es;* quæ tibi falso tribuuntur : sed quanto fortior locutio Persiana ! — *Tollat sua munera cerdo; cerdo* est proprie lixa, aut e plebecula vilissimus quisque artifex, lucri causa locans operam. Notum autem est Neronem (necnon Alcibiadem), per totam vitam, ac vel principatus initio, apud *cerdones* atque plebeculam fuisse gratissimum. Istorum enim benevolentiam largitionibus, spectaculis et ludis omnimodis captabat. Illi in vicem *munera sua* Principi offerebant, laudem scilicet, ac plausus, et adulationes; quæ *respuat* Nero, poeta hortatur : abeant, inquit, cum suis *muneribus* calones.

Var. 52. *Tecum habita, et noris, quam sit tibi curta supellex.* — Sic edunt MMS. mei Codd. Ferunt alii : *Tecum habita, ut noris*, quæ constructio minus est elegans. Multi legunt editores : *Tecum habita : noris quam sit tibi curta supellex*, ut vel *et* omnino sublatis.

Not. 52. *Tecum habita, et noris, quam sit tibi curta supellex.* — *Tecum habita;* sic dixit superius, satira prima, vers. 7 : *nec te quæsiveris*

extra. Senec. Epistol. 80 : « Si perpendere te voles, sepone pecuniam, domum, dignitatem ; *te* ipse consule. » Augustin. in Epistol. : « *habitare* apud mentem suam. » Græcorum ea locutio est, qui dicunt οἰκεῖν παρ' ἑαυτῷ, οἰκεῖν ἑαυτόν, etc. — *Et noris;* stoicæ philosophiæ atque omnis philosophiæ est *nosce te ipsum*. — *Quam sit tibi curta supellex;* i. e. quam sis præsidiis omnibus ad bene vivendum destitutus. Sic in lib. de Amicit., dixit Cicero : « Amicos parare, optimam et pulcherrimam vitæ *supellectilem*. »

SATIRÆ QUINTÆ

ARGUMENTUM.

Liberum esse quid sit, vulgus hominum parum intelligit: nihil aliud enim plerique vident præter jus civitatis conditionemque servorum; libertatem animi, qualis esse debeat, nequaquam attendentes. At vero libertas in eo demum posita est, si cupiditatum jugo mens exsolvatur, si sese ipsa possideat et ratione moderetur. Communis hæc fuit omnium ferme philosophorum doctrina; præcipua tamen Stoïcorum. Stoïci nempe rationis illud imperium summum atque universum esse voluerunt, ita ut non in magnis modo, verum etiam in minimis vitæ actibus, sive animi sint, sive corporis, exerceatur.

Persius igitur, stoïcismi sui apud populum interpres, Romanos aliud agentes admonere nititur veræ libertatis. Sed priusquam disputationem ipsam ingrediatur, Cornuto philosopho, a quo sapientiam suam acceperat, qui se susceperat adolescentulum, et quocum vixit honestissima familiaritate conjunctus, grates laudesque persolvit amplissimas. Sic præludit sermoni, quo doctrinam suam cum civibus communicare velit.

SATIRÆ QUINTÆ

ANALYSIS.

Priori parte operis, Cornuto, præceptori suo, gratum animum significat per hancce dialogi formam laudatoriam simul atque satiricam: centum ora, centumque linguas nostri poetæ sibi exoptare solent.... 1, 4. — Quid hoc ad te, Persi? hæc a Cornuto objici putes; num tu quid simile istorum ope-

ribus paras? nòli quidquam aggredi turgidum et inani tumens verborum apparatu; modestiora canas, perge mores describere hominum, quo in genere non es inficetus; ampullasque ac nebulas relinque ineptis, 5, 18. — Non equidem, reponit Persius, huic studeo vanitati; tibi animum hunc ostendere velim, quam gratus sit, quam tui amans! his ego proferendis sensibus centum exoptarem esse mihi voces, 19, 29. — Tum revocat, quo se patrio amore complexus fuerit Cornutus, quibus erudierit præceptis, 30, 40. — Familiaritatis quoque meminit, quæ sibi fuerit cum magistro, communisque amborum vitæ, quæ communi sidere duci videatur, 41, 51. — Inde respicit ad cæterorum hominum vitas, qui vel fortunæ bonis, vel corporis voluptatibus mancipantur, 52, 61. — Quorum studiis opponit studia sapientiæ, quæ profiteatur Cornutus, et quibus ipse sese dediderit; hoc idem sibi provideant juvenes, sublata voce hortatur, 62, 72. — Per hoc felicissimum ac paulo fusius procœmium, pervenit ad ipsum sermonis hujus argumentum, depromptum e stoïcorum scholis: *neminem nisi sapientem esse liberum, insipientes omnes servos esse.* Ac primum confutat eorum errorem, qui nesciant veram libertatem, qui libertatem ponant in jure civitatis, in potestate agendi prout libuerit, salva modo legum reverentia, 73, 90. — Quæ porro est vera libertas? Docet eorum demum esse, qui sciant instituere vitæ rationem, et modum imponere votis, et simplici cultu vivere, et parcos esse, neque rursus avaros; uno verbo, docet libertatem unius esse sapientis, 91, 112. — At vero ea est sapientia, quæ moderetur omnino omnes vitæ actus, neque ulla in re vel minima delinquere nos patiatur; (perfectum nempe sapientem suum stoïci esse volebant) 113, 124. — Jam vero, principiis ita constitutis, quid consequatur facile deducit, alteramque partem ingressus disputationis, insipientes cupiditatibusque mancipatos homines non minus duræ arguit servitutis, quam qui servi dicuntur, 125, 131. — Tum recenset varia genera servitutis, h. e. varias quibus inservimus cupiditates: 1°. Avaritiam, quæ per itinera et labores lucrum jubet faciamus, 132, 142. — 2°. Luxuriam, quæ in otio degamus adhortatur, 142, 153. — 3°. Amorem, cui ut semel resista-

mus, non ideo toti sumus nostri juris ac vere liberi; quod probat per lepidissimum amantis exemplum cum amica litigantis, 154, 175. — 4°. Ambitionem, quæ captat inania, 176, 179. — 5°. Superstitionem, quæ vanis agitatur terroribus turpissimoque sese jugo submittit, 179, 188. — Finem facit disputationi suæ poeta, reputans se hæc agere apud crassos milites, qui quod honestissimum sit in Græcorum philosophia risu inepto excipiant, 189, 191.

SATIRA QUINTA.

VATIBUS hic mos est, centum sibi poscere voces,
Centum ora, et linguas optare in carmina centum;
Fabula seu mœsto ponatur hianda tragœdo,
Vulnera seu Parthi ducentis ab inguine ferrum.
— Quorsum hæc? aut quantas robusti carminis offas
Ingeris, ut par sit centeno gutture niti?
Grande locuturi nebulas Helicone legunto,
Si quibus aut Procnes, aut si quibus olla Thyestæ
Fervebit, sæpe insulso cœnanda Glyconi.
Tu neque anhelanti, coquitur dum massa camino,
Folle premis ventos; nec, clauso murmure raucus,
Nescio quid tecum grave cornicaris inepte;

SATIRÆ QUINTÆ INTERPRETATIO.

PERSIUS. Vatibus ea est solemnis consuetudo centum exoptare sibi voces, centum efflagitare ora totidemque linguas ad versus expromendos; sive tragœdiam parent, quam declamet hiatu magno actor ad mœstitiam compositus, sive opus intendant heroïcum, in quo militis barbari vulnera describantur telum ab inguine retrahentis. — CORNUTUS. Quorsum ista, Persi, aut quid novi meditaris? quæ tantæ sunt pinguissimi carminis offæ, quas tu ingerere paras, ut necesse sit centum faucibus enitaris? Crede mihi: Helicona, ubi captent nebulas, iis permitte, qui grandia moliuntur, si quando subjiciant ignem ollæ Thyestis, aut Procnes ollæ ferventi, quæ sæpius in theatro apponatur inepto Glyconi devoranda. Tu vero, Persi, neque folles anhelitu imitaris, qui, dum igne massa concoquitur in camino, ventos premunt obstrepentes; neque ineptum quid et grave tecum

Nec stloppo tumidas intendis rumpere buccas.
Verba togæ sequeris, junctura callidus acri,
Ore teres modico, pallentes radere mores
Doctus, et ingenuo culpam defigere ludo:
Hinc trahe quæ dicas, mensamque relinque Mycenis
Cum capite et pedibus, plebeiaque prandia noris.
— Non equidem hoc studeo, bullatis ut mihi nugis
Pagina turgescat, dare pondus idonea fumo.
Secreti loquimur: tibi nunc, hortante Camena,
Excutienda damus præcordia, quantaque nostræ
Pars tua sit, Cornute, animæ, tibi, dulcis amice,
Ostendisse juvat. Pulsa, dignoscere cautus
Quid solidum crepet, et pictæ tectoria linguæ.
His ego centenas ausim deposcere voces,
Ut, quantum mihi te sinuoso in pectore fixi,
Voce traham pura, totumque hoc verba resignent,

volutans, fracto conclusæ vocis sonitu cornicem raucam æmularis; nec denique buccas inflaris tumentes, unde fragor erumpat inanis. Sermone latino contentus, verba calles acri judicio componere, et servare modum, et os diducere decenter; pravos edoctus pallenti improbo refricare mores et vitium innocuis transfigere joci telis. Ex hac igitur arte tua sumas dicendi materiam, suumque Mycenis relinque convivium infandum, et caput, et pedes puero ablatos, potiusque sequaris epulas, quæ sint hujus plebis. — Pers. Non equidem in hoc laboro, ut tumidis inflem nugis paginas, in quibus momentum detur inanibus, et, ut aiunt, pondus levi fumo. Mi Cornute, in secreto confabulamur, hortaturque musa tibi cor explicem vel intimum; tibi nunc, dulcis amice, ostendisse placet, quam bona sim animi parte tuus! O qui dignoscendi peritus es quo se probet sono vas integrum, et quibus sese pingat involucris mendax lingua hominum, hunc animum explora. Hæc, hæc sunt, Cornute, mihi cur ego centum ausim exoptare linguas, nempe ut totum sincerumque voce traham tui amorem cordi

Quod latet arcana non enarrabile fibra.
Quum primum pavido custos mihi purpura cessit,
Bullaque succinctis laribus donata pependit;
Qnum blandi comites, totaque impune Subura
Permisit sparsisse oculos jam candidus umbo;
Quumque iter ambiguum est, et vitæ nescius error
Diducit trepidas ramosa in compita mentes:
Me tibi supposui. Teneros tu suscipis annos
Socratico, Cornute, sinu. Tunc fallere solers
Apposita intortos extendit regula mores,
Et premitur ratione animus, vincique laborat,
Artificemque tuo ducit sub pollice vultum.
Tecum etenim longos memini consumere soles,
Et tecum primas epulis decerpere noctes.
Unum opus, et requiem pariter disponimus ambo,

meo penitus infixum, ac verbis eloqui possim quidquid in intimis latet animi recessibus nunquam satis enarrandum.

30. Ubi primum prætextam, pueritiæ quasi custodem, non sine pavore deposui, bullamque Laribus de more succinctis donavi et appendi; ubi comites adfuere magis indulgentes, sumptusque umbo, qualis esse solet tironum, jus dedit per vetitum antea Suburæ vicum impune huc illud evagandi; ea ætate qua de itinere ingrediendo juvenes ambigunt vitæ ignari et errabundi, mentemque dividit incertis via scissa in ambas; tunc ego me tibi vitæ magistro summisi, Cornute: tu vero teneram juventutem suscepisti et in Socraticæ fovisti philosophiæ gremio; tunc apposita animo meo regula, quæ perversum ætatis sensum callide falleret, pravos in melius corrigit mores, domitusque ratione animus laborat ut ipse vincatur, ducitque ab artificio speciem, te fingente ac velut argillam informante digitis. Namque memini me confabulando tecum totos traducere dies, et epulando demere partem de primis noctibus. Idem studiis tempus, idem quieti datur; et serias res mensa relaxamus eadem, hilari et verecunda simul. Noli du-

Atque verecunda laxamus seria mensa.
Non equidem hoc dubites, amborum fœdere certo
Consentire dies, et ab uno sidere duci.
Nostra vel æquali suspendit tempora Libra
Parca tenax veri; seu nata fidelibus hora
Dividit in Geminos concordia fata duorum,
Saturnumque gravem nostro Jove frangimus una:
Nescio quod, certe est, quod me tibi temperat, astrum.
Mille hominum species, et rerum discolor usus:
Velle suum cuique est, nec voto vivitur uno.
Mercibus hic Italis mutat sub sole recenti
Rugosum piper et pallentis grana cumini;
Hic satur irriguo mavult turgescere somno;
Hic campo indulget; hunc alea decoquit; ille
In Venerem est putris: sed quum lapidosa chiragra
Fregerit articulos, veteris ramalia fagi,
Tum crassos transisse dies, lucemque palustrem,

bitare igitur, quin nostra utriusque vita consentiat et ab uno sidere gubernetur. Ita est, mi Cornute, nostrum utriusque ævum vel æquis suspendit Libræ lancibus Parca veritatis amans et tenax; vel hora qua fideles amici nascuntur, commune utriusque fatum duci voluit stella Gemellorum, infaustumque Saturni sidus placido sidere Jovis, quod nostrum est, una superamus: est aliquod astrum, quodnam sit nescio, est certe aliquod, quod meam cum tua consociet vitam.

52. Studiis homines inter se differunt omnes et rebus varium in morem utuntur: habet voluntatem quisque suam, neque uno voto omnes vitam instituunt. Hic mercaturam exercet, Italisque mercibus in locum datis, scabiosum piper cuminumque pallorem ingenerans sub sole contrahit orientali; hic cibo repletus, per somnum irrigantem artus mavult pinguescere; hic indulget campi Martii ludis; hunc destruit alea; ille nimio voluptatum usu fit putris ad rem veneream: verum ubi perrupit calculis podagra membrorum articulos arescentium

Et sibi, jam seri, vitam ingemuere relictam.
At te nocturnis juvat impallescere chartis.
Cultor enim juvenum purgatas inseris aures
Fruge Cleanthea. Petite hinc, juvenesque, senesque,
Finem animo certum, miserisque viatica canis.
— Cras hoc fiet.—Idem cras fiet.—Quid, quasi magnum?
Nempe diem donas. — Sed, quum lux altera venit,
Jam cras hesternum consumpsimus. Ecce aliud cras
Egerit hos annos, et semper paulum erit ultra.
Nam, quamvis prope te, quamvis temone sub uno
Vertentem sese, frustra sectabere canthum,
Quum rota posterior curras et in axe secundo.
Libertate opus est: non hac, quam ut quisque Velina
Publius emeruit, scabiosum tesserula far

ut veteris fagi ramalia, jam queruntur, sed serius, se transegisse dies in crassis tenebris atque in cœno libidinum, jam dolent nihil esse sibi reliquum vitæ, præter ærumnosam senectutem.

Te vero, Cornute, libris juvat impallescere noctu evolvendis. Namque vivendi præceptor et magister, purgatis juvenum auribus sapientiæ Cleantheæ præcepta veluti semina inseris. Ex hac schola petite omnes, sive juvenes sitis, sive senes, certum statutumque animis vitæ finem et viatica quæ vos in misera senectute consolentur. — Cras faciam, inquiet aliquis. — Cras idem quam hodie facies. — Quid tandem est, quod quasi magnum mihi donas? nempe diem unam. — Verum ubi dies illuxerit postera, cras tuum illud, heri factum, jam perierit, atque aliud ex alio cras consumpserit hoc ævi tempus, neque unquam ipsum erit omnino præsens, neque unquam illud occupabis, rotæ similis currus posteriori et in axe secundo volventi, quæ, quamvis propior sit et ejusdem temonis, nunquam tamen antecedentem continget rotam.

73. Libertas homini necessaria est: non ea vero libertas per quam servus aliquis, ubi Velina lege Publii nomen civitatem-

Possidet. Heu steriles veri, quibus una Quiritem
Vertigo facit! hic Dama est non tressis agaso,
Vappa, et lippus, et in tenui farragine mendax:
Verterit hunc dominus; momento turbinis exit
Marcus Dama. Papæ! Marco spondente, recusas
Credere tu nummos? Marco sub judice palles?
Marcus dixit, ita est: assigna, Marce, tabellas.
Hæc mera libertas: hanc nobis pilea donant!
— An quisquam est alius liber, nisi ducere vitam
Cui licet ut voluit? licet ut volo vivere; non sim
Liberior Bruto? — Mendose colligis, inquit
Stoicus hic, aurem mordaci lotus aceto.
Hoc reliquum accipio: *licet* illud et *ut volo* tolle.
— Vindicta postquam meus a prætore recessi,

que adeptus est, exhibita tesserula sua, vilem frumenti portionem accipit. O veritatis ignaros, qui una apud Prætorem circumactione hominem e servo liberum ac Romanum factum putetis! Iste quem vides Dama est ductor asinorum, servus non tribus assibus æstimandus, nebulo, nequam, vel in tenui jumentorum pabulo fraudulentus: hunc tamen circumegerit dominus manumittens; ex illa protinus circumactione fit Marcus Dama. Papæ! vir certe honoratissimus. Tu-ne deinde recusabis pecuniam postulanti cuilibet credere, si pro eo Marcus spondeat? Tu, si tibi Marcus sedeat judex, quidquam reformides? Si quid Marcus verum esse affirmet, non statim credas, non dicas: testis esse velis, Marce, nomenque adscribere tabulis? Scilicet hæc sunt jura libertatis; hæc vera libertas, quam servis dat pileus. — At enim, ait libertinus, si cui liceat vivere ut voluit, nonne is est vere liber, num alius esse potest? Licuit porro mihi vivere ut volui: quo pacto igitur non sim liberior vel Bruto? — Mendosa tua ratiocinatio est, refert stoïcus noster, cui purgatæ aures aceto nihil non clare dijudicant. Cætera quidem hæc admitto; tuum vero *licet ut volo vivere* nequaquam recipi potest. — Quid ita? postquam vindicta

Cur mihi non liceat jussit quodcumque voluntas,
Excepto, si quid Masuri rubrica vetavit?
— Disce; sed ira cadat naso rugosaque sanna,
Dum veteres avias tibi de pulmone revello.
Non prætoris erat stultis dare tenuia rerum
Officia, atque usum rapidæ permittere vitæ.
Sambucam citius caloni aptaveris alto.
Stat contra ratio, et secretam gannit in aurem,
Ne liceat facere id, quod quis vitiabit agendo.
Publica lex hominum naturaque continet hoc fas,
Ut teneat vetitos inscitia debilis actus.
Diluis helleborum, certo compescere puncto
Nescius examen : vetat hoc natura medendi.
Navem si poscat sibi peronatus arator
Luciferi rudis, exclamet Melicerta perisse

prætoris liber atque mei juris factus recessi, cur mihi non liceat facere quodcumque suaserit voluntas, exceptis modo, quæ vetant inscriptæ minio leges, quas Masurius commentatur? — Disce igitur, liberum esse quid sit; sed stomachari nolis et nasum crispare sanna, dum tibi opiniones falsas et aniles ex hoc tumido pectore conor evellere.

94. Non fuit prætoris insipienti dare sapientiam, quæ subtilia discernat in rebus officia, neque inepto permittere vitæ brevioris usum : delicatas sambucæ fides citius accommodaveris crasso caloni! Ipsa enim ratio repugnat tacitoque ad aures latratu admonet, ne cuiquam facere id liceat, quod male faciendo corrumpat. Hoc denique hominum omnium simul et naturæ legibus constitutum sancitumque est, ut nullius rei capax inscitia pro vetitis atque sibi interdictis habeat actus quoscumque nesciat. Diluis-ne helleborum ægrotanti, quum nihil didiceris, quo stateræ puncto modum statuere deceat? minime; vetat hoc ratio medicinæ artis. Finge navem sibi poscat regendam crudis peronibus calceatus agricola, siderum atque etiam Luciferi rudis : continuo exclamet deus maris Me-

Frontem de rebus. Tibi recto vivere talo
Ars dedit? et veri speciem dignoscere calles,
Ne qua subærato mendosum tinniat auro?
Quæque sequenda forent, quæque evitanda vicissim,
Illa prius creta, mox hæc carbone notasti?
Es modicus voti? presso lare? dulcis amicis?
Jam nunc adstringas, jam nunc granaria laxes;
Inque luto fixum possis transcendere nummum,
Nec glutto sorbere salivam Mercurialem?
Hæc mea sunt, teneo, quum vere dixeris, esto
Liberque ac sapiens, prætoribus ac Jove dextro.
Sin tu, quum fueris nostræ paulo ante farinæ,
Pelliculam veterem retines, et, fronte politus,
Astutam vapido servas sub pectore vulpem;
Quæ dederam supra repeto, funemque reduco.

licerta, nullum jam esse in rebus pudorem. An vero, Marce Dama, aut quicumque hæc objicis, an doctrina tibi dedit, ut posses vitam recto pede instituere? An veri falsam imaginem dignoscendi peritus es, ne qua forsitan species, ære sub auro latente, tinnitum edat mendosum? numquid recognosti quæ sequenda forent, quæque rursus evitanda, notastique albo priora, posteriora nigro, quo melius discernas? Esne modestus in votis, frugali domo, benignus amicis; ut modo frumentum et opes liberalius impertias, modo recondas et asserves; ut defixum in luto nummum transeundo recolligere non digneris, nec denique sis ita lucri avidus, ut salivam, quod aiunt, deglutias Mercurialem. Si vere affirmare potes: hæc mea sunt omnia atque mihi habeo, jam liber es, jam sapiens: satis tibi favent prætor et Jupiter liberatores.

115. Sin vero priorem animum nondum exuisti, qui paulo ante fueras servus et insipiens æque ac nos homunculi sumus; si pellem adhuc veterem retines, si specie decorus, pectore vero introrsum corrupto, servas vulpeculæ artes, jam repeto quam supra dederam sapientiam ac libertatem, jam tibi premo

Nil tibi concessit ratio: digitum exere, peccas;
Et quid tam parvum est? sed nullo thure litabis,
Hæreat in stultis brevis ut semuncia recti.
Hæc miscere nefas: nec, quum sis cætera fossor,
Tres tantum ad numeros satyri moveare Bathylli.
Liber ego: unde datum hoc sumis, tot subdite rebus?
An dominum ignoras, nisi quem vindicta relaxat?
I, puer, et strigiles Crispini ad balnea defer.
Si increpuit: cessas, nugator! servitium acre
Te nihil impellit; nec quidquam extrinsecus intrat,
Quod nervos agitet. Sed si intus, et in jecore ægro
Nascantur domini; qui tu impunitior exis,
Atque hic quem ad strigiles scutica et metus egit herilis?
Mane piger stertis: Surge, inquit Avaritia! eia,

habenas. Scilicet ea vera demum ratio est, quæ nihil omnino tibi concedat inconsultum: si vel digitum inepte moveas, nocens es; qua culpa quænam est levior? nullis tamen suppliciis obtineas, vel minimam sibi habeant sapientiæ portiunculam qui insaniunt. Sapientiam inter et insaniam consortium nullum; neque magis vel in minima re sapiens esse possis, cætera omnia insanus, quam, quum sis alioqui rusticus, duos aut tres eorum exsequaris numeros, quos saltat ille Bathyllus satyrorum æmulator. Liber ego sum, ais: unde tibi hoc arrogas, qui tam multis rebus serviens sis? An præter dominum a quo te virga vindicat prætoris, nullum alium novisti? Equidem, dicat iste dominus: I, puer, et ad balneum Crispini defer meas strigiles; idem sic increpitet: cunctaris, nugator! nihil jam te movent istæ voces, nihil te dura corporis servitus; neque quidquam ab externo times, quod tibi nervos exagitet. Si vero intus et in ægrotante animo domini innascantur, num tu minori pœnæ obnoxius es, quam iste servus, quem ad ferendas in balnea strigiles herus agit scuticæ metu? *Cogita porro quam multi tibi interni domini sint!*

132. Mane dormis in lectulo deses; ecce inclamat Avaritia: Surgas, eia age, surgas. Tu renuis; at illa instans: surgas.

Surge. Negas; instat: Surge, inquit.—Non queo.—Surge.
—Et quid agam?—Rogitas! saperdas advehe Ponto,
Castoreum, stuppas, ebenum, thus, lubrica Coa;
Tolle recens primus piper e sitiente camelo;
Verte aliquid, jura.—Sed Jupiter audiet.—Eheu!
Baro, regustatum digito terebrare salinum
Contentus perages, si vivere cum Jove tendis.
Jam pueris pellem succinctus et œnophorum aptas;
Ocius ad navem: nihil obstat, quin trabe vasta
Ægæum rapias, nisi solers Luxuria ante
Seductum moneat: Quo deinde, insane, ruis? quo?
Quid tibi vis? calido sub pectore mascula bilis
Intumuit, quam non extinxerit urna cicutæ?
Tun' mare transilias? tibi torta cannabe fulto,
Cœna sit in transtro; Veientanumque rubellum
Exhalet, vapida læsum pice, sessilis obba?

—Non valeo.—Surgas.—Et quid tandem agam?—Rogas! huc transporta saperdam e Ponto, castoreaque, stuppasque lini, ebenumque, thusque et mollia vina Coï; ante alios rapias novum piper e dorso cameli sitientis; fac denique mercaturam aliquam; jurejurando affirma....—Verum audiet fidei ultor Jupiter.—O durum stolidumque hominis caput! si Jovi amicus vivere vis, satis erit tibi vitam omnem per inopiam degere, ut jam millies exploratum salinum digito terebraturus videaris. Ergo accingeris, jamque servorum cervicibus segestrium vinariaque vasa accommodas, jam properas ad navem; nihilque obstat quominus in longa navi Ægeum curras mare, nisi forte prius callida seductum monuerit Luxuria: Quo tandem, quo, malesane, ruis? quid paras? quæ bilis animosior tibi fervido in pectore intumuit, quam non represserit tota urna cicutæ? tu maria transcendes? tibi cœna erit in transtris, male fulto duris rudentibus? tibi vilis obba, ipsa mole sedens, vinum exhalabit Veientanum quoddam prave rubens atque etiam corruptum pice? quod tantum ob pretium?

Quid petis? ut nummi, quos hic quincunce modesto
Nutrieras, pergant avidos sudare deunces?
Indulge genio; carpamus dulcia; nostrum est
Quod vivis; cinis, et manes, et fabula fies.
Vive memor leti; fugit hora; hoc, quod loquor, inde est.
En quid agis? duplici in diversum scinderis hamo:
Hunccine, an hunc sequeris? subeas alternus oportet
Ancipiti obsequio dominos, alternus oberres.
Nec tu, quum obstiteris semel, instantique negaris
Parere imperio, rupi jam vincula dicas.
Nam et luctata canis nodum abripit: attamen illi,
Quum fugit, a collo trahitur pars longa catenæ.
Dave, cito, hoc credas jubeo, finire dolores
Præteritos meditor (crudum Chærestratus unguem
Arrodens ait hæc). An siccis dedecus obstem
Cognatis? an rem patriam rumore sinistro

Ut nummi, quos alueras in urbe quincunce honesto, multo sudore tibi aliquando conficiant deunces avaros. Crede mihi, genio indulge; carpe gaudia; nostrum est munus, quod vitam vivis; jamjam cinis eris, manes, fabula; vive mortem cogitans; tempus abit, jamque abiit quo confabulamur.

154. Quid tu ad hæc Avaritiæ Luxuriæque verba? scinderis in contrarium, duplici te distrahente hamo. Hunccine sequeris, an hunc? Utrumque subeas oportet, alternis servitii vicibus; dominis oportet pareas alternis, mancipium anceps.

157. Atque, ut semel obstiteris durumque semel detrectaveris imperium, non ideo te liberum esse et vincula rupisse jactites. Nam et ipsa canis interdum quo tenebatur nodum eluctando rumpit; verumtamen illi vel fugienti adhæret, trahiturque a collo pars longa catenæ. *Audi parumper amantem apud Menandrum.* Sic agit cum servo Chærestratus furens ad vivumque sibi arrodens ungues: Dave, nihil moror; sic te ratum esse volo, Dave; præteritis doloribus finem imponere jam mihi destinatum est. Egone honestis parentibus oppro-

Limen ad obscœnum frangam, dum Chrysidis udas
Ebrius ante fores exstincta cum face canto?
—Euge, puer, sapias: dis depellentibus agnam
Percute.—Sed, censen', plorabit, Dave, relicta?
—Nugaris: solea, puer, objurgabere rubra.
Ne trepidare velis, atque arctos rodere casses.
Nunc ferus et violens: at, si vocet, haud mora, dicas,
Quidnam igitur faciam? ne nunc, quum accersor et ultro
Supplicat, accedam? si totus et integer illinc
Exieras, nec nunc. Hic, hic, quem quærimus, hic est;
Non in festuca, lictor quam jactat ineptus.
Jus habet ille sui palpo, quem ducit hiantem
Cretata Ambitio? Vigila, et cicer ingere large
Rixanti populo, nostra ut Floralia possint

brium objiciar? Patrimoniumne ad obscœnam domum teram, male audiens in urbe insuper, dum sic ante Chrysidis fores, vino et unguentis humidas, ebrius exstincto funali canto? — Macte animo, puer, reponit Davus; sapiens aliquando sis, agnamque diis averruncis immola. — Sed, quæso, Dave, lacrymabiturne, ubi se sentiet relictam? — Abi hinc cum nugis, puer. Revises, et illa sandalio rubro te castigabit. Noli igitur trepidare captusque stringentes arrodere laqueos. Nunc violentus es atque ferocior; verum ubi vocaverit, continuo dices: ecquid agam? ne nunc quidem accessero, quum arcessor, quum ipsa ultro suppliciis revocat. Si totam integramque mentem ab ista servitute recepisses, ne nunc accederes quidem. Recte Davus; en, en illa nempe, quam quærimus, libertas; non quam lictor ineptus donavit, dum prætoris vindictam jactitat.

176. Num sui juris est iste plebis adulator, quem trahit inhiantem honoribus candidata Ambitio? Evigila, Ambitio inquit, legumenque largius immitte altercanti populo, ut nostram in edendis ludis Floralibus munificentiam senes olim ad solem apricum ambulantes commemorare queant..... Præcla-

Aprici meminisse senes.... Quid pulchrius? At quum
Herodis venere dies, unctaque fenestra
Dispositæ pinguem nebulam vomuere lucernæ,
Portantes violas, rubrumque amplexa catinum
Cauda natat thynni, tumet alba fidelia vino;
Labra moves tacitus, recutitaque sabbata palles.
Tum nigri lemures, ovoque pericula rupto;
Hinc grandes Galli, et cum sistro lusca sacerdos,
Incussere deos inflantes corpora, si non
Prædictum ter mane caput gustaveris allî.
Dixeris hæc inter varicosos centuriones:
Continuo crassum ridet Vulfenius ingens,
Et centum Græcos curto centusse licetur.

ram videlicet laudem! At si quando adfuerint celebrati Herodianis dies, et positæ ex ordine lampades, ornatæ violis, pinguem e fenestris oleo stillantibus exhalaverint nebulam, apparatumque fuerit convivium, in quo videre sit et thynni caudam in jure natantem et ab utraque rubri patini parte prominentem, et albam fideliam vino tumentem; jam factus ex ambitioso superstitiosus, tacita prece labra moves circumcisorumque sabbata horres. Tum simulachra hominum formidas nigrantia, et quæ minatur disruptum ovum pericula; unde Galli prægrandes, et lusca cum cymbalo sacerdos immisere deos corpora inflantes, nisi parueris monentibus, atque, uti prædictum fuerit, ter mane caput comederis allii.

189. Hæc de libertate dicta fuerint apud crassos centuriones; protinus ineptum risum tollet altus Vulfennius et centum Græcos philosophos vix centum assibus æstimabit.

VARIÆ LECTIONES

ET NOTÆ

IN SATIRAM QUINTAM.

DE SATIRA QUINTA. QUOD in hoc sermone tractatur argumentum, *unum sapientem esse liberum, insipientes omnes servos esse*, ex eorum genere fuit, quæ multa in scholis atque in otio philosophorum agitabantur, et, ut ait Tullius, θετικὰ dicebantur. Has theses e scholarum disciplina, e *Socraticis chartis* depromere et in publicum efferre non semel conati sunt poetæ et oratores; atque adeo hoc ipsum, quod nunc sui juris facit Persius, jam antea Cicero in communes conjecerat locos, Paradox. III et V; Horatius satiricis suis usurpaverat sermonibus, Sat. II, 3 et 7.

Qui vero primi omnium pronuntiaverint auctores, *unum sapientem esse liberum*, haud ita facile dictu est, quum in ea doctrina consentiant omnium ferme philosophorum sententiæ, ut non libertatis modo, verum etiam totius vitæ fundamentum sit sapientia. Propria tamen magis esse videtur stoicorum, quorum in dogmatibus sæpe sæpius recurrat, variantibus paululum titulis atque nominibus. Diogenes Laertius, in vita Zenonis Cittiœi, ubi describit stoicum sapientem: μόνους ἐλευθέρους· τοὺς δὲ φαύλους δούλους. Εἶναι γὰρ τὴν ἐλευθερίαν, ἐξουσίαν αὐτοπραγίας, τὴν δὲ δουλείαν, στέρησιν αὐτοπραγίας, etc.... (*solumque esse liberum, malos autem servos. Esse enim libertatem posse aliquid per se agere, servitutem vero non posse.*) Unde etiam regem esse suum sapientem stoici sibi arrogabant. Id. ibid: οὐ μόνον δὲ ἐλευθέρους εἶναι τοὺς σόφους, ἀλλὰ καὶ βασιλέας, etc. (*neque solummodo liberos esse sapientes, verum etiam reges*). Paulo aliter concipitur argumentum apud alios ac apud Laertium: Cicero, Paradox. V, in titulo: *solum sapientem esse liberum, et omnem stultum servum;* Philo Judæus, in operis titulo: ὅτι πᾶς ὁ ἀστεῖος ἐλεύθερος (*liberum esse, si quis virtuti studeat.*) Præterea non alius scholæ quam Porticus fuit illa quæ in opere Persii a vers. 115 ad 123 diligentius expressa est doctrina, *æqualia esse peccata omnia, quemadmodum recte facta*, quam, teste Diogene Laertio, extulit Chrysippus, in IV° naturalium quæstionum; Diog. Laert. Vit. Zenonis: ἀρέσκειν αὐτοῖς ἴσα ἡγεῖσθαι τὰ ἁμαρτήματα (*placetque illis æqualia haberi peccata*). Ex quibus colligendum est, hanc omnem Persianam disputationem Porticus inniti principiis.

Jam vero philosophicas theses istas, quas jam antea sibi assumpserint

Cicero et Horatius, mirum fortasse videatur, quod Persius retractet. Ecquid enim boni verique hic potuit consequi, quod non summi duo illi scriptores fuerint ante consecuti? quid tandem novi Persianum opus habere potest? De priori quæstione disserere supervacaneum est, quum in eo totæ sint omnis ætatis bonæ litteræ, ut sapientiam virtutis atque felicitatis esse fundamentum aliquando approbent hominibus. In hanc pulcherrimam optimamque causam nobilissimus quisque scriptor agitavit; in hanc Persius vice sua accingitur. At vetulæ disputationi novum induit dicendi genus quum auctoris ingenium, qui fuit stoicismi studiosissimus antistes, tum varietas temporum, quæ, centum annis vix admodum interjectis, multum differebant. Itaque, ut omittamus Tullium, qui nihil aliud sibi proposuit, quam ut horridioris philosophiæ locos forensi suæ orationi accommodaret, longe alia est illa Horatii festivitas, qui per Damasippum stoicam exagitat majestatem, aut pauca de vera libertate verba servo suo condonavit, quæ non tam uni scholæ, quam rerum naturæ conveniant; alia hæc Persii subtristis gravitas, qui magistro suo acceptam refert sapientiam suam factus et ipse quasi magister, atque etiam querulus senex ante annos, qui Romanos aliud agentes admonere nititur veræ libertatis, atque illam edocere animi constantiam, quam Porticus suis pollicebatur, quam litteratus ejus ætatis vir præstantissimus quisque in scriptis, quam in vita et in morte Thraseas, quam in imperio Marcus Antoninus repræsentavit. Deprimit alter poeta, atque etiam laudando damnat; alter defendit, admiratur et auctoritate sua confirmat. Offendisse videtur Horatium quod est in stoicismo superbum nimiumque, detinere Persium quod est forte ac generosum: ita ut diversissimi sint in uno eodemque argumento duo poetæ; multum autem uterque pro suo more admirandus.

Etsi enim ipsa illa pars gratulatoria, qua Persius disputationi suæ præludit, plus habet animorum quam leporis, plus etiam doloris quam lætitiæ; nonnihil tamen habet oblectamenti. Est enim quidam dolor, qui minime displiceat in significandis sensibus, quibus bonorum animi jucundissime pascuntur. Quis est magister, qui non tali discipulo superbiat, qualis hic *ostenditur* Cornuto? Quis amicus non talem sibi habere velit amicum et contubernalem? Mirum in modum mihi placet illa ejus operis gratulatoria præfatio, plena affectuum, poeseos, honestatis, quæ tantum est lenis et effusa, quantum ipsa disputatio stricta et rigida est.

Titulos qui Satiris inscribuntur in MMS. Codicibus, etsi jam superius docuimus non ipsius esse auctoris, sed librariorum; tamen quid inscriptum huic operi deprehenderimus in his membranis quæ in nostras venerint manus, referemus. Primo nonnulli sunt MMS. Codices, ut noster 8055, in quibus Prologus sexque Satiræ, nullis inscriptis titulis, nullis interpositis spatiis, nullo denique modo distinguantur, sed uno eodemque scripturæ tenore continuentur. Hic tamen codex 8055 habet in margine: *Hanc satiram scribit ad Cornutum magistrum.* Præfert autem in capite 8048: *IIII^a satira ad Annæum Cornutum, stoicum, cujus fuit auditor;*

idemque edit 8070, dempto tamen *IIII^a satira*, et quidem recte, quoniam mendum est. Vetustissimæ editiones titulum referunt nullum.

Notandum est in eo commentario, qui dicitur et inscribitur Cornuti, initio hujus satiræ hæc esse scripta: « Hanc satiram scribit ad Cornutum, in qua eos culpat poetas, qui, etc.... » neque ferme plura de Cornuto. Unde nihil lucis oritur, unde nequaquam colligi potest, quis fuerit ille Cornutus, ad quem scripta est hæc satira, neque quis fuerit ille Cornutus, qui scripserit commentarium. Videntur duo extitisse Cornuti: alter, Annæus Cornutus, stoicus, quo Persius usus est magistro et amico, cui hoc opus dicavit et cujus honestissimis verbis meminit Dio Cassius; alter, Annæus Cornutus, aut, ut Macrobio vel Macrobii librario placet, Aurelius Cornutus, grammaticus, scriptor commentariorum in Terentium, Virgilium aliosque, et primus auctor commentariorum in Persium, quos habemus corruptissimos. Is fuit, si modo fuit, annis quinquaginta circiter Cornuto philosopho recentior. Vide ad calcem I, Eliæ Vineti *Epistolam de Cornuto philosopho et grammatico, De Cornuti in Persii Satiras commentario, ac de commentarii commentique significatione.*

Variantes lectiones. 2. *Centum ora et linguas optare in carmina centum.* — Ferunt vetustissimæ editiones fere omnes *in carmine;* quam videlicet in MMS. Codicibus lectionem invenerant. Non minus habet auctoritatis nostra lectio, meliorem vero constructionem et sensum.

Notæ. 1, 2. *Vatibus hic mos est centum sibi poscere voces, Centum ora, et linguas optare in carmina centum.* — Solemnis nempe illa apud veteres poetas hyperbole, qua materiam suam amplificent, ac se verbis assequi non posse testentur. Hom. passim et Iliad. II, 484:

Οὐδ' εἰ μοι δέκα μεν γλῶσσαι, δέκα δὲ στόματ' εἴεν.
(Non si mihi decem linguæ, decemque ora forent.)

Hostius poeta (ut refert Macrobius, Saturnal. VI, 3) lib. II belli Istrici:

Non si mihi linguæ
Centum atque *ora* sient totidem *voces*que liquatæ.

Centum dixit, Homerus decem; item Virgil. Georg. II, 43; Æneid. VI, 625 sqq.; VII, 37 sqq.; Ovid. Metamorph. VIII, 532 sqq.; Trist. I, 453 sqq.; Fast. II, 119 sqq.; multique alii poetæ, Persio quidem recentiores, ipsique oratores: Cicero, Epistol. XIII, 6; Quintilian. Declamat. VI, etc. Non tam respicit profecto Persius ad illos superiores, qui solemni illa figura jure usi fuerant, quam ad æquales, qui abutebantur et *bullatis nugis studebant*, ut sibi *pagina turgesceret*; infer. 19, 20: argumento sunt et repetitio ironica *poscere, optare in carmina*, et duo versus insequentes. Caveamus tamen ne hæc jam esse adeo satirice dicta arbitremur, quoniam succlamat Cornutus interlocutor: *quorsum hæc*, et quoniam infra recurrit: *His ego centenas ausim deposcere voces.*

VAR. 3. *Fabula seu mœsto ponatur hianda tragœdo.* — Mire consentiunt MMS. Codices omnes in edendo *mesto* per *e* pro *mœsto* per *œ* vel *æ*, quod est usus frequentioris. Vid. totius Latinitatis Lexicon Facciolati, ad verbum *mœreo*, sub finem.

NOT. 3. *Fabula seu mœsto ponatur hianda tragœdo.* — *Fabula;* proprie de operibus ad scenam compositis; Terentius, passim in prologis; Horatius, passim in Arte.— *Ponatur;* proprie de theatro quoque. Horat. in Arte, 190 :

Fabula quæ posci vult et spectata *reponi.*

Dicitur et de omni compositione. Persius, I, 70 :

Nec *ponere* lucum
Artifices.

— *Hianda;* magno spiritu et ore latius diducto pronuntianda : quod histriones diligentius præstabant. Propert. II, 25, 6 :

... tacita carmen *hiare* lyra.

Juvenal. sat. VI, 635 :

Grande sophocleo carmen bacchamur *hiatu.*

Horat. in Arte, 138 :

Quid dignum tanto feret hic promissor *hiatu?*

Lucianus, in Nigrino, ubi de actoribus agitur : μεγὰ κεχηνότες, μικρὸν φθίγγονται (*ore in immensum diducto, exiguum et gracile loquuntur*). — *Mœsto tragœdo;* componit animi sensus actor ad personam, quam induit, *mœstam* videlicet, ut plerumque fit in tragœdia : unde *tragœdus* verissime dicitur ipse *mœstus.* Omnis hic versus sensu accipi debet subridiculo. Censent alii, ut Casaubonus, nihil hic esse risus et Persium vere sibi centum optare voces, ut poetæ solent : alii volunt æqualium hic describi declamationes ineptas statim ab hoc initio, quemadmodum infra in his quæ succlamabit Cornutus. Inter utramque opinionem, quæ nimia est, veritas erit.

NOT. 4. *Vulnera seu Parthi ducentis ab inguine ferrum.* — Respicit ad illa poemata, quæ plurima confingebantur de bellis Romanorum cum Parthis, quæ tam infeliciter a Crasso inita, tum temporis acrius per Corbulonem gerebantur. Tacitus, Annal.; Suetonius; Dio Cassius, et Justinus, passim. Ad hæc pertinebat jam ille Horatii versus, quem fortasse Persius sequitur, sat. II, 1, 15 sqq. :

Aut labentis equo describet *vulnera Parthi.*

qui versus, in laudem *invicti Cæsaris* scriptus, nobilis esse debuit et elatus. At Persius, adeo non laudat, ut contra subsannare velit qui scribant pudenda. Pudenda autem fuisse ea carmina, quæ de bellis Parthicis emittebantur, argumento est Lucianus, De scribenda historia, passim. Itaque Noster suum scripsit diverso ac Horatius more versum,

in quo et imago sit inhonesta, et numerus mollis cadensque. — *Vulnera Parthi;* accipi potest active, ut apud Virgil. Æneid. II, 436, vel passive. Priorem sensum præfert Casaubonus; Kœnig posteriorem, se loco Horatii tutatus, et quidem jure, ut opinor. — *Ducentis ab inguine ferrum;* hæc accipit Casaubonus de more jaculandi quem vult Parthorum fuisse proprium, qui arcum a femore, *ab inguine* intenderent, adductus loco Propertii IV, 8, 43:

Illi virgatis *jaculantis ab inguine* braccis.

qui quidem locus, ut satis probe colligit Kœnig, minimum habet auctoritatis, quum sit corruptissimus et variet in MMS. Codd., ubi legitur et *jaculantis ab agmine*. Facit autem in Casauboni sententiam hic locus Virgilii, Æneid. XI, 859 sqq.

Volucrem Threïssa sagittam
Deprompsit pharetra, cornuque infensa tetendit,
Et *duxit* longe, donec curvata coirent, etc....

Sensum vero suum Kœnig his verbis tuetur : « Parthi sagittis in prælio maxime valebant, eæque tela eorum propria. Pharetræ vero, in quibus sagittas portabant, ab humeris pendentes superiori sua parte cubitum attingebant, ut commode inde sagittæ depromi possent. Pindar. Olymp. II, 149 sqq.

Πολλά μοι ὑπ' ἀγκώνος ὠκέα βέλη
Ἔνδον ἐντὶ φαρέτρας.
(Multæ mihi ad latus celeres sagittæ insunt in pharetra.)

Ibi scholiastes laudat Theocrit. XVII, 30, ubi legitur *ὑπωλένιόν τε φαρέτραν*. Jam vero *ensem ducere* pro distringere, pro educere e vagina notum est. Heins. ad Valerium Flaccum I, 122. Quidni etiam dici possit sagittam ducere, pro depromere sagittam e pharetra? illud *ab inguine* sic facile a situ pharetræ potest explicari. » Hæc magis erudite mihi disputata videntur, quam ipsam Persii mentem explanantia, qui, quum velit eos notare, qui trita et levia magno apparatu declament, hanc imaginem libentius usurpavit, quæ minus haberet dignitatis ac honestatis, Parthi scilicet retrahentis *ab inguine* ferrum, quo percussus fuit. Adde poetas illos, quorum nunc meminit Persius, non potuisse laudare Parthos tela vibrantes et Romanis mortem inferentes, potius quam Romanos Parthorum victores. Respuit tamen hunc sensum Kœnig ea de causa, quod *ducere ab* in tali re vix utantur boni scriptores. Quod quidem affirmare facilius est, quam probare. Dicitur enim *ducere in* pro immittere, injicere; quidni dicatur *ducere ab* pro retrahere, reducere? Imo vero *ducere* mihi videtur hic maxime proprium, quum ferrum a vulnere non retrahat qui fuit perculsus, sed reducat, *ducat*, lentus et bene cautus in facienda sibi medicina, ut dolorem sublevet.

Var. 5. *Quorsum hæc? aut quantas robusti carminis offas Ingeris?* — Pro *Ingeris* legi velit *Diderot Egeris*. Ingeniosa quidem conjectura; conjectura tamen,

neque ulla firmata MMS. Codd. auctoritate, neque necessaria, quum eodem sensu recurrat sæpe sæpius *ingerere* apud optimæ notæ scriptores. Livius, lib. III, cap. 78 : « Vocis verborumque quantum voletis, *ingerent.* »

Not. 5. *Quorsum hæc? aut quantas robusti carminis offas Ingeris.* — *Quorsum hæc?* Fingit hæc succlamare Cornutum, qui jure magistri usus, succenseat discipulo, quod eos imitari velle videatur, qui inania moliuntur magno apparatu. — *Aut quantas robusti carminis offas Ingeris;* locutio nova et audacior. Tenuia et deducta dicebantur bona carmina ; mala vero crassa et pinguia : unde *offa robusti carminis* carmen est non deductum, ampullatum vero et turgidum atque inelaboratum. *Offa*, proprie pultis ex farre facta ; *offæ* vocantur etiam globuli, quibus aves altiles farciuntur. — *Ingeris;* profers in publicum et lectoribus devorandum objicis ; eodem sensu omnino, quo apud Livium, loco supra citato.

Not. 6. *Ut par sit centeno gutture niti?* — Velut ad trajiciendas illas *offas* grandiores, ad *ingerendos* versus pinguissimos. — *Niti*, connituntur enim qui volunt e pleniore pectore rejicere aliquid.

Var. 7. *Grande locuturi nebulas Helicone legunto.* — Edunt MMS. mei omnes *Elicone*, demptο *h*.

Not. 7. *Grande locuturi nebulas Helicone legunto.* — *Grande;* fuit hoc vitium æqualibus Persii scriptoribus parvis magnisque commune, ut *grandia* molirentur, quod jam notavit Noster in prima, 14 :

Grande aliquid, quod pulmo animæ prælargus anhelet.

— *Nebulas legunto;* similia nempe *nebulis*, inania, et quæ sola specie sunt magna ; unde hæc νεφέλας Græci, Latini *nebulas* dicunt. — *Helicone;* bene continuatur figura ; *nebulæ* enim summis montibus viciniores. Per hanc autem figuram intelligit loca trita poetis, quæ sibi notissima jactitant pravi poetæ, quæ Persius jam superius irrisit in Prologo. Per *Helicona* Kœnig intelligit scripta poetarum antiquorum, a quibus multa mutuatur mediocritas recentiorum.

Not. 8. *Si quibus aut Procnes, aut si quibus olla Thyestæ Fervebit.* — Satirica locutio est ; Quemadmodum enim apud philosophum γενᾶν τὸν οὐρανὸν (*gignere cælum*) ii dicuntur, qui scribebant cælum fuisse genitum, sive creatum, et apud Theophrastum et Plautum αἱρεῖν τὰς πόλεις, *urbes capere*, illi qui urbium ἁλώσεις narrabant ; ita hic *fervere* illis dicitur *olla Procnes*, aut *Thyestæ*, qui tragœdias componunt vel de Tereo, qui filium Ityn sibi appositum imprudens edit, vel de Atreo qui similibus epulis Thyesten fratrem pavit. Notissimæ sunt fabulæ apud veteres utriusque linguæ poetas. Thyesten scripsit Seneca Tragicus, et Nero cantavit, teste quidem Juvenal. VIII, 227 :

Majorum effigies habeant insignia vocis :
Ante pedes Domiti longum tu pone *Thyesta*

Syrma, vel Antigones, seu personam Menalippes;
Et de marmoreo citharam suspende colosso.

Unde manifestum est Persium hic tangere poetas æquales, quibus ea tragœdiarum argumenta sæpius usurpabantur, et fortasse Senecam ipsum, atque ipsum Neronem.

Not. 9. *Sæpe insulso cœnanda Glyconi.* — Convenit *cœnanda* cum *olla* versus præcedentis absolvitque figuram. — *Insulso Glyconi;* satis liquet hunc *Glyconem* tragœdum fuisse maxime ineptum, de quo vetus scholiastes sic disserit fusius fortasse, quam verius : « *Glycon*, tragœdus, populo mire placuit, et ideo a Nerone manumissus est, datis Virgilio tragœdo, domino ejus, pro parte dimidia quam possidebat, sestertiorum centenis millibus. Hic fuit staturæ longæ, fusci corporis, labio inferiori demisso, antequam subornaretur, deformis, nescius jocari, propter quod eum *insulsum* Persius dixit. »

Not. 10. *Tu neque anhelanti, coquitur dum massa camino, Folle premis ventos.* — Metaphorice pro : tu non *anhelas*, tu non æstuanti te similem facis, dum argumenti tractatione occupatus es. Quidam vertunt *premis ventos* per *retines ventos*, inflas te; quam rationem epitheton *anhelanti* non admittit. — *Anhelanti folle premis ventos; premit* is *ventos folle*, qui facit ut *follis* ventum, seu auram acceptam rursus emittat. *Anhelanti;* auras emittenti ac resorbenti fortius, ut qui *anhelant. Anhelanti folle;* metaphorice pro pulmonibus. — *Coquitur dum massa camino;* sumptum hoc e metallis. Ut enim in fornace ardenti metallum, sic animo inter meditandum fervescente carmen fingitur. Lepidam hanc omnem imaginem ab Horatio mutuavit, Sat. I, 4, 19 sqq.

At tu conclusas hircinis *follibus* auras
Usque laborantes, *dum* ferrum molliat ignis,
Ut mavis imitare.

Var. 11, 12. *Nec clauso murmure raucus, Nescio quid tecum grave cornicaris inepte.* — Edit Colbertinus Codex (8293) *raucos*; quod jungendum foret cum *ventos*, peregre quidem propter *nec*. — Plures habent Codices Editionesque *ineptum* pro *inepte*, quod prætuli ne duplicetur epitheton, *grave*, *ineptum*. Potest tamen et hæc lectio admitti; sic enim dixit in secunda : *generoso.... honesto.*

Not. 11, 12. *Nec clauso murmure raucus Nescio quid tecum grave cornicaris inepte.* — Pergit eos describere, qui *grandia* moliuntur. — *Nec clauso murmure raucus;* optime hoc explicant quæ dixit in sat. III, 81, de philosophis nugas secum meditantibus :

Murmura quum *secum* et rabiosa silentia rodunt;

clauso, quia *secum* suas versant cogitationes, iisque per vocem vix egressum permittunt. — *Nescio quid tecum grave cornicaris inepte;* felicior eorum descriptio, qui ineptias multa gravitate secum agitant deambulando. — *Cornicaris;* « novum a poeta verbum compositum, ut

vetus ait scholiastes; ac reipsa antiquius nullum profertur exemplum. Vertit Casaubonus : ambulare more *cornicis*. Virgil. Georg. I, 388 :

Et sola in sicca secum spatiatur arena.

Interpretatur Priscianus VIII, 828, importunum garrire, κρώζειν. Conf. Aristophan. in Equitib. ubi ridetur infelicium oratorum insulsitas. Horat. in Arte, 457 sqq. — Mallem interpretari : Nec tu, more cornicum, voces emittis e gutture, compressas, impeditas, palato supplantatas, de quibus jam Satir. I, 35.

VAR. 13. *Nec stloppo tumidas intendis rumpere buccas.* — Multum variant in hac edenda voce MMS. Codices : alii (8048 et 8055) ferunt *stloppo;* alii (8070) *schoppo;* alii (3273) *sclopo*. Prætulerunt optimæ notæ editiones et Lexicon Facciolati *stloppum*, quem ego recipiendum putavi.

NOT. 13. *Nec stloppo tumidas intendis rumpere buccas.* — Tertium genus est eos notandi, qui affectant inania. Nunc ducitur metaphora a pueris ludentibus, qui buccas inflatas subito aperiunt, et totum simul flatum cum sonitu fundunt. *Stloppus* vox est onomatopœa.

NOT. 14. *Verba togæ sequeris, junctura callidus acri.* — *Verba togæ sequeris; togam* alii intelligunt de pace, atque hanc laudem : *verba togæ sequeris* opponere videntur istorum vitio, qui bella Parthica recinunt; alii intelligunt de foro, quemadmodum in hac sententia : cedant arma *togæ*, atque eam laudem Persio tribui putant, quod stylum usurpet forensem, in usu communi positum, nec e longinquo petitum, ei non absimilem, quem vocat Horatius *sermoni propiorem*, aut *musam pedestrem*. Quæ interpretationes minus mihi placent, quam hæc : *toga* vestis est propria Latinorum, quos vocat Virgilius *gentem togatam;* ita *verba togæ* verba sunt bene Latina, propria Latini sermonis; quæ *verba sequi* non parva laus est, teste Tullio, qui in libro De Claris Oratoribus, qui Brutus inscribitur, perpetuo secernit hominem ab homine hoc potissimum, quod *latine loquatur*. Paucissimi enim sunt, qui vernaculam suam linguam apprime noverint, quod tamen parit labor et industria. Hanc igitur modestam laudem sibi assumit Persius. — *Junctura callidus acri;* in hoc potissimum, teste Artis poeticæ auctore, situm est scribendi artificium, si *juncturam* noveris, h. e. si verba cum verbis apte composueris : Hor. 47 ;

Dixeris egregie, notum si callida verbum
Reddiderit *junctura* novum.

Hanc artem *jungendi* verba *callide* omnes omnino sibi optant scriptores, pauci admodum consequuntur. In hoc se aliquid profecisse merito sibi Persius gratulatur; attende enim quantam in hoc adhibuerit diligentiam et quam sæpe meruerit admirationem.

VAR. 15. *Ore teres modico, pallentes radere mores Doctus.* — Edunt MMS. Codices 8048, 8070, 8273 nonnullique editores *teris* pro *teres*, quod habet 8055,

quodque secutus est Casaubonus cum probatissimis editorum, *Terie* hunc sensum præbeat vix ac ne vix quidem probandum : expolis, superflua resecando, *verba togæ*. Horat. Epist. II, 1, 91 sqq,

... Quid nunc esset vetus, aut quid haberet
Quod legeret *tereretque* viritim publicus usus.

Not. 15. *Ore teres modico, pallentes radere mores Doctus.* — Pergit Cornutus discipulo dotes suas gratulari.—*Ore teres modico;* politus stylo modesto : opponitur hoc iis qui *hiant*, qui *os* diducunt immensum in modum, inania locuturi. Sic Horat. in Arte, 323 sqq.

Dedit *ore* rotundo
Musa loqui.

— *Doctus radere;* constructio hellenica, ut *boni inflare* apud Virgilium; Persius hanc libentissime usurpavit. *Radere;* eodem sensu jam hoc verbo usus est, in prima, 107 : *radere* vero. — *Pallentes mores; mores* hominum, qui *pallent* conscii sibi scelerum suorum; Horat. Epist. I, 1, 61 :

Nulla *pallescere* culpa.

Juvenal. I, 165 :

Ense velut stricto quoties Lucilius ardens
Infremuit, rubet auditor, cui frigida mens est
Criminibus, tacita sudant præcordia culpa.

Not. 16. *Et ingenuo culpam defigere ludo.* — Absolvit Cornutus laudem satyrographi. *Defigere culpam;* h. e. penitus *figere, configere;* solemnis est illa figura, qua satyrographus repræsentatur telis armatus, quibus nequitiam stultitiamve petat sternatque. Plautus, in Persa :

Te hodie *defigam* in terram colaphis.

— *Ingenuo ludo;* carmine liberali, ait Britannicus, et satira semper homine libero digna, non petulanti. Meruit hanc quoque laudem Persius, cujus satira nonnihil habeat gravitatis.

Var. 17. *Hinc trahe quæ dicas, mensamque relinque Mycenis.* — Edit 8048 *dicas*, quod probatissimæ receperunt editiones; 8070 et 8055 *dices;* 8273 *dicis*. Ferunt nonnullorum editiones *mensas* pro *mensam*, quod prætuli eo quod hoc loco conveniat cum *olla Thyestæ*, non cum *olla Procnes*, cujus fabula dicitur acta Athenis, non *Mycenis*. Pro *Mycenis* vetus scholiastes legit *Mycenas*, contractum pro *Myceneas* et concordans cum *mensas;* sed male.

Not. 17. *Hinc trahe, quæ dicas, mensamque relinque Mycenis Cum capite et pedibus.* — Cornutus Persium in proposita studiorum ratione confirmat, quasi dicat : fac ut quæ *dices* scribesve ab eadem mente orta se probent, ex qua priora tua scripta; eamdem styli temperiem serva; idem argumentum urge, ac perge satiras scribere. Confer Horat. in Arte, 318 :

Respicere exemplar vitæ morumque jubebo
Doctum imitatorem, et veras *hinc* ducere voces.

Sic noster dixit *hinc trahe quæ dicas.* — *Mensamque relinque Mycenis;*

Græcis permitte graudia sua tragœdiarum argumenta, moremque tuum serva. *Mensam*, scilicet Atrei; *Mycenæ*, urbs Peloponnesi, in qua gesta dicitur fabula Atrei et Thyestæ. — *Cum capite et pedibus;* horrenda irridet ejusdem fabulæ adjuncta, nempe quod Atreus reservaverat *caput*, *pedes* et manus pueri, quæ post scenam Thyestæ fratri exhibuit, ut sciret quas et cujus devorasset carnes. Seneca, Thyest. 763 :

> Denudat artus dirus, atque ossa amputat :
> Tantum ora servat, et datas fidei manus.

Not. 18. *Plebeiaque prandia noris;* i. e. materias humiles, quales sunt in satira, non altiloquas et regales, quales in tragœdiis scribuntur. *Prandia* per oppositionem *mensæ*.

Var. 19. *Non equidem hoc studeo bullatis ut mihi nugis.* — Edunt MMS. Codd. fere omnes *pullatis*, atque etiam explicant in glossa per *luctuosis;* habent tamen et laudatissimi *bullatis*, quod receperunt editores fere omnes, ut magis conveniens cum *turgescat*. *Pullatis* dictum foret de regum veste lugubri in Tragœdia.

Not. 19. *Non equidem hoc studeo, bullatis ut mihi nugis Pagina turgescat.* — Reponit Persius Cornuto, dicitque sibi melius exoptari *centum voces* quam poetarum vulgo, quum ipse rem aggrediatur magnam nobilemque, isti vero *nugas* inflare velint ore tumido. — *Bullatis nugis;* verbis ac sententiis instar *bullæ* tumidis et fulgentibus, sed intus vanis, quas Horatius in Arte *ampullas* vocat. *Bulla*, apud antiquos symbolum vanitatis; in Varron. *homo bulla*, ἄνθρωπος πομφόλυξ. — *Ut mihi pagina turgescat;* hæc dicta sunt in *turgidos* ejus temporis poetas, a quorum vitiis ipse cavet.

Not. 20. *Dare pondus idonea fumo.* — Pagina, quæ addat pondus nugis, rebus vilissimis. Vilia leviaque *fumum* vocabant Græci Latinique. Unde hæc locutio ferme proverbialis *dare pondus fumo* pro res leves inanesque extollere. Horat. Epistol. lib. I, 19, 42 : « nugis addere *pondus*. » Id. ibid. 16, 12 :

> Fons etiam rivo *dare* nomen *idoneus*.

Var. 21. *Secreti loquimur : tibi nunc, hortante Camena.* — Vetustissimæ editiones, præter eam tamen, quæ anno caret, edunt *secreto*.

Not. 21. *Secreti loquimur : tibi nunc, hortante Camena.* — Adeo non vanæ laudis cupiditate, ut alii multi, ad scribendum ac recitandum impellor, ut te unum spectem, quum hæc scribam, neque aliter tecum hic velim confabulari, quam si una essemus, ac, in *secreto loquentes*, pectorum arcana nobis invicem aperiremus. — *Tibi;* non aliis. — *Nunc;* in hoc opusculo. — *Hortante Camena;* quasi dicat soluta oratione : fert animus; poetica locutio est.

Not. 22. *Excutienda damus præcordia.* — Vetus et solemnis est metaphora, qua sinus animi dicitur e sinu vestium, qui panditur, *excutitur*. — *Præcordia;* omnia intima exta; hic proprie dicitur. Seneca

Epistol. 72 : « explicandus est animus, et, quæcumque apud illum deposita sunt, subinde *excuti* debent. »

Not. 23. *Quantaque nostræ Pars tua sit, Cornute, animæ, tibi, dulcis amice, Ostendisse juvat.* — Suavissima est imago perfectæ amicitiæ duorum amicorum voluntatis et morum similitudine in unum quasi coalescentium, ut alterius alter pars habeatur. Vetus scholiastes commemorat Pythagoram interrogatum quid esset amicus, respondisse alterum se ipsum; et sæpe sæpius antiqui amicitiam esse animam unam in duobus corporibus dixerunt : Horat. Od. I, 3, 8; II, 17, 5 sqq.; Ovid Ex Pont. III, 4, 69; Stat. Sylv. III, 2, 7 sqq:

> Atque *animæ partem* super æquora nostræ
> Majorem transferre parat.

Sic Persius Cornutum esse ait non dimidiam tantum partem animæ, sed meliorem ac majorem; hoc vult *quanta*. — *Ostendisse juvat;* testari amico suo animi sensus voluptas est amicis.

Var. 25. *Quid solidum crepet, et pictæ tectoria linguæ.* — Edunt *tectoria* 8055 et 8070; 8048 et 8273 *plectoria*, aliique Codices, qui ferunt *tectoria*, habent in margine variantem *plectoria*. Quæ vox non videtur esse latini sermonis; derivant tamen a græco πλέκειν satis probabiliter, idque fecisse Persium, qui circa verba et origines græcas est curiosior, haud absurdum est. Sed legitur apud Juvenal. VI, 466:

> Tunc aperit vultum et *tectoria* prima reponit.

Not. 24, 25. *Pulsa dignoscere cautus Quid solidum crepet et pictæ tectoria linguæ.* — *Pulsa;* græce κροῦε, ἐπίκρουε. — Digito percute, et explora mentem meam; sicut explorantur pulsu fictilia, num solida sint et integra. *Dignoscere cautus;* græca constructio pro in dignoscendo. *Cautus;* non tantum peritus, sed et *cautus*. — *Quid solidum crepet;* frequentior ea apud Nostrum metaphora; III, 21 sqq.

> Sonat vitium *percussa*, maligne
> Respondet viridi non cocta fidelia limo.

Inferius in hac ipsa, ad vers. 106.

> Ne qua subærato mendosum tinniat auro.

Auson. Idyll. XVI, 12 sqq.

> Si *solidum* quodcumque subest, nec inania subtus
> Indicat admotus digitis pellentibus ictus.

Pictæ tectoria linguæ; proprie *tectorium* est κονίαμα, incrustatio parietum ex arena et calce; metaphorice sumitur pro fuco. *Pictæ tectoria linguæ;* verba sunt ficto colore oblita, mentita benevolentiam.

Var. 26. *His ego centenas ausim deposcere voces.* — Pro *his* habent editiones vetustissimæ *hic*, quod minus placeat ad tenorem orationis.

Not. 26. *His ego centenas ausim deposcere voces.* — *His*, ad ista, ad

declarandum animum meum in te. — *Centenas ausim deposcere voces;* absolvit incœptam initio operis sententiam, votumque exprimit.

Not. 27. *Ut quantum mihi te sinuoso in pectore fixi.* — Superiorem repetit sententiam : *quantaque nostræ pars tua*, etc. — *Sinuoso in pectore;* usque in intimis pectoris recessibus. — *Fixi;* non posui, non reposui, ut apud Virgilium, Æn. I : « ....manet alta mente repostum; » sed *fixi*, quod fortius Nostro visum est. Cæterum et apud Virgil. Æneid. lib. IV, 15 :

Si mihi non animo *fixum*.

Not. 28. *Voce traham pura, totumque hoc verba resignent.* — *Voce traham pura;* jure dicitur *trahere*, quum expromenda sint verbis quæ in pectore sinuoso infixa sint. *Pura;* h. e. candida, sincera. — *Resignent;* proprie *resignari* dicitur de litteris, quibus signum detrahitur. Itaque *resignent* pro aperiant, declarent, rupto sigillo revelent.

Not. 29. *Quod latet arcana non enarrabile fibra.* — *Arcana fibra;* idem quod supra dixit *sinuoso in pectore.* Quid sit *fibra* jam antea docuimus in prima, not. 47. — *Non enarrabile;* lingua nempe mea. Itaque centum exposcit voces.

Not. 30. *Quum primum pavido custos mihi purpura cessit.* — Tempus, quo ætas juvenilis incipit, per ea declaratum est, quæ tunc accidere solent. — *Pavido;* h. e. pudibundo, impedito, timenti imminentes adolescentiæ difficultates. — *Custos purpura;* antiquissimum Romanis institutum fuit, ut pueri ad pubertatem usque toga amicirentur purpura prætexta. Cujus moris originem simul et causam varie explicat Macrobius, lib. I, Saturnal. cap. 6, ubi dicitur : « Ut ex ejus rubore ingenuitatis pudore pueri tegerentur. » Hinc Persio vocatur *custos.* Adde quod prætexta veluti sacros faciat, quos et violare sit nefas. Unde Plinius lib. IX, capit. 36, ait purpuram pueritiæ esse pro majestate, i. e. sanctitate. Fabius Quintilian. Declam. CCCLX, ad finem : « Ego vobis allego etiam ipsum illud sacrum prætextarum, quo sacerdotes velantur, quo magistratus, quo infirmitatem pueritiæ sacram facimus ac venerabilem. » Id. Declamat. CCCXLIX : « Expugnasti domum, et virginis prætextam scidisti, et puellam usque in eam injuriam traxisti, qua nihil gravius bella habent. » Sacra est virgini prætexta, ut sua cuique domus; ita dicere potuit poeta *custodiri* purpura pueros, *purpuram* esse *custodem*, quoniam hoc volebant vel mores, vel leges. *Custos* dici quoque potuit *purpura* per translationem, quia dum prætextam pueri gerebant, sub tutela erant Pædagogi, vel *custodis.* Horat. in Arte, 161 :

Imberbis juvenis tandem *custode* remoto.

Idem, de suo patre, Sat. I, 4, 116 sqq.

Mi satis est si
Dum *custodis* eges, vitam famamque tueri
Incolumem possim.

— Ut ut sit, certe est vera lectio *custos mihi purpura* et locutio vere Persiana, audax nempe et brevis. Minus tamen probat Kœnig, qui exempla omnia, quibus locum illustravit noster Casauhonus rejicit, ut infimæ auctoritatis, putatque illud potius recentiorum hujus moris et instituti interpretamentum fuisse, quam veram causam. Itaque legit contra fidem MMS. et, ut opinor, contra veritatem : *quum pavido custos, quum purpura cessit.*

Not. 31. *Bullaque succinctis Laribus donata pependit.* — *Bulla;* fuit in more apud Romanos, ut pueri *bullam* gererent in pectore, auream nobiles, scorteam libertini ac pauperes, referentem cor, ut aliis placet, forma; imagine, ut aliis; quo viso corde ad sensus generosos revocarentur. *Bulla* quoque ad propellendas incantationes et fascina ex opinione vulgi valebat. De moris ejus origine fusius disserit Macrob. lib. I, Saturnal. cap. 6. Vid. Cic. Verr. I, 58, ibique Ascon. Tit. Liv. XXVI, 36; Plaut. Rud. IV, 4, 127; Juvenal. V, 164 sqq.; et XIII, 33; Plin. Maj. XXXIII, 1; Plutarch. in Quæst. Centur. Rom.; Interpp. ad Petron. 60; Alex. ab Alex. II, 19; Id. C. 25. — *Succinctis Laribus; Lares* dii domestici erant, genii custodes, manes majorum. Constituebantur in atrio, ex cera, habitu peregrinantium, pellibus amicti caninis, atque etiam cum cane comite. Vid. fusiorem de hoc Britannici notam. Vetus Interpres ad h. l. « quia Gabino habitu cinctuque dii penates formabantur, obvoluti toga super humerum sinistrum, dextro nudo. » Vid. de Laribus. Virgil. Æneid. IX, 255; Plaut. Trin. I, 1; Juvenal. XII, 89; Sueton. Aug. 31. Plura de Laribus apud Burm. ad Ovid. Fast. V, 122 sqq. et apud Brouck. et Vulp. ad Propert. IV, 1, 131. — *Donata pependit; bullam* cum prætexta *Laribus* consecrabant adolescentes, quum togam sumerent virilem, quemadmodum puellæ *puppas* Veneri donabant. Respice ad Sat. II, not. 70.

Not. 32. *Quum blandi comites.* — Scilicet, *custode tandem remoto*, succedebant in ejus locum et assidebant nobili adolescenti *comites* qui *blandiebantur* et indulgebant, servi nempe, assentatores, sodales, ipsi etiam pædagogi, facti e custodibus pedissequi. *Comites* dicitur ipsi Persio de iis quibus traditus erat adolescens præceptoribus, III, 7 : « unus ait *comitum.* » Hic metaphorice et alludendo.

Not. 32, 33. *Totaque impune Subura Permisit sparsisse oculos jam candidus umbo.* — *Subura;* vicus urbis frequentissimus, viæ sacræ proximus, ob inhabitantes lupas infamis. Itaque prætextatos ab eo arcebant, eorumque oculos a contactu rerum pudendarum inviolatos asservabant. Toga vero virilis assumpta dabat potestatem locum infamem ingrediendi, et quæcumque ibi fierent inspiciendi : *permisit spar-*

sisse oculos impune. — *Candidus umbo;* sic appellat togam virilem quæ fuit alba, et cujus in humerum reductæ plicæ in pectore cintrum efficiebant, quod vocabant *umbonem.* Ita *candidus umbo* opponitur *purpuræ* quæ *cessit.* Sic hunc explicaverunt locum feliciter, ut mihi videtur, Just. Lips. Elector. lib. I, c. 13, et Casaubonus, in lib. De re vestiaria. Pratœus intelligit *umbonem* de clypeo, puro, vacuo, sine insignibus, quem vult fuisse datum tyronibus aliquo nobili facto signandum; seque tutatur hoc Virgil. loco, Æneid. IX, 548:

Ense levis nudo parmaque inglorius alba.

—*jam;* quod non fiebat antea. — Terent. And. act. I, scen. 1, 24:

Nam is postquam excessit ex ephebis....
Liberius vivendi fuit potestas. Nam antea
Qui scire posses, aut ingenium noscere,
Dum ætas, metus, magister prohibebant?....

Propertius, lib. III, Eleg. 15, 2 sqq.

Ut mihi prætextæ pudor exvelatus amictu,
Et data libertas noscere amoris iter.

Conf. Juvenal. III, 5; Martial. VI, 66, 1 sqq. Ovid. Fast. III, 777 sq. Burman. in Anthol. Latin. tom. II, Ep. 4, pag. 514.

Not. 34, 35. *Quumque iter ambiguum est, et vitæ nescius error Diducit trepidas ramosa in compita mentes.* — *Quumque iter ambiguum est;* quando mens adolescentis hæret incerta vitium inter ac virtutem, similis est viatori in bivium incidenti, qui *ambigit* utram in viam flectat. Cic. Offic. I, 117 et 118.—*Vitæ nescius error;* locutio Persiana brevis et elegantior pro: ignoratio vitæ, imbecillitas consilii, quæ facit, ut nesciamus bene ac beate vivere, quod monet philosophia, vel experientia.— *Trepidas mentes;* ancipites ac sollicitas de itinere ingrediendo. — *Diducit ramosa in compita;* rursus alludit Persius ad litteram Pythagoream (Y) de qua jam superius Sat. III, 56:

Et tibi quæ Samios *diduxit* littera ramos
Surgentem dextro monstravit limite callem.

Var. 36. *Me tibi supposui.* — Legit Bongarsii vetus MMS. *seposui,* cui apposita est interpretatio: ad te segregavi.

Not. 36. *Me tibi supposui; teneros tu suscipis annos.* — *Me tibi supposui;* summisi, tradidi educandum. Vult Kœnig metaphoram sumi de vitulis lactentibus, qui proprie *summitti* dicuntur. Varro R. R. V, 2, 5, 17. Casaubonus deducit a græco ὑποτάσσειν, ὑποβάλλειν, quod usurpatur Plutarcho in hunc sensum: tradere se in disciplinam. — *Teneros tu suscipis annos;* h. e. teneram tu *suscipis* juventutem. *Suscipere* pue-

rum educandum, locutio est usitatior ex qua deducitur Persiana elegantior.

Not. 37. *Socratico, Cornute, sinu.* — Omnis philosophia moralis ducit originem a Socrate; hunc auctorem ac parentem omnes venerantur scholæ : ita ejus nomen pro ipsius philosophiæ, imprimis philosophiæ moralis nomine sæpius usurpatur. Horat. in Arte, 310.

Rem tibi *Socraticæ* poterunt ostendere chartæ.

Ita Noster dixit *Socratico sinu* pro sapienti ac benevolo pectore, pro philosophico.

Var. 38. *Apposita intortos extendit regula mores.* — Legit Kœnig contra fidem MMS. et laudatissimarum editionum *ostendit*, quod multo minus convenit cum *regula* et *intortos*. Porro est junctura Persius studiosior.

Not. 37 et 38. *Tunc, fallere solers, Apposita intortos extendit regula mores.* — *Tunc;* quum me suscepisti. — *Fallere solers;* breviorem hanc et subobscuram locutionem varie explicant. Censent alii hoc esse dictum in sensum ejus sententiæ Horatii, in Arte : « Decipimur specie recti; » aut ejusdem apud Juvenal. Sat. XIV, 109 :

Fallit enim vitium specie virtutis et umbra.

Inclinat in hunc sensum Pratœus. Alii vero, ac longe plures, intelligunt id de *solertia* optimi magistri, qui sensim ac sine sensu, qui *fallendo* docet, ne asperitate novæ doctrinæ deterreantur. Sic dictum accipiunt Britannicus, et Casaubonus, et Kœnig, et alii; jure, ut opinor; nam indulgere juventutis imbecillitati, eamque sine vi ac sine tædio a voluptatis studio flectere ad amorem virtutis ea laus est præcipua sapientis magistri, quam laudem tribuit Cornuto. Porticus doctrina, rigida imprimis et austera, eguit solertia docentis, ne juvenes primo aspectu fugaret. — *Apposita intortos extendit regula mores;* ducta e fabrilibus metaphora. Corriguntur et recta fiunt per regulam quæ prava erant. Similis locutio apud Græcos usitatior : τῷ κανόνι τὰ σκαληὰ ἀπευθύνειν, vel τῇ προσαγωγῇ τοῦ κανόνος τὰ διεστραμμένα ἐπανορθοῦν; *mores* autem *intortos extendere* dictum est a solemni auctoris audacia in junctura.

Not. 39. *Et premitur ratione animus, vincique laborat.* — *Et premitur ratione animus;* translatum hoc esse dicunt interpretes ab equis domandis, Pratœusque hunc citat locum Platonis : « Sicut equus a sessore domatur, ita *ratione animus.* » Videtur tamen potius ducta ab arte plastica metaphora, si ad versum insequentem prospicias. Cæterum, perantiqua est apud philosophos distinctio partis animi rationalis a sensitiva : alia vocatur Græcis θύμος, *animus* Latinis; alia λόγος, *ratio.* Perantiqua vero apud poetas repræsentatio illius certaminis quod in unoquoque homine *rationem* inter atque *animum* instituitur. Vid. Cic. Off. I, 100; Horat. Epist. I, 2, 62 sqq.; Plaut. Trinum. Act. I, scen. 5.

— *Vincique laborat;* dum *vincitur*, vel ut *vincatur* laborat. Elaborabat enim ipse adolescens, ut *ratione* gubernaretur.

Var. 40. *Artificemque tuo ducit sub pollice vultum.* — Casaubonus legi velit contra fidem MMS.: *artificis* vel *artifici;* neque enim admittit dici posse *vultum artificem* pro *vultum* factum arte. Non meminit vir doctissimus *artificem* pluribus in locis, ut in hoc Persiano, sumi passive. Ovid. De Art. Am. III, 555:

Sed neque vector equum, qui nuper sensit habenas,
Comparibus frænis *artificemque* regat.

Quintilian. Inst. IX, 4. « *artifex* motus. » quasi dixisset: motus arte perfectus. Vid. Burmann, ad Prop. I, 2, 8; Brouck. ad eumd. II, 23, 8.

Not. 40. *Artificemque tuo ducit sub pollice vultum.* — Producit metaphoram; nisi tamen, quæ præcedenti versu continetur, ducta est ab equo, altera hæc ab arte plastica. Fingit animos juvenum Cornutus, ut *artifex* statuas. Natura nostris animis vitia insunt permulta, quibus expurgamur per artem. Hoc sibi vult in lingua latina: compositus ratione animus, compositus homo ad sapientiam; hoc idem sibi vult *artifex* ille Persii *vultus*. Conf. Ovid. Metam. I, 402; Juvenal. VII, 237; Mart. VIII, 6, 9 sq.; Stat. Achill. I, 334; Sylv. IV, 6, 27; Plin. Jun. Epist. VII, 9, 11; Senec. Epist. 50.

Not. 41. *Tecum etenim longos memini consumere soles.* — Locutio ferme tota ex Virgil. Eclog. IX, 50 sq.:

Sæpe ego *longos*
Cantando puerum *memini* me condere *soles.*

longos pro totos; *soles* pro dies; dicitur et græce ἥλιον ἀναλίσκειν. Supprimit *me* in suo versu Persius, quæ constructio jam inferioris est latinitatis. Hoc versu ac sequentibus describit summam familiaritatem, quæ sibi cum præceptore Cornuto intercessit. Vetus scriptor vitæ Persii: « Quum esset annorum sexdecim, amicitia cœpit uti Annæi Cornuti, ita ut ab eo nusquam discederet; a quo introductus aliquatenus in philosophia est. » Paulo post: « Usus est apud Cornutum duorum convictu doctissimorum et sanctissimorum virorum. »

Not. 42. *Et tecum primas epulis decerpere noctes.* — Convivia apud Romanos paulo ante noctem, h. e. post horam decimam, a sobriis adibantur, et in *primam noctem* protrahebantur. Helluones vero et mensæ dediti *partem demebant*, ut ait Horatius, *solido de die.* Hæc verba igitur selecta videntur ad indicandam philosophicam sobrietatem: *primas epulis decerpere noctes;* quæ singula singulis opposita videntur verbis præcedentis versus, quibus laborem et studia diurna designavit: *tecum longos consumere soles.*

Not. 43. *Unum opus, et requiem pariter disponimus ambo.* — Id est, ait vetus scholiastes, simul studiis exercemur, simul otiis fruimur.

Cf. Virg. Georg. IV, 184. — Casaubonus malit legi *una* pro *unum*. Certe *una* magis foret concinnum cum *pariter*; sed verosimilius est curiosiorem Persio placuisse constructionem : cæterum *unum* aut *una* idem valet ad sensum, licet aliter Kœnig censeat. — *Disponimus;* distribuimus in varia diei ac noctis tempora.

Not. 44. *Atque verecunda laxamus seria mensa.* — *Laxamus;* relaxamus, remittimus; *laxamus seria;* Persiana locutio pro *relaxamus* animum a *seriis.* — *Mensa verecunda;* per mensam, ubi vescimur et joculamur verecunde, ut sobrios neque vero tristes decet. A. Gellius lib. XIII, cap. 2. Athenæi Deipnosophist. Macrob. VII, 1.

Var. 45, 46. *Non equidem hoc dubites amborum fœdere certo Consentire dies.* — Edit Cod. MMS. 8048 : *Nonne quidem hoc dubites*, quæ lectio mendum videtur librarii. Cæteri MMS. omnes et editiones laudatissimæ : *Non equidem hoc dubites.* Attamen observa *non* cum subjunctivo pro *ne*, quod rarum est vel apud poetas. — *Deos* pro *dies*, quod edunt MMS. Codices, nonnullis recipi testatur Casaubonus; et quidem *deos* hic intelligerent quasi *genios.* At *dies* veram esse lectionem argumento sunt versus insequentes.

Not. 45, 46. *Non equidem hoc dubites amborum fœdere certo Consentire dies, et ab uno sidere duci.* — *Non equidem hoc dubites;* græce οὐκ ἄν φαίης; quibus locutionibus, uti Casaubonus apprime colligit, libenter utimur non quum vera res est de qua loquimur, sed quum vero simillima. *Equidem* affirmandi particula, hic vere suo loco. — *Fœdere certo;* certa constitutaque lege quadam fati; quotiescumque enim de legibus fati aut mundi agitur, vocem *fœdus* usurpant. — *Amborum;* tui ac mei. — *Consentire dies;* convenire nostra tempora, nostram vitam, cujus præcipuas partes genituram, ortum, conjugium, fortunam prosperam vel adversam, mortem *sideribus* alligabant mathematici. Perantiquæ videntur astrologicæ illæ opiniones, recentiores tamen primis observationibus Ægyptiorum et Chaldæorum de cæli motibus. Constat vero jam inde a Ptolemorum ætate astrologiam viguisse (Heyn. Opuscul. tom. I, p. 109) ejusque præjudiciis mancipatum fuisse vulgus Romanum, temporibus Horatii, Persii et Juvenalis; quorum scripta redolent omnes æqualium opiniones, hanc vero præsertim, qua rebantur vitas hominum duci sideribus. Horat. Od. II, 17, 21 sqq. Vid. Nost. edit. tom. I, p. 232; not. 17. Ed.

> Utramque nostrum incredibili modo
> *Consentit* astrum.

Id. Epistol. II, 2, 187 :

> Scit genius natale comes qui temperat astrum.

Juvenal. VII, 194 sqq., ridet astrologiæ oracula :

> ..... Distat enim quæ
> Sidera te excipiant modo primos incipientem
> Edere vagitus.

Not. 47. *Nostra vel æquali suspendit tempora Libra Parca tenax veri.* — Dixit superiore versu : sub eodem sidere nati sumus ; nunc dicit : vel sub Libra nati sumus, sed ita dicit per poeticam periphrasim. — *Parca tenax veri ;* sic vocat fatum illud immutabile ac certum, quod stoïci reverebantur. Poetis vero ministræ fati finguntur tres Parcæ sorores. Virgil. Eclog. IV, 46 :

> Talia sæcla suis dixerunt currite fusis,
> Concordes stabili fatorum numine *Parcæ*.

— *Suspendit nostra tempora ;* vitas nostras alligavit, ut simul decurrerent. — *Æquali Libra ;* Virgil. Georg. I, 208 :

> *Libræ* die somnique pares ubi fecerit horas.

Ex ea autem æqualitate *Libræ* commoda iis derivabant, qui sub eo sidere nascebantur : Persius vitam æquam, vel *æqualem* derivat ambobus, ita ut eosdem annos et affectus, eadem studia, summam animorum conjunctionem et consensionem pariant.

Not. 48, 49. *Seu nata fidelibus hora Dividit in Geminos concordia fata duorum.* — H. e. Vel nati sumus sub signo Gemellorum, quod signum amicitiæ favere putabatur. Testis ejus opinionis Manilius :

> Magnus erit *Geminis* amor et concordia duplex ;
> Magnus et in multos veniet successus amicos.

— *Nata fidelibus hora ;* hypallage pro *hora* qua fideles amici nascuntur. — *Dividit in Geminos ;* dispertit sideribus Gemellorum, quos alii dicebant esse Castora et Pollucem, alii Herculem et Apollinem, nonnulli Triptolemum et Jasium ; priores per Jovem, posteriores per Cererem inter sidera repositos. *Geminos* potest non solum ad cæleste sidus transferri, sed etiam ad Persium et Cornutum — *Concordia fata duorum ;* i. e. curam fati nos concordantis.

Not. 50. *Saturnumque gravem nostro Jove frangimus una.* — Vetus scholiastes sic explicat : « Si quid erat, quod malum genituræ meæ signum *Saturni* inferret, prosperitate stellæ Jovis est depulsum. »—*Saturnum gravem ;* h. e. noxium ; maleficum enim putabatur sidus *Saturni* iis quorum natalem diem aspicit. Plinius Maj. lib. II, cap. 8 : « *Saturni* sidus gelidæ ac rigentis naturæ. » — *Nostro Jove ; Jove,* cujus sidus nostrum est, pro nobis facit. Plinius, loco citato : « Martis ardore nimio, et rigore *Saturni*, interjectum ambobus, ex utroque temperari *Jovem* salutaremque fieri. » —*Frangimus ;* temperare et *frangere* astrologorum voces in eam rem consecratæ esse videntur. Seneca, de Benef. lib. IV, cap. 23 : « non dubium est quin hoc humani generis domicilium circuitus solis et lunæ vicibus suis *temperet :* quin alterius calore alantur corpora, alligantis omnia hyemis tristitia *frangatur.* » Cur vero *Saturni* stella malefica, *Jovis* salutaris habeatur, explicuit Macrob. Sat. I, 19, De Somnio Scipionis. Horat. Od. II, 17, 17 sq. Vid. sup. not. 45 : ..... « Te *Jovis* impio Tutela *Saturno* refulgens Eripuit. »

Propertius, lib. IV, Eleg. I, vers. 83 et seq.

> Felicesque *Jovis* stellas, Martisque rapacis
> Et *grave Saturni* sidus in omne caput.

Juvenal. Sat. VI, vs. 569 :

> . . . . Quid sidus triste minetur
> *Saturni*.

Var. 51. *Nescio quod, certe est, quod me tibi temperat astrum.* — Legitur et in MMS. Codicibus *temperet*, quod vetustissimæ quædam retulerant editiones. *Temperat* exigit correctio constructionis.

Not. 51. *Nescio quod, certe est, quod me tibi temperat astrum.* — —Ordo constructionis : est certe quoddam astrum, quodnam sit nescio, quod etc...—*Me tibi temperat;* admiscet, consociat alium alii, græce συγκεραννύ, συγκολλᾷ, ut optime monet Casaubonus. — Sic concludit Persius, qui superioribus versibus quasi dubitare videbatur quodnam foret astrum, an *Libra*, an *Gemelli*, an *Jovis* sidus, quo ducente amborum vita regeretur. Hic Casaubonus haud ita feliciter notat non hæc dici Persio de natali suo ac de Cornuti, qui convenire aut consentire non potuerint, quod alius ab alio longe ætate differret. Convenire tamen potuerunt die natali, eodem astrorum recursu. Sed quorsum hæc? In omni hoc loco a vers. 45 ad vers. 51 sequitur Horat. Od. II, 17, 17—24.

Not. 52. *Mille hominum species, et rerum discolor usus.* — Varia tangit studia hominum, quibus opponat Cornuti studium, cæteris omnibus longe præstans, scilicet studium philosophiæ. — *Mille hominum species;* variant mille modis figuræ hominum. *Species* volunt fere omnes dici translate pro natura, ingenio. Quidni dicatur proprie? — *Et rerum discolor usus;* varii rerum colores, ita ut varium in modum utamur.

Not. 53. *Velle suum cuique est, nec voto vivitur uno.* — *Velle suum cuique est;* ut variant *specie* et ingenio, ita et voluntate. — *Nec voto vivitur uno;* ut res unaquæque suum habet colorem, ita alii aliis ducimur. Idem dixit, sed aliter ac Horatius, Sat. II, 1, 26 sqq.

> Castor gaudet equis; ovo prognatus eodem
> Pugnis. Quot capitum vivunt, totidem studiorum
> Millia.

Virgil. Eclog. II, 26.

> Trahit sua quemque voluptas.

Jam ante omnes dixerat Lucilius, Fragm. : « Quod tibi magnopere cordi est, mihi vehementer displicet. »

Not. 54. *Mercibus hic Italis mutat sub sole recenti.* — Quædam affert in exemplum quam varia sint hominum studia, ac primo amorem

negotiandi, quem exprimit per periphrasim huic Horatianæ similem, Sat. I, 4, 29:

> Hic mutat merces surgente a sole, ad eum, quo
> Vespertina tepet regio.

Idem, Epistol. I, 1, 45:

> Impiger extremos curris mercator ad Indos.

Ex quibus exemplis satis manifestum est Indiam, Arabiam cæterasque Orientis partes adiisse Romanos, quos vult Casaubonus progressos Ægypto et Alexandriæ tenus, neque ultra. Emporium quidem Alexandrinum celeberrimum fuit; atque ibi potissimum Romani negotiabantur; Persianis tamen temporibus et longius navigabant ad Africæ et Asiæ urbes. Ante usum æris, commercium permutatione rerum constabat.

Not. 55. *Rugosum piper et pallentis grana cumini.* — Synecdoche pro mercibus Orientis omne genus. — *Rugosum piper;* Plin. H. N. XII, sect. 14: « Hæ (*piperis siliquæ*) priusquam dehiscant, decerptæ tostæque sole faciunt quod vocatur piper longum; paullatim vero dehiscentes maturitate, ostendunt candidum piper: quod deinde tostum solibus, colore *rugis*que mutatur. » Petebatur porro piper ab Indis et Caucasi fronte orientali. — *Et pallentis grana cumini;* Plin. H. N. XIX, sect. 47: « Omne *cuminum pallorem* bibentibus gignit: ita certe ferunt Portii Latronis clari inter magistros dicendi assectatores similitudinem coloris studiis contracti imitatos. » Horat. Epist. I, 19, 17, ubi ridet imitatores:

> . . . . . Quod si
> Pallerem casu, biberent exsangue *cuminum.*

Hic notari potest *exsangue cuminum*, similis hypallage huic Persianæ *pallentis cumini*, quia *pallorem* ingenerat *cuminum.*

Var. 56. *Hic satur irriguo mavult turgescere somno.* — Sic habent MMS. Codices 8048, 8055, 8273 et laudatissimæ editionum. At MMS. 8070 edit *torpescere*, quod est optimæ latinitatis, sed videtur minus esse Persii quam *turgescere.*

Not. 56. *Hic satur irriguo mavult turgescere somno.* — Nunc describit hominem alius studii ac mercaturæ, eum nempe qui inter *somnum* et epulas omne terit tempus ævi; cibo enim præter modum oppletis solet obrepere *somnus. Somno* autem indulgentibus et gulæ evenit, ut pinguescant, *turgescant.* Unde Sulpic. sat. 56:

> Plebs, materque una *somno* moriuntur *obeso.*

— *Somno irriguo;* verba sunt de *somno* apud poetas solemnia *irrigare, irriguus.* Virgil. Æneid. I, 691 sqq.

> . . . . placidam per membra quietem
> *Irrigat.*

Quo loco Heyn. observat eam locutionem jam antea esse Lucretio usurpatam, et sæpe sæpius recurrere apud Homerum : ὑπὸ γλυκὺν ὕπνον ἔχωσιν; et περὶ δ' ἀμβρόσιος κέχυθ' ὕπνος. Nata autem, ait Heynius loquendi forma ex notione humoris, forte a rore ducta, quo herbæ perfunduntur; primum nocti, tum somno adjuncta, unde ὑγρὸς ὕπνος, etc. — *Mavult* quamdam habet vim ironicam.

Not. 57. *Hic campo indulget; hunc alea decoquit.* — *Hic campo indulget;* aut *campo* Martio, aut agriculturæ, aiunt vetus scholiastes et Britannicus; sed nusquam fere accipitur *campus* pro agro, agello, rure. Jam vero *indulgere campo* Martio est, aut inservire ambitioni quia in *campo* Martio comitia habebantur, aut indulgere ludicris certaminibus, quia in *campo* Martio sese exercebant. Horat. Od. I, 8, 3 :

. . . . Cur apricum
Oderit *campum.*

Id. Epistol. ad Pison. 307 :

Ludere qui nescit *campestribus* abstinet armis.

Posterior sensus convenire melius videtur cum exemplis Horatianis, cum *indulgere* et cum omni tenore loci, ubi de minoribus agitur studiis, quibus homines detinentur et vitam disperdunt. — *Hunc alea decoquit;* verbum ex eo petivit, quod fit de iis qui aleæ nimio studio laborant : conficiuntur, destruuntur, *decoquuntur.* De aleatoriis ludis vide Sueton. August. Vit. et passim; Horat. passim et Juvenal. I, 88, alibique.

Var. 58. *Ille in Venerem est putris, Sed quum lapidosa chiragra.* — Plerique MMS. legunt : *In Venerem putris,* dempto *est*, quod alii ferunt et quidem optimæ laudatissimæque editionum. Legitur quoque per corruptelam *putrix, pulvis*, etc. At Casaubonus edit *putret,* neque monet qua fretus auctoritate, eo fortasse quod hæc quoque in MMS. Codicibus recurrat mendosa lectio *putris et*, quam contraxerit in *putret*, vel eo quod apud vet. scholiast. legitur; *In Venerem putrit.*»

Not. 58. *Ille in Venerem est putris : sed quum lapidosa chiragra.* — *Ille in Venerem est putris;* dicere debuit : *ille* deditus *est Veneri;* sed suo more dixit, et exquisitiori. Dicit igitur illum, qui sit deditus Veneri, esse *putrem* e nimio voluptatum usu, quibus corpus corrumpitur, et elanguet *in* rem *Veneream.* Quod *putrem esse*, vel putrescere dicunt Latini, hoc Græci τήκεσθαι, σήπεσθαι. Quod vitæ genus tangit Persius, dicitur et Græcis ὑγρὸς βίος. Horat. Od. I, 36, 17 : Vid. nost. Ed. tom. I, p. 160, ibique not.

Omnes in Damalim *putres*
Deponent oculos.

Virgil. Georg. IV, 198 sq :

Quod nec concubitu indulgent, nec corpora segnes
In Venerem solvunt.

— *Sed quum lapidosa chiragra;* — *lapidosam* vocat *chiragram* a lapidi-

bus qui in articulis per eum morbum concrescunt. Hor. Epist. I, 1, 31, vocat eamdem *chiragram* nodosam; et Sat. II, 7, 15, justam.

Not. 59. *Fregerit articulos, veteris ramalia fagi. — Fregerit articulos;* sequitur Horatium, Sat. II, 7, 15 sq.

Postquam illi justa *chiragra* (vel *cheragra*)
Contudit *articulos.*

— *Veteris ramalia fagi;* metaphorice pro membra corporis senescentis et arescentis nimio vini et Veneris usu. *Fagi* vetustate jam aridæ rami citissime humore putrescunt et corrumpuntur. Plin. Hist. Nat. XVII, sect. 79. Sæpius recurrit apud antiquos similitudo hominis cum arbore, sed inversa, ut docent philosophi; caput enim respondet proportione radici.

Not. 60. *Tum crassos transisse dies lucemque palustrem. — Tum crassos transisse dies;* i. e. *dies* in aere *crasso* transactos. — *Lucemque palustrem;* idem dicit alia ratione. Vita transiit non in aere tantum *crasso* et nubilo, sed etiam in luto ac fumo, qualia sunt supra *paludes.* Pers. intelligit tenebras, sordes ac flagitia, quibus libidines involvunt et infuscant animos. Cic. pro Sext. c. 9: « Quis enim clavum tanti imperii tenere et gubernacula reipublicæ tractare in maximo casu ac fluctibus posse arbitraretur hominem emersum subito ex diuturnis tenebris lustrorum et stuprorum. »

Var. 61. *Et sibi jam seri vitam ingemuere relictam.* — Legitur et in nonnullorum MMS. *miseri* pro *seri,* quod edunt MMS. mei Codices laudatissimæque editionum, quodque anteponendum videtur.

Not. 61. *Et sibi jam seri vitam ingemuere relictam. — Jam seri;* hellenice et poetice pro *jam serius. — Ingemuere;* sensere cum acerrimo doloris sensu. — *Vitam sibi relictam; relictam* quasi reliquam, sed felicius. Potest et aliò sensu accipi hic versus; scilicet ingemiscunt, sed serius, vitam esse sibi *relictam,* omissam, perditam.

Not. 62. *At te nocturnis juvat impallescere chartis. — At te juvat;* a descriptione vulgi studiorum redit ad laudem philosophici studii, cui se dedit Cornutus. — *impallescere nocturnis chartis;* poetice pro studere, quod dicitur sæpe sæpius vigilare et *pallere,* quia *pallorem* contrahit, qui studiis *noctu* et ad lychnum incumbit. Respice ad primam, 26: « En *pallor* seniumque. » Horat. Art. Poet. 269:

Nocturna versate manu, versate diurna.

Var. 63. *Cultor enim juvenum purgatas inseris aures.* — Sic edendum puto cum Kœnig, ex fide meorum MMS. — Legerant Casaubonus et priores: *Cultor enim juvenum es: purgatas inseris,* etc. Sic enim ferunt MMS. Codices nonnulli. Verum lectio recentior videtur convenientior. Uno enim tenore constructionis inclusa videntur hæc verba: *cultor, inseris purgatas,* et *fruge.*

Not. 63. *Cultor enim juvenum purgatas inseris aures Fruge Clean-*

thea. — *Cultor enim juvenum;* translata expressio, ut eæ quæ sequuntur, ab agris colendis, et longe honestior quam si dixisset : magister es, aut præceptor.—*Purgatas aures;* antequam semina injiciantur, *expurgatur* ager herbis sterilibus et noxiis: sic vitiis animus, *aures,* antequam tradatur doctrina. — *Inseris fruge Cleanthea;* præceptis ornas philosophiæ, sed figuram continent. Pro philosophia autem dixit *fruge Cleanthea,* eo quod Cornutus erat e schola Stoicorum, cujus inter principes ille *Cleanthes* celeberrimus Zenonis discipulus et successor, magister vero Chrysippi. De Cleanth. Vid. Menag. ad Diogen. Laert. VII, 168, sqq.; Cicer. Acad. Quæst. I, 41; Eumd. De Nat. Deor. I, 37.—Translationes ab agricultura ad institutionem apud antiquos frequentissimæ. Cicer. Tuscul. Quæst. lib. II, cap. 13: « Cultura animi philosophia est, quæ extrahit vitia radicitus, et præparat animos ad satus accipiendos, eaque mandat his, et, ut ita dicam, *serit,* quæ adulta fructus uberrimos ferant. » Plutarch. in libro de Educat. puerorum.

Not. 64, 65. *Petite hinc, juvenesque senesque, Finem animo certum miserisque viatica canis.* — *Hinc;* e philosophia, e schola Cornuti. — *Petite juvenesque senesque;* sic Horat. Epistol. I, 1, 26:

Æque neglectum pueris *senibusque* nocebit.

— *Finem animo certum;* princeps philosophiæ quæstio erat apud antiquos, præcipue apud Stoicos, de stabiliendo recto fine; de quo jam superius dixit Pers. III, 60:

Est aliquid quo tendis, et in quod dirigis arcum.

Senec. Epist. 75 : « Vita sine scopo vaga. » — Scire debet, quid petat ille, qui sagittam vult mittere, et tunc dirigere et moderari telum; errant consilia nostra, quia non habent quo dirigantur. » Horat. Epist. I, 2, 56 : *Certum* voto pete *finem.* — *miserisque viatica canis;* dixit *canos* pro senectute; *miseris,* quia senectus habet multum miseriarum. *Viatica;* vetus est metaphora de comparandis vitæ et senectuti bonis. Tribuitur hæc vox Aristoteli, et, ut aliis placet Bianti : ὁ παιδεία κάλλιστον τῷ γήρᾳ ἐφόδιον (doctrina optimum senectuti *viaticum.*) Vid. Laert. lib. I; Cicer. De Senec. sect. 9. *Viaticum* dicitur, id omne quod ad faciendum iter est necessarium: inde concludit nos in hac vita peregrinari, et ad aliquid melius tendere.

Var. 66, 67. *Cras hoc fiet.* — *Idem cras fiet.* — *Quid, quasi magnum? Nempe diem donas.* — Edit MMS. Codex 8048 : *Cras hoc fiat*; cui anteponendum videtur lectio cæterorum manuscriptorum et laudatissimarum editionum : *Cras hoc fiet.* Reliqua pars versus : *quid quasi magnum* non uno modo interpungi potest. Sic facit Casaubonus : *Quid? quasi magnum nempe diem donas.* Atque explicat *quid* per *quid* postea *quid* proinde, quo sensu sæpe sæpius recurrit apud Ciceronem et probatissimæ latinitatis auctores. Græce hoc idem dicitur : οὐδὲν παρὰ τοῦτο. — Placuit magis legere cum Kœnig : *Quid, quasi magnum?* subaudito *donas.* Sic videtur fluere commodius tenor orationis.

Not. 66, 67. *Cras hoc fiet.* — *Idem cras fiet.* — *Quid, quasi magnum? Nempe diem donas.* — Solemnis illa est apud Persium figura, dialogismus. Hic vult exprimere, ut de die in diem differant desidiosi studium philosophiæ: fingit igitur sibi succlamare unum e multis: *Cras hoc fiet.* — Cui ipse reponit : *idem cras fiet.* — Subjicit vero desidiosus reluctans et indignans : *Quid, quasi magnum*, etc. — Similem habet et sententiam et sententiæ formam Martial. V, 58, 1 sqq. Vid. nost. Ed. tom. II, p. 77.

Cras te victurum, *cras* dicis, Posthume, semper.
Dic mihi, *cras* istud, Posthume, quando venit? . . . .

Apparet vero ex Epicteti Enchiridio, cap, LIX, ex Arriani Dissertat. IV, 12, itemque e Senecæ libris familiare fuisse in ore Stoicorum præceptum : *Parce tempori.* — *Quid, quasi magnum?* est impatientis et indignantis vox, quod sibi ne unius quidem diei, quod tam parvum est, concessio fiat. *Nempe;* emphatice quasi dixisset : nihil amplius.

Var. 67. *Sed, quum lux altera venit.* — Legitur in Codice Achaintriano : *Sed jam lux altera venit*; quæ satis et ipsa convenit lectio, minus tamen habere videtur simplicitatis et latinitatis.

Not. 67. *Sed, quum lux altera venit.* — *Sed,* spectat ad id, quod subauditur quidem, satis vero suppletur, dilatio unius diei parva quidem per se res est; *sed*, etc. — *Lux altera;* dies secunda, quæ insequitur.

Var. 68. *Jam cras hesternum consumpsimus.* — Legitur sic hic versus in notis Servii ad Virgil. Æneidos V : « *Jam cras hesternum, heu! consumpsimus.* »

Not. 68. *Jam cras hesternum consumpsimus.* — Mane, *cras*, cæteraque id genus adverbia elegantissime pro nominibus usurpantur. Pers. super. III, 1 : « Jam clarum *mane* fenestras. » — *Jam consumpsimus;* jam nulla est illa quam tibi concedi postulabas dies; sic hodiernus semper perditur dies; sic tota effluit vita. Senec. De Brevitate Vitæ: « Maximum vivendi impedimentum est expectatio quæ pendet ex crastino. *Perdis hodiernum :* quod in manu fortunæ positum est, disponis; quod in tua, dimittis. » Epicuro hæc tribuitur sententia : ὁ πάντων βίος μελλησμῷ παραπόλλυται. (Omnium vita dilatione disperditur).

Not. 69. *Ecce aliud cras Egerit hos annos, et semper paulum erit ultra.* — *Ecce aliud cras;* vividius dictum et ita ut optime intelligatur quam cito tempus elabatur, quam improviso *cras* atque *aliud cras* adsit. — *Egerit hos annos;* dicitur *egerit* ab *ago* non ab egero, ut Pratæo placet; videtur locutio et vividior et probandæ magis latinitatis, si tempus verbi sit potius perfectum, quam præsens. *Hos annos;* nota vim verbi *hos*, scil. *hos* præsentes, hos datos; quod meam opinionem confirmat de *egerit*, emiserit, transmiserit, truserit. — *Et semper paulum erit ultra;* sub audi *cras :* scilicet et nunquam aderit, neque veniet, tuum *cras*, sed semper erit paululum ulterius, ita ut nunquam contingas; quod insequenti comparatione felicissima rursus expressit. Hic sensus, quem

verum esse et Kœnig et ipsa ratio satis comprobant, nostrum fallit Casaubonum qui dicit : « Paulatim semper erit tibi ætas grandior, et propius ad metam accedes. »

Not. 70. *Nam, quamvis prope te, quamvis temone sub uno.* — Quod superioribus versibus dedit intelligendum, nunc repetit et illustrat comparatione audaci et clara, quales sunt Stoicorum et nostri poetæ. Hæc est comparatio instituta inter hesternum diem qui contingit nunquam crastinum, et rotam posterioris axis in curru, quæ contingit nunquam rotam antecedentem prioris axis, quamvis proxima sit; sed, quo magis habeat oratio singularitatis ac roboris, ipse dicitur Persio procrastinator esse *rota posterior*, quæ *prope* se et *sub uno temone* currentem rotam antecedentem insequatur, neque unquam contingere possit. Cæterum forma comparationis vividissima non sola videtur esse Persii, verum et ipsa comparatio, quam nulli ante nostrum auctori referre possumus.—*Temone sub uno;* duos enim axes *unus* jungit *temo.*

Not. 71. *Vertentem sese frustra sectabere canthum.* — Pro *currentem* dixit felicius *vertentem sese.* — *Frustra sectabere;* est onomatopœa. — *Canthum;* Quintilian. lib. I. Inst. Orat. cap. 5 : « Barbarismum pluribus modis accipimus, unum gente, quale si quis Afrum vel Hispanum Latinæ orationi nomen inserat, ut ferrum, quo rotæ vinciuntur, dici solet *canthus*, quanquam eo, tanquam recepto utitur Persius. »

Not. 72. *Quum rota posterior curras et in axe secundo.* — Audacissima est locutio *curras rota posterior etc.*, ut jam monuimus. Citant interpretes hos C. Symposii versus in Ænigmate, LXXVII;

> Quattuor æquales currunt ex arte sorores,
> Sic quasi certantes, quum sit labor omnibus unus,
> Et prope sunt pariter, nec se contingere possunt.

Confer. in eadem sententia, Horat. Epistol. I, 2, 41 sq. Ovid. Metamorph. XV, 179 sqq.

Var. 73. *Libertate opus est, non hac quam ut quisque Velina.* — Edunt 8048, 8055, 8070 MMS. Codices : *non hac ut quisque Velina;* suppresso *quam*, quod tamen necessarium videtur ad constructionem, neque vero omnino necessarium est: Siquidem *emeruit* vel potius *emeritus est* alio sensu acccipi potest ac ego accepi, restituto in versu *quam*. 8273 edit *non hac, qua ut quisque Velina;* quæ lectio et ipsa probari potest. — Recepi *quam*, quia convenit magis ad constructionem cum *emeruit*, et in MMS. quibusdam legitur.

Not. 73. *Libertate opus est, non hac, quam ut quisque Velina.* — Alteram nunc attingit partem operis, tractationem nempe stoici paradoxi *De Libertate.* — *Libertate opus est;* scilicet bonum illud est homini omnino necessarium, quod vitam faciat vitalem, quod sibi deesse Romani ejus ætatis maxime dolebant. At Persius docet aliam esse *libertatem* ac civilem atque corpoream, nempe *libertatem* animi, quam sibi ipse sapiens provideat et comparet. Sic poeta amissa republica conso-

latur æquales, et hortatur ne vitas mancipent ipsi inhonestis et miserrimis cupiditatibus: sapienti licet esse *libero* et beato, vel imperante Nerone. Hæc est in hac disputatione Persiana mens, ni fallor, quam non satis intellexisse videntur Casaubonus, Kœnig cæterique commentatores. Mihi meam persuadent sententiam quum hominis ingenium, et vita, et cætera scripta, tum versus insequentes et hi potissimum versus, in fine hujusce operis recurrentes:

> Dixeris hæc inter varicosos centuriones:
> Continuo crassum ridet Vulfenius ingens,
> Et centum Græcos curto centusse licetur.

Scilicet hic ridet centuriones, quod isti ridebant philosophos. Pugnabant inter se vis moralis visque physica. Altera nitebantur virtus et *libertas;* altera vitium et tyrannis. — *Velina;* statim ac jus consequebatur civitatis unus e libertorum, uni tribuum adscribebatur, puta *Velinæ*. Scilicet « qui *Velinum* circa lacum habitabant, Romam translati sunt; et *Velina* tribus numero aliarum accessit. » Vett. Gloss.; Alexand. ab Alex. lib. I, cap. 17.

Not. 74. *Publius emeruit, scabiosum tesserula far Possidet.* — Pergit libertinum describere ab effectis ejus libertatis. — *Publius;* manumissus nomine Romano donabatur, nomine manumissoris, h. l. *Publii.* — *Emeruit;* obtinuit per *merita*, consecutus est. Variæ variis reipublicæ temporibus exstiterunt leges de manumissione ac libertate. Ante Persium novissima videtur Norbana ab an. U. C. 771; ex qua plenam libertatem ii tantum nanciscebantur, qui vel per vindictam, vel per censum, vel per testamentum libertate erant donati. Hi soli quoque omnium commodorum, quibus cives Romani fruebantur, participes erant. Quæ vero erant ista commoda? Unum quidem et parum nomine Romano dignum, cujus hic meminit Persius, donari frumento. Sueton. Cæs. 41. — *Scabiosum far;* indicat munusculi vilitatem, frumentum scilicet, ut in granariis publicis sæpe accidit, a gurgulionibus exesum vel situ corruptum. Proprie *scabies* idem ferme est frumenti morbus ac rubigo. — *Tesserula;* signum erat *tessera*, quod dabatur iis, quibus frumentum promissum erat. Quæ tessera inscripta erat et nomine ejus qui acciperet et nomine ejus tribus, aut numero quantum acciperet. Nomina civium, ut sciretur, quibus *tesseræ* essent datæ, tabulis æratis inscribebantur, aut æneis incidebantur. Casaub. ad Sueton. Aug. 40; Dio Cassius, LX, 10; Juvenal. VII, 174, ubi Ruperti; Senec. De Benefic. IV, 28. *Tesserulam* autem dixit Persius potius quam *tesseram*, ad rem minuendam, satirice, quemadmodum dixit *possidet;* præclaram vero possessionem! Quam tamen non sola libertas largiatur, nisi accepta *tessera, tesserula:*

Var. 75. *Heu steriles veri, quibus una Quiritem Vertigo facit.* — Sic edunt MMS mei Codices 8048, 8070, 8273 laudatissimæque editionum. At 8055 fert *quos* pro *quibus*, quæ lectio, etsi facit duriorem multo constructionem, tamen et ipsa recipi potest, præsertim si commutes *Quiritem* in *Quirites*.

Not. 75. *Heu steriles veri, quibus una Quiritem Vertigo facit.* — *Heu steriles veri;* hæc illa est miseratio Stoicorum despectantium homines; sic superius : *O.... cælestium inanes;* ubi similem notes dicendi formam. — *Quibus;* si vobis, quum vobis.— *Una vertigo;* inter varios manumissionum ritus fuit quæ hic dicitur *vertigo*, Græce περιδίνησις, περιστροφή, quum manu mittendus dextra prehensus circumagebatur domino, coram prætore, unde dicit paulo inferius : *verterit hunc dominus.* Senec. Epistol. VIII : « Philosophiæ servias oportet, ut tibi contingat vera libertas. Non differtur in diem, qui se subjecit et tradidit. Statim *circumagitur.* Hoc enim ipsum philosophiæ servire libertas est. » — *Facit Quiritem;* honestissimo illo vocabulo utitur, quo cives Romanos in concionibus, in comitiis appellabant, idque facit consulto : opponit enim hoc verbum his præcedentibus, *vertigo una.*

Var. 76. *Hic Dama est, non tressis agaso.* — Vetus interpres et Britannicus monent hæc esse legenda cum interrogationis puncto : *non* pro *nonne*, aiunt. Videtur verosimilior et latina magis lectio posteriorum, quam sequor. Legisse videtur Scaliger in suis MMS. *trissus* pro *tressis*, quod edunt nostri. Utrumque probari potest, quoniam a Græco, τρεῖς derivatur.

Not. 76. *Hic Dama est, non tressis agaso.* — *Hic Dama est;* monet hunc *Quiritem* esse *Damam*, quod nomen est servile, contractum ex Δαμήτριος, Δημᾶς, *Dama*, ut a Μανίδωρος, Μηνᾶς, Mena, a Θεόδωρος, Θευδᾶς, Theuda. Horat. Satir. II, 7, 59 :

. . . . . Prodis ex judice *Dama*
Turpis.

— *Non tressis agaso;* a tribus assibus *tressis*, et sic proportione usque ad *nonussis. Agaso* a græco ἄγω, ἀγάζω, ἀγάζων; conductor quilibet vilissimus pecorum.

Not. 77. *Vappa, et lippus, et in tenui farragine mendax.* — *Vappa* proprie vinum insipidum. Plin. maj. XIV, 20; translate homo nequissimus et nebulo Horat. Sat. I, 1, 104. — *Lippus;* proprie qui laborat oculis dicitur *lippus;* translate homo nihili. — *In tenui farragine;* proprie est *farrago* pabulum quadrupedum e genere tritici, mistura herbarum et leguminum. Respice ad primam, versu 80, ubi *sartago*, quæ vox eadem ferme est. H. l. significat in rebus minutissimis ejus servi administrationi commissis. — *Mendax;* qui mentiendo fallit dominum.

Not. 78. *Verterit hunc dominus, momento turbinis exit Marcus Dama.* — *Verterit hunc dominus;* alludit ad eam de qua paulo superius diximus circumactione ad Prætorem, ut servus manumitteretur: Stoica est ironia. — *Momento turbinis;* simul ac circumactus est, vel potius rotatus. — *Exit;* sæpe sæpius usurpatur de iis rebus, quæ formam novam accipiunt subito. Horat. in Arte, 22 :

. . . . . currente rota cur urceus *exit.*

Conquisita hæc omnia ad rei vilitatem. — *Marcus Dama;* ille servus

servili nomine *Dama*, fit, acquisito nomine domini civili *Marco*, *Marcus Dama*. Nomen enim et prænomen libertini mutuabantur a patronis. Horat. Sat. II, 5, 18; Id. ibid. 32.

Not. 79. *Papæ! Marco spondente, recusas Credere tu nummos?* — Exclamatio est *papæ* Stoici cum mordaci risu admirantis. — *Marco spondente*, etc.; describit varia civis Romani munia, quibus adimplendis iste servulus jam par factus est. Pro aliquo *spondere* unum ex istis civis Romani muniis, quæ verba sunt Stoici continuantis ironiam. Scilicet *Marcus* ille qui spondet, idem est ac *Dama* qui servus erat in *tenui farragine mendax*. — *Recusas credere tu nummos;* admiratur quod recusent homines confidere huic servulo *spondenti*, ubi sit factus *Marcus*. *Tu* non sine aliqua ratione contemptus ironice dictum est ei qui *recuset*.

Not. 80. *Marco sub judice palles?* — Alterum est munus civis Romani judicem fieri. Quidni autem *palleret*, qui in jus vocatur? Nam quæ fides ejusmodi hominis esse potest, qui sedeat *judex?* Ex hoc loco patet juratos accessisse ad judicia etiam libertinos; quod jus perstringit Persius, si Casaubono credatur.

Not. 81. *Marcus dixit: ita est; assigna, Marce, tabellas.* — Pergit hominem libertinum describere. Scilicet ubi illi dixit aliquid esse, quis possit de hoc dubitare? Quis possit adhibere obsignatorem testamenti magis fide dignum? *Marcum*, ut supra, sæpe sæpius repetit per ironiam. Verba hæc omnia Casaubonus dicit audienda de cliente patronum *Marcum* adulanti. Quidni de ipso Persio irridenti? paulo altius interdum inspicit Casaubonus.

Var. 82. *Hæc mera libertas! hanc nobis pilea donant:* — MMS. mei Codices 8048, 8055, 8070 ferunt: *Hæc mera libertas, hoc nobis pilea donant.* Quæ lectiones et ipsæ probari possunt. *Hæc;* scilicet *hæc* munia, *hæc* privilegia spondendi, judicandi, obsignandi, etc. Altera vero lectio, quæ plus habet auctoritatis in MMS. Codicibus Germanorum, magis est Latina. Potest totus versus legi eodem tenore orationis quo præcedentes, ita ut sit conclusio, epiphonema; potest legi eodem tenore quo insequentes ita ut ab illo objectio incipiat. Ad alterum sensum prætulerim lectionem *hoc*, quam sequitur Casaubonus.

Not. 82. *Hæc mera libertas! hanc nobis pilea donant:* — *Mera;* ironice, qua nulla alia purior sit, quoniam hanc *donant pilea*. Quasi vero tantum habeat virtutis *pileum*, aut, ut superius dixit, vertigo. *Pileum* manumissi in templo Feroniæ capite raso induebant. Tit. Liv. XXXIV, 52; Plaut. Amphitr. act. I, sc. 1, versu ultimo; Noster, III, 106.

Not. 83, 84. *An quisquam est alius liber, nisi ducere vitam Cui licet ut voluit? licet ut volo vivere; non sim Liberior Bruto?* — Fingit succlamare aliquem e multis, ac velle per syllogismum demonstrare liberum esse, qui jus civitatis per vindictam consecutus fuerit. Fingit autem per syllogismum argumentari, quia vult irridere. Est enim minoris animi

et tironis affectare formas argumentationis, et morari circa syllogismum componendum. — *Est liber... ducere vitam Cui licet ut voluit;* hæc est prior pars syllogismi, quæ dicitur major. Hæc autem définitio libertatis recurrit sæpe sæpius in schola Stoicorum: libertas potestas vivendi, ut velis. Apud Laert. in Vit. Zenonis : « Ἔστιν ἡ ἐλευθερία ἐξουσία αὐτοπραγίας. » Epictet. apud Arrian. II, 1 : « Ἐλεύθερος ἐστιν ὁ ζῶν ὡς βούλεται. » Cic. Paradox. V; Id. Off. I. — *Licet ut volo vivere;* altera pars est syllogismi, quæ dicitur minor. — *Non sim liberior Bruto;* conclusio est. Sumitur autem Bruti nomen pro ipsa libertate, sive ille Brutus sit Tarquiniorum expulsor, sive ille interfector Cæsaris.

Not. 85, 86. — *Mendose colligis, inquit Stoicus hic, aurem mordaci lotus aceto.* — Responsio est ad superius argumentum, confutatio syllogismi. — *Colligis;* solemne verbum de argumentis et ratiocinationibus. — *Stoicus hic;* vel *ego Stoicus,* nam sæpius *hic* sumitur hoc sensu, quemadmodum αὐτὸς in græco; vel *Stoicus hic,* quem alloquor, nempe Cornutus. Verosimilior posterior interpretatio. Potest sumi quoque *Stoicus hic,* pro *Stoicus* quilibet. — *Aurem mordaci lotus aceto;* quasi dixisset *auris* purgatissimæ, h. e. judicii acrioris. Metaphora ducitur ab aceto quia purgantur *aceto* vasa. Celebrantur Stoici propter logicæ suæ peritiam, quæ interdum nimis arguta fuit. Unde Cicero, De Fin. III, 3: «Stoicorum subtile fuit vel potius spinosum dicendi genus. »

Var. 87. *Hoc reliquum accipio :* licet *illud et* ut volo *tolle.* — Sic posui ex fide meorum MMS. Godicum atque veteris scholiastis. Sic posuere laudatissimi editorum Casaubonus, Pratæus, Kœnig. Edunt tamen et nonnulli MMS. Codices et quidam editores : *licet ut volo vivere tolle;* quæ lectio et ipsa probabilis. Prior tamen paulo elegantior videtur, quum ea tantum verba resumat, quibus potissimum contineatur συλλογίζοντος error : *licet* et *ut volo.*

Not. 87. *Hoc reliquum accipio :* licet *illud et* ut volo *tolle.* — Probat et *accipit* reliqua verba syllogismi, majorem videlicet, illam definitionem libertatis petitam e schola Stoicorum. At minorem rejicit et ut *tollat* obsecrat. Jamjam enim demonstrabit non posse illum vivere ut velit, qui non vivat ex virtute.

Not. 88. *Vindicta postquam meus a Prætore recessi.* — Miratur, qui dicere ex adverso fingitur non recipi totum syllogismum suum, ac reponit, qui fieri potest ut non liceat mihi facere quidquid libeat, ubi me juris mei fecit Prætor. Græci Jurisconsulti : « βινδίκτα, » ῥάβδος μεθ' ἧς ὁ ἄρχων ἢ ὁ πραίτωρ τὸν τοῦ ἐλευθερουμένου κεφαλὴν ἔπαιον φάσκοντες· φαμὲν τὸν παρόντα ἄνθρωπον εἶναι ἐλεύθερον καὶ πολίτην Ῥωμαῖον. Vindicta, virga qua Archon vel Prætor libertini caput percutiebant dicentes : renuntiamus hunc præsentem hominem liberum esse et civem Romanum.—*Meus;* h. e. mei juris, liber.

Not. 89. *Cur mihi non liceat jussit quodcumque voluntas.* — Repetit suum *licet ut volo vivere,* sed aliis verbis.

Var. 90. *Excepto, si quid Masuri rubrica vetavit.* — Edit MMS. Codex 8048: *vetarit*, quod, etsi videtur primo aspectu probæ magis latinitatis, tamen sensum efficit minus probabilem. Neque enim dubitari potest an *vetaverint* aliquid leges; *vetaverunt* multa, hoc constat. Ergo melius ponitur indicativum.

Not. 90. *Excepto, si quid Masuri rubrica vetavit.* — Dicere voluit: exceptis modo, quæ prohibent leges. Pro legibus posuit *si quid*, h. e. quidquid, *Masuri rubrica vetavit.* Fuit ille *Masurius* Sabinus, eques Romanus, legisconsultor peritissimus, Tiberio imperante. De hoc vid. Vett. Gloss.; Aul. Gell. lib. V, cap. 19 et passim; Athenæum lib. XIV. Reliquit *Masurius* inter alia tres libros de Jure Civili. Bach. Hist. Jur. pag. 404, edit. 1765, Lips. Igitur *Masuri rubrica* pro: leges civiles. *Rubricam* exponit vetus interpres minium, quo tituli legum inscribebantur. Juvenal. XIV, 192 sqq.; Quintilian. Inst. XII, 3. Non purum vero adhibebant minium, sed ceram illam miniatam, cujus meminere, et Tullius, et Vitruvius, et alii multi.

Not. 91. *Disce, sed ira cadat naso rugosaque sanna.* — Reponit adversario Persius: dicam equidem, modo responsum excipere velis neque iratus, neque irridens, quæ duo esse solent eorum, qui rationem impatienter ferant. Inflatus autem *nasus* iram, in *rugas* contractus *sannam* seu contemptum indicat.

Not. 92. *Dum veteres avias tibi de pulmone revello.* — *Veteres avias*, h. e. inveteratas et diu conceptas animo opiniones, quas vel ab *avia* puer didicisse videri potest. Mavult Casaubonus intelligere per *veteres avias* opinionem nobilitatis et arrogantiam ventosam, cujus sedes in *pulmone*. Paulo altius hoc requisitum videtur, ut fit nonnunquam apud eruditissimum hominem. — *De pulmone;* de inani hoc pectore, in quo penitus insederunt. — *Revello;* verbum est exquisitum ad exprimendum et difficultatem et dolorem, quibus ista fiat medicina.

Not. 93. *Non Prætoris erat stultis dare tenuia rerum Officia.* — Quum ex sententia Stoicorum solus is demum sit liber qui sapiat, sapientia vero nulli tribui potest a *Prætore* — *Non Prætoris erat;* quoniam nihil aliud ille potest quam corporis dare libertatem. — *Stultis;* stoica vox est. Ex hac enim schola *stulti* omnes præter unum sapientem; nec solum μῶροι (stulti), sed etiam μαινόμενοι (furentes). — *Tenuia rerum officia; officia* quæ in tenuissimis rebus observentur; quod opponit iis officiis quæ majoribus in rebus sint, quibus qui fungitur vivit ex lege. Seneca, in II De Ira: « Angusta innocentia est ad legem bonum esse. » Tullius, Offic. III. « Aliter leges, aliter philosophi tollunt astutias: leges quatenus tenere manu res possunt; philosophi quatenus ratione et intelligentia. » Seneca iterum, Epistol. XCIV. « Tennes differentias habent (*moralia præcepta*), quas exigunt tempora, loca, personæ. »

Not. 94. *Atque usum rapidæ permittere vitæ.* — *Usum permittere*

vitæ. — *Permittere* vivas, uti velis. — *Rapidæ;* quæ cito transcurrit, quoquo modo utaris. *Usum vitæ*, qualis esse debeat, solus est philosophus qui doceat.

Not. 95. *Sambucam citius caloni aptaveris alto.* — Vivendi esse artem, sicuti aliarum rerum, docet multis exemplis, quorum hoc primum petitur e musica. Facilius est, inquit, efficere, ut citharam pulset vel rudis servus et accommodetur instrumento vel delicatissimo, quam facere, ut Dama rationem sequatur vel in tenuissimis rebus, et uti vita possit. In proverbio videntur ea fuisse apud Latinos : *asinus ad lyram; Sambucam caloni. Sambucam;* vox est syriaca, inquit Casaubonus; Galli harpam vocant; certum est vetustissimos Orientis populos eo organo esse usos; inde transiit ad Græcos et res, et nomen. Athenæus, IV, 23, ubi hæc Casaub. Id. XIV, 8 et 9; Macrob. Sat. II, 10. Fuit et nomen bellici instrumenti. Vitruv. lib. X; Plutarch. in Vit. Marcelli; Polyb. VIII, etc. — *Caloni alto;* erant servi militum *calones*, qui ferrent ligna, græce κᾶλα, vel a *calendis*, quo die cibaria acciperent. *Alto;* hominis indicat crassum corporis habitum et stoliditatem. Sic inferius ad vers. 190 : « Vulfennius *ingens.* »

Var. 96. *Stat contra ratio, et secretam gannit in aurem.* — Sic edunt MMS. Codex 8070, et laudatissimæ editiones. At MMS. Codices 8048, 8055, 8273 ferunt *garrit*, quod recepit Casaubonus aliique. Probabilis æque utraque lectio est.

Not. 96. *Stat contra ratio, et secretam gannit in aurem.* — *Ratio;* vel sensus communis, vel sapientia philosophorum Stoicorum, ὁ λόγος, cui vitam omnem referendam esse Stoici ante philosophos omnes contendebant. — *Stat contra;* adversatur, repugnat. — *Et secretam gannit in aurem;* proprie dicitur *gannire* de canibus, quum ringuntur et immurmurant. — *Secretam in aurem;* vel quia tacite nobiscum *ratio* colloquitur, vel quia, ut vult Casaubonus, stoica dogmata, ingrata vulgo, periculosa apud proceres, caute et timide proferebantur. Sic in VI, 42 :

Paullum a turba seductior audi.

Not. 97. *Ne liceat facere id, quod quis vitiabit agendo.* — Pro : ne facias id quod nescias, dictum elegantius *vitiabit agendo.* Conf. Platon. in Lysid. Edit. Bipontin. tom. V, pag. 225.

Not. 98. *Publica lex hominum naturaque continet hoc fas.* — Hoc et sequenti versu repetit, quod superioribus duobus versibus jam expressit. Non semel enim ejus veritatis fuit admonendus iste qui nescit veram libertatem, erroremque suum defendit argumentando. Minime assentior Kœnig, qui veretur ne vss. 97 et 98 sint insititii, propter similitudinem idearum cum insequentibus.

Not. 99. *Ut teneat vetitos inscitia debilis actus.* — *Inscitia debilis;* scilicet *inscitia* reddit homines quasi *debiles* et ineptos ad rem aliquam trac-

tandam, et, ut dicit Casaubonus, *ἀδιαφία* quædam est. — *Teneat vetitos actus;* abstineat a vetitis: eodem modo hic *tenere* usurpatur, quo apud Horat. in Art. 5: risum *teneatis.*

Not. 100, 101. *Diluis helleborum certo compescere puncto Nescius examen: vetat hoc natura medendi.* — Rem illustrat exemplis; primo hoc a medicina petito. Magnus *hellebori* usus in medicina apud Antiquos, ut patet ex multis ætatis Persianæ auctorum locis. — *Diluis;* misces, apparas. — *Certo compescere puncto nescius examen;* vetus ait interpres: « non ad trutinam, sed ad stateram retulit, quæ punctis et unciis signatur. » Stateram autem rerum pondera verius indicasse quam trutinam docent verba Ciceronis de Orat. II, 38: « Quæ non artificis statera, sed quadam populari trutina examinantur. » — *Natura medendi;* neque ars, neque scientia est medicinæ; sed medendi vis atque facultas. Sequitur Horat. Epist. II, 1, 114 sqq.:

Abrotonum ægro
Non audet, nisi qui didicit, dare. . . . . .

Not. 102. *Navem si poscat sibi peronatus arator Luciferi rudis.* — Alterum est exemplum ab imperito rei nauticæ. Horat. II, Epist. 1, 114:

Navem agere ignarus navis timet.

Poscat; cum delectu, confidentiam enim illam involvit, quæ rudis esse solet et ignorantis. — *Peronatus arator;* fuit *pero* genus calceamenti rustici, prælti, ex corio crudo, quod commodum erat adversus nives, frigora, imbres, minime vero habile nautis. Æneid. VII, 691; Juvenal. XIV, 186. — *Luciferi rudis;* qui notissimam omnium stellam non noverit, nedum alias; quæ notitia est navigantibus omnino necessaria. Virgil. Æneid. 512 sqq.; Id. Georg. I, 137 sqq.

Not. 103. *Exclamet Melicerta perisse Frontem de rebus.* — *Melicerta;* filius Athamantis, Deus maris, qui et Palæmon et Portunus nuncupabatur. Apollod. I, 8, 2; fabulam ejus narrat Ovid. Metamorph. IV, 311 sqq.; Virgil. Georg. I, 407 sqq. — *Exclamet perisse frontem de rebus;* Horat. Epist. II, 1, 80:

Clamant periisse pudorem
Cuncti pæne patres.

Pro *pudore* posuit Persius *frontem,* quæ sit sedes pudoris ac pro ipso pudore, pro verecundia sumatur. Juvenal. XIV, 241 sqq.; Martial. XI, 28, 7.

Not. 104. *Tibi recto vivere talo Ars dedit?* — Redit ex comparationibus ad rem, monetque hominem non posse eum sibi poscere libertatis jura et *usum vitæ,* qui vivere, qui liberum esse non didicerit. — *Recto talo;* pro *recto pede,* ut apud Horat. Epist. II, 1, 176.

Cadat, an *recto* stet fabula *talo.*

Vivere recto talo; locutio est Persiana ab hac usitatiori petita: ὀρθοπο-δεῖν, ὀρθῷ βαίνειν ποδί (*recto ire pede,*), Euripid. Helen. 1465. — *Ars;* philosophia, doctrina, quæ vitæ magistra est, quæ Ciceroni, Senecæ aliisque *ars vitæ* dicitur et *lex vitæ*, Epicteto ἐπιστήμη τοῦ βιοῦν.

Not. 105. *Et veri speciem dignoscere calles.* — *Veri speciem;* falsam imaginem, qua res videntur esse quæ non sunt. Juvenal. XIV, 109 sqq. — *Dignoscere calles;* ironice est dictum.

Not. 106. *Ne qua subærato mendosum tinniat auro.* — Dicere voluit: ne falsa sint, quæ vera videntur; dixit autem per metaphoram ductam e nummo adulterino, qui *maligne respondeat*, ut ipse alias dixit. — *Ne qua*, videlicet *species*, ut dixit versu præcedenti. — *Subærato auro; aurum* est, in quo *æs* latitat immixtum. — *Tinniat mendosum;* falsum edat *tinnitum.*

Not. 107. *Quæque sequenda forent, et quæ vitanda vicissim.* — Bona nempe et mala.

Not. 108. *Illa prius creta, mox hæc carbone notasti.* — Respice ad Sat. I, 110, et ad Sat. II, 1 et 2, ubi de origine locutionis ejus nonnulla.

Not. 109. *Es modicus voti? presso lare? dulcis amicis?* — *Modicus voti;* constructio est apud auctores ejus ætatis usitatior: apud Tacitum sæpius occurrit *modicus pecuniæ, modicus originis*, etc. — *Presso lare;* sumitur *lar* pro domo, pro re familiari, pro vivendi ratione; *premere* pro coercere, refrænare, modum imponere, ita ut *presso lare* esse, significet, vivere frugaliter. — *Dulcis amicis;* quemadmodum sapiens est sibi rigidus et *pressus*, ita remissus et *dulcis amicis.*

Not. 110. *Jam nunc adstringas, jam nunc granaria laxes.* — Continuat et explicat sententiam versu præcedenti inchoatam: *presso lare, dulcis amicis*, ita ut *jam nunc*, modo, *adstringas granaria*, h. e. recondas opes et earum usum tibi moderes, *jam nunc*, modo, *laxes*, largius effundas. Cic. De Offic. 1, 14.

Not. 111. *Inque luto fixum possis transcendere nummum.* — Dicendum fuit: sordidum quæstum dedigneris; dixit autem, per imaginem huic Horatianæ simillimam, Epistol. I, 16,

In triviis *fixum* qui se demittit ob assem.

Jam ante utrumque dixerat Lucilius: « Mordicus petere *aurum* e flamma expediat, e cœno cibum. » Augustin. In V Confession., *luteum* dixit quæstum. Conf. Petron. 43.

Not. 112. *Nec glutto sorbere salivam Mercurialem.* — Expressam jam versu præcedenti sententiam nova repræsentat imagine, et quidem audacissima. *Mercurius* deus lucri; unde *Mercuriales* interdum dicebantur

negotiatores, homines flagrantes lucri cupiditate, sordidi in quæstu faciendo. Se ipsum quidem vocat Horatius *Mercurialem*, sed eo quod *Mercurius* deus habebatur facundiæ et artium, etc. Igitur *saliva Mercurialis* quæstus est in minimis rebus, in sordidissimis. Locutio ista, quæ nobis extraordinaria videtur, non ipsi Persio peculiaris, sed apud Latinos quasi in proverbium abierat. — *Glutto;* ficta vox, ut placet Casaubono, per onomatopœam a *glut*, *glut*, imitatio soni quem edit liquor per angustum tramitem means. Utut sit, *gluttio*, et *gluttire*, et *degluttire* de retrahendis et hauriendis liquoribus ipsaque *saliva* sunt in usu. *Glutto sorbere;* hellenice pro *gluttio*, in sorbendo, ad sorbendum. *Gluttus*, est pars colli, qua cibi transmittuntur.

Not. 113. *Hæc mea sunt, teneo, quum vere dixeris.* — Concludit eum demum esse liberum, cui conveniat superior sapientis descriptio, dicitque ad hominem quocum instituta fuit disputatio : *quum hæc* omnia te tibi habere *vere dixisse* potueris, etc.

Not. 114. *Esto Liberque ac sapiens, prætoribus ac Jove dextro.* — *Esto liberque ac sapiens;* quasi dixisset : jam *liber* es, quia *sapiens.* — *Prætoribus ac Jove dextro;* nihil impediunt neque *prætores*, neque *Jupiter*. *Prætorem* autem nominat, alludendo ad ea quæ dixit superius : « Postquam meus a *Prætore* recessi. » *Jupiter*, populis antiquis nuncupabatur *Liberator*, ἐλευθέριος. Confer. Senec. de vera libertate, Epistol. 51, et Epistol. 75; De *Jove*, Claudian. VIII, 257 sqq.

Not. 115. *Sin tu, quum fueris nostræ paulo ante farinæ.* — *Nostræ farinæ;* sumptum hoc a panibus ad notandam similitudinem, et in proverbium abiit; dicitur autem ad res deprimendas. *Nostræ*, modestiæ et ironiæ causa; neque enim Persius, neque quisquam e schola Stoïcorum tantum sibi arrogat, ut se liberum audeat profiteri, quemadmodum facit homo ineptissimus et vanissimus, usque adeo illi in loco edito et homunculis inaccesso libertatem, h. e. sapientiam, reposuerant! — *Paulo ante;* scilicet *ante* vertiginem apud Prætorem, fuit ille *Dama non tressis agaso*, quo tempore certe fuit ejusdem farinæ ac nos homunculi sumus.

Var. 116, 117. *Pelliculam veterem retines, et fronte politus, Astutam vapido servas sub pectore vulpem.* — Edunt 8048 aliique Codices : *retinens.... polita.... servans;* at 8055, 8070 et 8273, laudatissimæque editionum ferunt quam recepi lectionem, quæque videtur ad constructionem commodior. — Pro *vapido* legitur interdum et *vafro;* sed ea vox *vapidum* placuisse Persio videtur.

Not. 116. *Pelliculam veterem retines, et fronte politus.* — *Pelliculam veterem retines;* ductum hoc vel a fabula de vulpe quæ leoninam pellem induerat; vel a serpentibus, qui sub vernum tempus, positis exuviis, nova quasi juventute fruuntur, et in melius mutantur. Vetus scholiastes tractum dicit ab Æthiope, qui non mutet pellem nigram. Utut sit, sensus est apertissimus : si priscum hominem nondum exuisti. —

Fronte politus; jam paulo superius positam vidimus *frontem* pro facie: ita est *fronte politus*, qui tantum exteriore parte corporis est comptus, qui probum vultu simulat.

Not. 117. *Astutam vapido servas sub pectore vulpem.* — *Vulpes* dicitur præ cæteris animalibus fallax et callida; unde in veterum linguis ductæ sæpius metaphoræ: Pindar. Olymp. XI, 19 sqq.; Theocrit. I, 48; V, 111 sqq. Sic ἀλωπεκίζειν apud Aristoph. Vesp. 1233; Pac. 1090; Claud. V, 484; XVIII, 145. Unde noster dixit *servas astutam vulpem*, pro *servas* mores *vulpinos*, ingenium acutum et malignum. — *Vapido sub pectore*; h.e. *sub pectore* corrupto; *vapidum* enim proprie dicitur de vino, cujus vis evanuit. Locus hic omnis ductus aliqua parte videtur ab his Horatianis, Sat. II, 1, 64; 3, 186; Epistol. I, 16, 44 sqq.; in Arte, 437.

Var. 118. *Quæ dederam supra repeto, funemque reduco.* — Legitur pro *repeto* et *relego* in Codicibus Thuan., Colbert., Pith., aliisque; in Codice 8274: *retraho*. Pro *reduco* edit. Colbert. II, *repono*.

Not. 118. *Quæ dederam supra repeto, funemque reduco.* — *Quæ dederam supra repeto*; scilicet concesseram te *liberum esse ac sapientem*, si modo varia callebas et exsequebaris officia, si liberalem animum indueras. Nunc vero, quoniam servas mores servorum et nequitiam, *repeto* quæ concesseram. — *Funemque reduco*; unde sic translatum sit disputant. Alii, ut Casaubonus et Kœnig., ductum volunt a lusione, vel saltatione puellarum et puerorum, in qua *funem ducere* vel restem dicebantur, qui choros agebant. Hanc vocat Aristoteles ἀνάσπασιν σπαρτίων, Pollux, IX, 8, ἑλκυστίνδα. Petron. in fragm. pag. 673, edit. Burman.; Tit. Liv. XXVIII, 37; Terent. Adelph. IV, 7, 34; (Edit. Nostr. vs. 756 vol. II, pag. 101.) Alii, ut Pratæus, trahunt ab ipso *fune* quo servos alligarent, de quo usu exemplum equidem nullum deprehendo; vel simplicius a funiculo, quo equos, vel canes, vel aves trahunt *reducuntve*. Utut sit de origine, solemnis est locutio. Horat. Epistol. I, 10, 47 sqq.:

> Imperat aut servit collecta pecunia cuique,
> Tortum digna sequi potius quam *ducere funem*.

Not. 119. *Nil tibi concessit ratio: digitum exere, peccas.* — Propria sunt Porticus et axioma et verba. Epictet. in Enchirid.: ἡ φιλοσοφία φησὶν, ὅτι οὐδὲ τὸν δάκτυλον ἐκτείνειν εἰκῇ προσήκει. Cicero, De Finib. III: «Chrysippus ne *digitum* quidem ejus causa porrigendum dicebat; Zeno, apud Diogen. Laert. in vita Zenonis; Clemens Alexandr. Pædagogi lib. II, cap. 10. Scilicet Stoici summum atque universum esse volebant *rationis* imperium, ita ut vel in minimis usque et ubique dominaretur. Imo vero peccata omnia æqualia esse contendebant, hoc uno quod peccata forent; Diogen. Laert. in vit. Zenonis. Quam quidem doctrinam exponit nunc et confirmat Persius, jam antea irrisam, ut-

pote nimiam, Ciceroni, De Finib. III, 27, pro Muren. 30, et Horatio, Sat. I, 3, 115:

> Nec vincet *ratio* hoc, tantumdem ut peccet, idemque,
> Qui teneros caules alieni fregerit horti,
> Et qui nocturnus Divum sacra legerit. Adsit
> Regula, peccatis quæ pœnas irroget æquas:
> Ne scutica dignum horribili sectere flagello, etc.

Conf et Horat. Sat. II, 3; II, 7; Epistol. I, 1, sub finem.

Not. 120. *Et quid tam parvum est? sed nullo thure litabis.* — *Et quid tam parvum est*; spectat ad *digitum exere*. Hæc vult reponi Prateus a M. Dama; sed Persii docentis propria magis esse videntur. — *Sed nullo thure litabis*; poetica locutio est pro: nullo modo fieri potest, nulla ratione efficies. *Litare*; respice ad not. vers. ultimi Sat. II. — *Thure*; pro sacrificio quolibet.

Not. 121. *Hæreat in stultis brevis ut semuncia recti.* — *Hæreat in stultis*, cadat in stultos. — *Brevis semuncia*; dimidia pars est unciæ, et quidem curta, cui aliquid desit. — *Recti*; sapientiæ, virtutis. Sic exprimit dogma illud Stoicorum: non fieri posse, ut sapiens ulla ex parte sit, qui non totus sapiat. Virtutes enim, aiunt illi, se mutuo consequuntur: qui unam habet, omnes habeat necesse est; careat omnibus, qui careat una. Laertius, De Chrysipp.: « τὰς ἀρετὰς λέγουσιν ἀντακολουθεῖν ἀλλήλαις, καὶ τὸν μίαν ἔχοντα πάσας ἔχειν. »

Not. 122. *Hæc miscere nefas: nec, quum sis cætera fossor.* — *Hæc*; sapientiam nempe et stultitiam. — *Miscere*; consociare. — *Nefas*; verbum posuit quam gravissimum, et ad sacra usitatum. Aliud est dogma Stoicorum. Diogen. Laert. in Vit. Zenonis: « ἀρέσκειν αὐτοῖς μηδὲν μᾶλλον εἶναι ἀρετῆς καὶ κακίας. (*Placet illis nihil interesse virtutem inter et vitium*, i. e. *omnia virtutem inter ac vitium esse abrupta.*) Quod est omnino contrarium huic Peripateticorum, aut certe ipsius Aristotelis dogmati, sic expresso apud Horatium:

> Virtus est medium vitiorum utrimque reductum.

Not. 122, 123. *Nec, quum sis cætera fossor, Tres tantum ad numeros satyri moveare Bathylli.* — Repetit sententiam hanc jam præcedenti versu expressam et superioribus: fieri non potest ut *tenuia rerum officia* pervideas et exsequaris ulla in re, *quum in cæteris* omnibus pinguis et insipiens sis. Quam sententiam per comparationem exponit, huic comparationi simillimam, qua superius usus est: *Sambucam citiùs caloni aptaveris alto. Fossor* enim positus est pro homine stupido et sordido, qui membrorum agilitate et actionis decore destitutus est. — *Tres tantum ad numeros moveare*; pro saltare, ὀρχήσασθαι, locutiones sunt poeticæ; *moveri ad numeros*, ludere in numerum, ut Virgil. Eclog. VI, 27. Propert. II, 18, 16; Martial. XI, 85, 3 sqq. *Tres tantum*; quasi dixis-

set, vel minimum. Sic, versu 121, dixit *brevis semuncia*. — *Satyri Bathylli;* non qui saltat *satyrum*, quod et dici possit, quemadmodum dicitur saltare Medeam, Canacem, etc, sed qui saltat ut *satyrus*, quemadmodum apud Virgil. Eclog. V, 73:

Saltantes *satyros* imitabitur Alphesibœus.

Fuit enim *Bathyllus* nobilis pantomimus sub Augusto, libertus Mæcenatis qui dicitur cum Pylade primus Romam intulisse gesticulationem pantomimorum. Sueton. August. 45; Macrob. Sat. II, 7; Meibom. Mæcen. XXI, 9; XXII, 27. Ed.

Var. 124. *Liber ego: unde datum hoc sumis, tot subdite rebus?* — Ferunt MMS. Codices 8055, 8070, aliique: *unde datum hoc sentis;* quæ lectio et ipsa est optima: plurimæ vero editionum: *sumis*, quæ quidem probabilis videtur, eo ipso quod aliquid immutet Horatianæ lectioni.

Not. 124. *Liber ego: Unde datum hoc sumis, tot subdite rebus?* — Jam transit ad alteram partem disputationis, demonstratque hominem, qui sapiens non sit, nec rationem magistram sequatur, permultis esse voluptatibus mancipatum. — *Liber ego;* subaudi: ais; ponit enim hoc in ore adversarii Persius, cui respondeat: *unde datum hoc sumis, tot subdite rebus?*

Not. 125. *An dominum ignoras, nisi quem vindicta relaxat?* — An distinctionem hanc ignoras? Servitus alia est corporis, alia animi. Corporis domini sunt homines; animi, vitium et affectus: illam solvit manumissio, hanc sola philosophia, sive virtus.

Not. 126. *I, puer, et strigiles Crispini ad balnea defer.* — Ponit exempla utriusque servitutis, ac primo corporis, quam exprimit per hanc prosopopœiam domini servo suo mandata dantis: *i, puer, et.* — *Strigiles;* dictum a *stringo*, eodem ac rado. *Strigilis* nempe instrumentum fuit ferratum, curvum, manubrio et canaliculo instructum, quo utebantur præcipue in *balneis* ad distringendam cutem, abradendas sordes et sudorem detergendum. Vide Interpp. Petronii, 91; Ruperti ad Juvenal. III, 263; Sueton. August. 80; Lucian. *Lexiph.* Tom. II, pag. 320, Ed. Reiz. — *Crispini ad balnea;* opulentissimus quisque sibi et amicis habuit domi thermas et balnea; unde et *Crispinus*, qui, ex servo factus eques atque etiam magister equitum, arguitur luxuriæ elegantioris; (si modo hic agitur de illo *Crispino*, de quo Cornelius Tacitus, et Juvenal. Sat. I, 26 sqq.; IV, princip.)

Var. 127. *Si increpuit cessas, nugator!* — Fert MMS. Colbertinus III, *increpui*, ut sit ipse dominus qui de se loquatur: *si increpui.* Alteram prætuli lectionem, quia hoc loco tertia persona paulo sit convenientior. Cæterum pro nostro pronomine Gallico *on*, *l'on*, Latini ponunt indistincte unam e tribus singularis, aut e tribus pluralis numeri.

Not. 127. *Si increpuit: cessas, nugator! servitium acre Te nihil impellit.* — *Si increpuit: cessas, nugator;* voces imperiosæ et iratæ, unde

sequitur *servitium acre*. Cæterum hæ voces in usum abiisse videntur, quum servos vellent properare. Terent. Eunuch. IV, 7, 16. (Nos vs. 753.) — *Servitium acre te nihil impellit;* quia videlicet nulli jam domino Romano serviens est, factus et ipse civis Romanus.

Not. 128. *Nec quidquam extrinsecus intrat, quod nervos agitet. — Nec quidquam extrinsecus intrat;* nihil ab externo venit quod timeas, et ut ait Juvenal. XIV, 6, 9 : « nulla est Vox domini instantis virgamque tementis. » — *Quod nervos agitet;* bene observavit Casaubonus hæc dici a sigillaribus, vel nevrospastis, quæ, per se ἄψυχα, verticillis quibusdam ac nervis moveantur. Hæc imago sæpe sæpius apud antiquos recurrit poetas et philosophos; sed de motibus animi potius, quam de corporis motibus. Horat. Sat. II, 7, 81 sqq.:

> Tu, mihi qui imperitas, aliis servis miser, atque
> Ducceris, ut nervis alienis mobile lignum.

M. Antoninus non semel utitur verbo νευροσπαστοῦσθαι ad exprimendum inconstantiam animi : II, § 3, et VII, § 3; Plat. De Legib. lib. I.

Var. 130. *Nascantur domini, qui tu impunitior exis.* — Ferunt MMS. Codices 8048 et 8055 *nascuntur*, quæ lectio constructionem præbeat et ipsa probæ, ut in hoc loco, latinitatis, ideoque laudatis recepta est editoribus. *Nascantur* prætuli quod plurimi ferunt MMS. Casaubonusque et Kœnig. receperunt. — Pro *qui* ferunt iidem Codices 8048 et 8055 *quin;* 8070 habet *qui*, superadscripto tamen *quin;* pauciores sunt membranæ, quæ, ut 8273, veram hanc ferant lectionem : *qui tu impunitior exis.*

Not. 129, 130. *Sed si intus et in jecore ægro Nascantur domini, qui tu impunitior exis. — Intus* opponitur superiori illi *extrinsecus*. Marc. Anton. libro X. sub finem : μέμνησο ὅτι τὸ νευροσπαστοῦν ἔσω ἐστὶν ἐντός, τὸ ἔνδον ἐγκεκρυμμένον (*memineris illud quod nervos agitet, esse quod intus lateat.*) Boetius, lib. IV, metr. 11, De Consolat., Persium fortasse secutus :

> Jam videbit *intus* arctas
> *Dominos* ferre catenas.

— *et in jecore ægro;* posuit *jecur*, quasi omnium sedem cupiditatum, quia veteres opinabantur ibi esse sanguinis officinam. — Horat. Od. I, 13, 4 :

> Fervens difficili bile tumet *jecur.*

Claudian. VIII, 248 sqq. :

> At sibi cuncta petens, nil collatura cupido
> In *jecur* et tractus imos compulsa recessit.

Noster vero *jecur* dicit *ægrum*, cui nempe per rationem aut sapientiam mederi velit. — *Nascantur domini;* verba sunt apud philosophos consecrata, qui vitia per figuram vocent *dominos*, eaque velint animis

nostris innasci ac nobiscum vivere. Quæ doctrina incipit a Pythagoreis, a quibus Noster nonnulla mutuatur. Auctor carminis aurei :

> Αυγὴ γὰρ συνοπαδὸς ἔρις βλάπτουσα λίληθεν
> Σύμφυτος. Ἣν οὐ δεῖ προσέχειν, εἴκοντα δὲ φεύγειν.

Quem locum sic interpretatur Iamblicus : ἐνταῦθα τὸ διττὸν τῆς ἀνθρωπίνης φύσεως ἐνέδειξε, καὶ τὸ παραφυὲς ἡμῖν ἀπὸ τῆς γενέσεως ἀλλότριον ζῶον, ὅπερ οἱ μὲν πολυκέφαλον θηρίον, οἱ δὲ θνητόν τι ζωῆς εἶδος, ἄλλοι δὲ φύσιν γενεσιουργὸν καλοῦσιν. (*Hic duplicem humanæ naturæ partem indicavit, et adnatum nobis nascentibus aliud animal, quod quidem alii feram multorum capitum, alii mortalem quamdam vitæ imaginem, alii denique naturam genitricem vocant.*) Scilicet duplex est hominis natura, hinc rationabilis, illinc sensitiva, secum ipsa pugnans. Hoc est quod vocet aurei carminis auctor ἴριν σύμφυτον. Stoici ut vitia, ita et virtutes animalia esse arbitrabantur ; quorum ea de re dogma exponit, et confutit, et ridet Seneca Epistol. CXIII : « Desideras tibi scribi a me, quid sentiam de hac quæstione jactata apud nostros : an justitia, an fortitudo, prudentia cæteræque virtutes animalia sint?..... etc. » — *Qui tu impunitior exis ;* confert servitutem illam corporis, cum hac animi, quæritque utra minus habeat rigiditatis et pœnarum. Confer. Horat. Sat. II, 7, 105. Senec. Natural. Quæst. lib. III : « Liber est, qui servitutem effugit sui. Hæc est assidua servitus, et ineluctabilis, et per diem ac noctem æqualiter premens, sine intervallo, sine commeatu. Sibi servire gravissima est servitus. »

Not. 131. *Atque hic quem ad strigiles scutica et metus egit herilis.* — Sic absolvit comparationem ejus qui servit cupiditati cum illo qui hero serviat ; i. e. servientis animo, et corpori servientis ; quæ comparatio incipit a vers. 126 : « I, puer, et *strigiles* Crispini etc. » — *Scutica ;* græce τὸ σκύτος ; genus verberis e loris facti, minus quam flagellum, teste Horat. Sat. I, 3, 119 :

> Ne scutica dignum horribili sectere flagello.

Not. 132. *Mane piger stertis : surge, inquit Avaritia, eïa, surge.* — Variis nunc demonstrat exemplis, quam durum sit vitiorum servitium, quum plura simul eumdem in diversa trahant. Primum exemplum est ejus qui duobus dominis servit *Luxuriæ* et *Avaritiæ.* — *Mane piger stertis ;* felix hypotyposis, quæ cum insequenti prosopopœia mire conveniat. — *Surge, inquit Avaritia ;* inducitur *Avaritia*, hominem e lectulo excitare conata, et adhortata ut lucrum faciat. — *Eïa, surge ;* instat et premit : *eïa* vox est excitantium, vetus scholiastes ait. Vid. infra, ad hujus satiræ calcem, pag. 251, Excursum de hac prosopopœia, quem nobis communicavit hujus Collectionis Editor, N. E. Lemaire.

Not. 133. — *Negas ; instat : surge, inquit. — Non queo. — Surge.* — Dialogismus est, increpitantem inter *Avaritiam*, et pigrum dormitantem.

— *Non queo ;* feliciora verba ad exprimendum languorem renuentis, et quæ minime deceat immutari aut corrumpi, quemadmodum in quibusdam fit membranis.

Var. 134. *Et quid agam? — Rogitas! Saperdas advehe Ponto.* — MMS. mei Codices 8048, 8055, 8070 ferunt *Et quid agam*, quod cum laudatissimis editorum recepi. At 8273 et vetus scholiastes legunt *En quid agam*, quod sic distinguit novissimus editor (*Achaintre*). *En. Quid agam?* quasi dicat per *en* sese jamjam exiturum lectulo, et tamen rogitet *quid agam?* id videtur nimis exquisitum. — Pro *rogitas* habet 8043 *en rogitas*, quod nemo omnium admisit. — 8070 sic totum legit versum : *Et quid agam? — Stas! en saperdas advehe Ponto*, ac simili ferme modo 8055 : *Et quid agam? — Rogat! — En saperdas advehe Ponto ;* quæ lectio et ipsa minime mihi displiceat.

Not. 134. *Et quid agam? — Rogitas! saperdas advehe Ponto. — Et quid agam ;* vox reluctantis, sed jam expergiscentis. — *Rogitas !* indignatur *Avaritia* quæstionem ineptam ; unde *Achaintre* hanc excogitat lectionem, hunc sensum : *en saperdam !* o hominem vilis pretii, nullius rei ; *ô l'imbécile !* ou: *voilà ma bête.* « Hanc formulam, *en saperdam*, ego, ait, injuriam accipio. Si, ut Athenæus, lib. III, cap. 20, refert, *saperda* Ponticum obsonium vile et ignobile edulium esset ; non satis perspicue video cur, hoc loco, *Avaritia* pigrum excitasset, ad arcessendam e Ponto tam vilem mercem, quam junxisset cum *castoreo*, *lubricis Cois* aliisque pretiosissimis rebus. » Non attendit editor mercaturam vulgo fieri non de pretiosissimis, sed de vilissimis rebus ac maxime vitæ necessariis, qualia sunt *saperdæ*, genus piscium, aut condimenti ex piscibus Ponticis, qualia *castoreum*, *stuppæ*, *ebenum*, *thus* et *Coa*, quæ et ipsa omnia usus vulgaverat. — *Ponto ;* sic proprie vocatur illud mare quod a Mœotide palude ad Tenedum insulam continetur ; complectitur itaque Bosphorum utrumque, Propontidem ac Pontum Euxinum. Proxima huic mari regio et ipsa *Pontus* vocabatur, regnum quondam Mithridatis ; quæ regio et ab antiquissimis temporibus commercio floruit, ut Persiano tempore videtur floruisse.

Var. 135. *Castoreum, stuppas, ebenum, thus, lubrica Coa.* — Melius scribitur *ebenum* sine *h*, quod sæpius ponunt ; quoniam in græco, unde ducitur, aspiratio nulla est. Scribitur *thus* et *tus*.

Not. 135. *Castoreum, stuppas, ebenum, thus, lubrica Coa.* — Varia mercium genera, ut *saperdæ*, quæque et *Ponto* et orientis regionibus in Italiam vehebantur. — *Castorea ;* testiculi, seu folliculi in inguinibus *Castoris* animalis, seu liquor in eis existens, ex quo medicamina conficiebantur apud antiquos maxime usu frequentata. Plin. H. N. VIII, 30 ; XXXII, 3 et 29. Vocabatur quoque *Castor* canis Ponticus, quia in Ponto maxime abundabat. Virgil. Georg. I, 58 ; Juvenal. XII, 34 sqq. ; Lucret. VI, 794. — *Stuppas ;* constat ex Festo, atque ex Plinio, H. N. XIX, 1, *stuppas* appellari vel linum impolitum, vel eam partem quæ in lino cortici proxima est et deterior, ideoque lucernarum luminibus aptior fuit atque aliis usibus vilioribus, ad conficiendas fundas Balearium, ad stipan-

das obstruendasque navium rimas. — *Ebenum;* arbor est spississima, quæ, ut buxus, non fluitet in aquis. Plin. H. N. VI, 30; XVI, 30; Virgil. Georg. II, 117,—*Thus;* Plin. H. N. XII, 14, ait in sola Arabia reperiri, nec universa quidem, sed in ea tantum regione, cui nomen *Saba:* Virgilius, loco citato, adstipulatur; Athenæus, III, 21; XV, 10. Magnus fuit usus *thuris* apud antiquos ad sacra, ad mensam, ad alia multa. — *Lubrica Coa;* vina ex insula *Co*, quæ est in Ægeo mari, e Cycladibus una, Hippocratis clara natalibus. *Lubrica* dicit quasi mollia, emollientia, fluentia, alvum solventia. Plin. H. N. XXVII, 27; Ælian. V. H. XII, 31; Horat. Sat. II, 4, 27 sqq.:

> Si dura morabitur alvus,
> Mytilus, et viles pellent obstantia conchæ
> Et Lapathi brevis herba, sed albo non sine *Coo.*

Not. 136. *Tolle recens primus piper e sitiente camelo.* — Pergit mercaturam describere, ducitque imaginem ab eo commercio quod Romani in Alexandriæ emporiis conficiebant. Scilicet huc *piper* cæteraque aromata camelis advehebantur, unde navibus Romam transferebant. — *Tolle recens primus;* antevertat monet alios mercatores. — *Piper;* Plin. H. N. XII, 7. — *E sitiente camelo;* spectat ad iter per vastos arenarum campos emetiendum, antequam Alexandriam perveniretur. Vide de *Camelo* Plin. H. N. VIII, 18.

Not. 137. *Verte aliquid, jura.* — *Sed Juppiter audiet.* — *Verte aliquid;* non simpliciter commuta merces, sed commuta cum aliqua doli mali ratione. Sequitur enim *jura*, quod esse positum pro *pejera* intelligitur ex iis quæ sequuntur. His omnibus describit satageos et avidos mercatorum mores. — *Sed Jupiter audiet;* renuit piger, Jovem opponens fidei ultorem.

Var. 138. *Eheu! Baro, regustatum digito terebrare salinum Contentus perages.* — *Eheu* jungendum putat Casaubonus cum præcedentibus, ut sit exclamatio Jovem reformidantis. — *Baro* ex nonnullorum manuscriptorum et auctorum fide receperunt Prætæus, Kœnig. et Facciolati. At vero MMS. mei Codices consentiunt in edendo *varo*, quod prætulerunt Casaubonus, aliique. Cæterum capilli interest, utrum legatur *baro* an *varo*, quum idem sonent litteræ *b* et *v*, et una pro altera sæpius recurrat, quumque utraque vox sensum obtineat eumdem apud auctores. Vid. Facciolati Lexicon ad vocc. *Baro* et *Varo* aut *Varro.* — *Contentus;* ferunt MMS. Codices Pithæi I, 8050, 8273 et codex Achaintri *contemptus*, quod sensum efficiat et valde probabilem, ideoque recepit editio ex vetustissimis.

Not. 138. *Eheu! Baro regustatum digito terebrare salinum Contentus perages.* — *Eheu*, miseratur *Avaritia* stolidam hominis pietatem. — *Baro;* vox contumeliæ, significat stultum, hardum, hebetem, ut in hoc Ciceronis loco, De Finib. II, 23: « Hæc quum loqueris, non *barones* stupemus. » Vetus scholiastes: *Varones* (seu *barones*) dicuntur servi militum, qui utique stultissimi sunt, servi scilicet stultorum.—*Regustatum digito* etc. Plinius, H. N. XXXI, de sale: « Varro pulmentarii vice usos Veteres

auctor est; esitasse enim salem cum pane et caseo, ut proverbio apparet. » Salem lingere dicebantur qui tenuiter admodum et parce victitabant. Plaut. Curcul. act. IV, scen. ultima : « Hic, hodie apud me nunquam delinges salem. » Horat. Od. II, 16, 13 et 14 :

Vivitur parvo bene, cui paternum
Splendet in mensa tenui *salinum*.

Id. Sat. I, 3, 12 sqq. :

..... Modo sit mihi mensa tripes et
Concha salis puri, et toga quæ defendere frigus,
Quamvis crassa, queat.

Sic Persius dixit vives ex sale pro : vives pauperculus ; sed dixit per poeticam hanc periphrasim exquisitiorem : *terebrare digito salinum regustatum*. Ubi enim sal *digito regustaverit*, et raras micas salino tenaciter adhærentes revellerit, jam ipsum *salinum* in fundo quasi *terebrabit*. Solemnis est auctoris consuetudo hyperbolen persequi longissime. — *Contentus ;* hæc sufficiant misero necesse erit. — *Perages ;* neque erit isti miseriæ finis.

Not. 139. *Si vivere cum Jove tendis.* — *Si tendis ;* si tibi proponis ; stoica est expressio *tendere*. Sic superius dixit, in III, 60 :

Est aliquid quo *tendis*, et in quod dirigis arcum.

Vivere cum Jove ; sic apud Græcos philosophos : κατὰ Διὸς βίος (*vita secundum Deum*).

Var. 140. *Jam pueris pellem succinctus et œnophorum aptas.* — Sic ferunt MMS. mei Codices ; sic legunt editores laudatissimi, immo vero fere omnes. Posuit tamen *Achaintre*, *Jam puer is*, *pellem succinctus*, *et œnophorum aptas* ; hanc sibi lectionem gratulatus sic restitutam ex fide suorum MMS. atque ex vetere scholiasta. Prætæus vero et Casaubonus jam antea monuerant versum legi posse, ac lectum fuisse in hunc modum : *jam puer is* etc. ; quæ quidem verba significarent hominem *jam ire*, *Avaritiæ*, ut *puerum*, atque opponerentur his superioribus : *I*, *puer*, *et strigiles*, etc. sed præter id quod ea relatio paulo exquisitior videretur vel apud Persium, constructio alioquin durior foret, si *et œnophorum* legeretur sejunctum a *pellem* et *aptas* a *pueris*. Unde Marcilius somniavit legendum esse *aptus* pro *aptas*, contra fidem MMS. Codicum. — Adde quod Persius, ut optime colligit Casaubonus, sequitur Horatium, Sat. I, 6, 108 sq. :

Quinque sequuntur
Te *pueri*, *lasanum* portantes *œnophorumque*.

Satis habet per se difficultatis et obscuritatis Persius : quid si curiosa eruditione et inani disputandi amore tenebras auxerimus commentantes ?

Not. 140. *Jam pueris pellem succinctus et œnophorum aptas.* — *Jam succinctus ; Avaritia* tibi persuasit ut sibi servires, *jam*que te ad iter comparas *succinctus*, more viatorum. — *Pueris ;* servis ; sic enim servi sæpe sæpius dicuntur. — *Pellem ;* sarcinas, sacculum aut segestre, in

quo itineri necessaria cibaria. Alii intelligunt de *pellibus* hirsutis quibus vestiebantur ad frigus arcendum. Juvenal, sat. XIV, 186 sqq.:

Qui summovet Euros
Pellibus inversis.

— *Œnophorum;* vox tota græca est: οἶνος, vinum et φέρω, porto. — *Aptas;* ad navem deferendas imponis, accommodas.

Not. 141. *Ocyus ad navem. Nihil obstat quin trabe vasta Ægæum rapias.* — *Ocyus ad navem;* scilicet imperas pergant servi, et ipse pergis. — *Nihil obstat;* omnibus ad iter comparatis. Prospiciunt hæc verba ad *nisi* et cum eo transitionem efficiunt vividiorem. — *Trabe vasta;* ampla, ingenti nave oneraria: *trabe* per synecdochen, ut apud Horat. Od. I, 1, 13 sqq.:

Trabe Cypria
Myrtoum pavidus nauta secet mare.

— *Ægæum rapias;* subaud. mare, sæpius usurpantur *rapere* et *corripere* pro, percurrere rapide. Virgil. Æneid. VI, 8:

Pars, densa ferarum
Tecta, *rapit* sylvas

Quo in loco vid. Heyn. Græci ἁρπάζειν τὴν ὁδὸν dicunt, *rapere* iter; Catull. XXXV, 7, viam *vorare*.

Not. 142. *Nisi solers Luxuria ante Seductum moneat.* — *Solers Luxuria;* vocat *solertem*, ingeniosam in corrumpendis hominum mentibus per oppositionem *Avaritiæ*, quæ dura et rigida est, hominemque asperiori voce excitavit: *eia, surge.* Potest quoque *solers* dici *Luxuria* quia homines *solertes* et ingeniosos reddit, ait Kœnig. locum afferens Lucian. Amor. T. II, pag. 421. Minus vero probabilis posterior hic sensus. — *Ante;* quam navim conscendas. — *Seductum moneat;* tanquam amico timens, *seducto* prius salubre consilium in aurem insusurrat, monetque caveat periculum.

Not. 143. *Quo deinde, insane, ruis, quo?* — *Deinde;* græcum est τὸ *deinde*, ait Casaubonus, unum ex iis locis referens, quales sunt apud Demosthenem plurimi, in quo εἶτα motum quemdam designat, significatque: proinde, postea, tandem. Verum hæc Persiana locutio eadem omnino apud Virgil. recurrit, Æneid. V, 741:

Æneas: *quo deinde ruis? quo* proripis? inquit.

Quo in loco manifestum est sumi *deinde* proprie, pro *de inde*, de hoc loco, de me, eamque locutionem *quo deinde ruis* amoris esse et obsecrationis. Conf. Claud. XXII, 131 sqq.; Gronov. et Drak. ad Liv. IV, 49.

Not. 144. *Quid tibi vis? calido sub pectore mascula bilis Intumuit.* — *Quid tibi vis;* quid in te paras? non idem omnino est ac paulo inferius

quid petis, h. e. quid vis consequi? alterum spectat ad periculum, alterum ad lucrum. — *mascula bilis;* bene, ait Casaubonus, *Luxuria* masculum animum criminis loco objicit militanti in suis castris juveni, cui potius conveniat molli atque effeminato esse animo. *Bilem* Stoici vocabant *cotem fortitudinis*, modo tamen ea non ut duce, sed ut milite uterentur; itaque Noster dixit *masculam*, fortem, quæ vires subjiciat animosque. Sic Horat. in Arte Poet., 402 :

Tryæusque *mares* animos.

Sic Virgilius, Eclog. VIII, 65 :

Verbenasque adole pingues, et *masculs* thura.

— *Calido sub pectore Intumuit;* sc. præ lucri cupiditate, qua fervet. Fervere autem poetis dicitur *bilis* in *pectore*, ut aqua in ære, et, quemadmodum in hoc loco, *intumescere*, vel ut alias apud Persium *turgescere*.

VAR. 145. *Quam non exstinxerit urna cicutæ.* — Ferunt Cod. MMS. Achaintri et vetustissimæ e Gallicis editionibus, *exstingueret.*

NOT. 145. *Quam non exstinxerit urna cicutæ.* — *Quam non exstinxerit;* convenit cum *calido* et *intumuit.* — *Urna cicutæ;* satirica hyperbole. Adeo frigidus est succus *cicutæ*, ut mortem pariat vel modicus; respice ad sat. IV, 2. Scholiast, ad h. l. : « Genus liquoris est, quod calorem in nobis frigoris sui vi *extinguit.* Unde sacerdotes Cereris Eleusinæ liquore ejus ungebantur, ut a concubitu abstinerent. »

VAR. 146, 147. *Tun' mare transilias? tibi torta cannabe fulto Cœna sit in transtro.* — Habet codex Pithœus I *transilies*, quod sit inferioris latinitatis, quodque minus conveniat cum *sit* et *exhalet.* Et quidem vetus scholiastes nonnullique editores legunt *fit*, auctore *Achaintre.* — Legitur et *transtris* : prætuli *transtro* cum laudatissimis editorum, propter ipsam consonantiam *fulto, transtro.*

NOT. 146, 147. *Tun' mare transilias? tibi torta cannabe fulto Cœna sit in transtro.* — *Tun' mare transilias?* Te nimirum credas infido illi elemento? Fuit adagium græcum : « Θάλασσα, καὶ πῦρ, καὶ γυνὴ, καὶ τρία; » (*mare*, et ignis, et femina, tria malorum). — *Tun'... tibi*; non sine arte vox repetitur. — *Torta cannabe*; periphrasis pro fune, rudentibus; *cannabis* enim plantæ genus est, simile lino, sed crassioris, ex qua funes vel rudentes conficiebantur. Plin. H. N. XIX, 8 et 9. — *Fulto*, innixo, recumbenti, sedenti, male *fulto.* — *Cœna sit in transtro;* trabs est transversa *transtrum*, scamnum et sedile remigibus. Virgil. Æneid. V, 136 :

Considunt *transtris.*

Notat Casaubonus magnæ mollitiei argumentum fuisse cubare in interiore navi, non super *transtra* et tabulata, aut in stega. Auctor Satirici : « Hoc erat quod placuerat tibi', ut super constratum navis occuparemus secretissimum locum, ne nos patereris requiescere. » Plutarchus, in Alcibiade, inter alia argumenta luxus illius commemorat, quod non more

aliorum super nudis tabulatis triremium cubaret, sed iis incisis fascias tenderet in usum lectorum.

VAR. 148. *Exhalet vapida lœsum pice sessilis obba.* — Legit Kœnig. unus omnium, *fissilis* pro *sessilis*, neque monet, qua id faciat fretus auctoritate. *Sessilis* est probatissimæ latinitatis (vid. Facciol. lexicon) sensumque efficit longe potiorem.

NOT. 147, 148. *Veientanumque rubellum Exhalet vapida lœsum pice sessilis obba.* — *Veientanumque rubellum;* vinum vilioris pretii ingratique saporis, circa *Veios* in Etruria. Horat. sat. II, 3, 143:

Qui *Veientanum* festis potare diebus.

Martial. I, 104, 9:

Et *Veientani* bibitur fœx crassa *rubelli.*

Conf. eumdem, II, 53; III, 49; Plin. H. N. XIV, 2.—*Vapida lœsum pice;* Hypallage pro *vapidum lœsa pice*, ut vinum hoc *exhalet* terrum *picis* odorem: *vapidum* enim consecratum est de vinis corruptis. — *Sessilis obba;* proprie dolium vel utrem significat; vas est vinarium *obba* h. l. simile ei quod nos Galli vocamus *baril. Sessilis*, quæ fundum habet latum, ac per se stat ac *sedet;* quod necesse fuit in *transtro*, in navi, ne motu vertatur.

NOT. 149. *Quid petis? Ut nummi quos hic quincunce modesto Nutrieras.* — *Quid petis?* tot adis itineris incommoda, quod tandem ob pretium? — *Ut nummi quos* etc; poetica est periphrasis exquisitior quam: *nummi* positi in fœnore. — *Hic;* in urbe, in otio. — *Quos nutrieras;* sic apud Horat. Epistol. I, 18, 35:

.... *nummos* alienos pascet.

Quod *nutritur*, pascitur capit incrementum; ergo *nutrieras*, pro auxeras. — *Quincunce modesto;* proprie *quincunx*, quinque *unciæ*, sive partes assis, qui constabat duodecim *unciis.* Omnis autem divisio vel aliarum rerum peragebatur nominibus partium assis, ita ut h. l. *quincunx* non sit *quinque unciæ*, sed *quinque nummi*, ut vertit Casaubonus; quinos pro centenis lucri facere quotannis. — *modesto;* videtur *quincunx* fœnus fuisse pecuniæ modicum, quale posset exigi in urbe.

VAR. 150. *Pergant avidos sudare deunces.* — Sic ferunt MMS. mei Codices omnes; sic legunt editorum laudatissimi. Habet vero Codex Puteanus et Codices Mazarini, tresque alii, et editio ex Gallicis vetustissima: *peragant avido sudore deunces.* Potest ferri utraque harum lectionum, ait Casaubonus, sed quæ ex utraque sunt mixtæ omnes repudiandæ.

NOT. 150. *Pergant avidos sudare deunces.* — *Pergant sudare* simpliciter pro *sudare*, aiunt Kœnig et Casaubonus; crediderim vero subesse aliquam vim huic voci *pergant*, quasi dixisset nitantur, contendant, perveniant. — *Deunces;* i. e. singulis annis undenos asses pro centenis. *Sudare*

autem *deunces* dixit pro apponere per multos *sudores* usuras (*deunces*) usuris (*quincunci*) quæ nullo labore proveniebant. — *Avidos;* per avaritiam, avaros. *Junctura* est *acris*, ut ait ipse Persius, *avidos deunces*, quemadmodum *quincunci modesto* fuit. Conf. *Achaint*. not. in h. l., ubi confutat opiniones *Lemonnier* et *Selis*.

Not. 151. *Indulge genio; carpamus dulcia; nostrum est Quod vivis.* — *Indulge genio;* die natali *genio*, sacris factis, lautioribus epulis se quisque excipiebat, vinumque meracius bibebat. Unde locutiones, *genio indulgere defraudare genium*, pro: laute vivere, parce vivere. Vid. Interpp. Terent. Phormion. vs; et respice ad sat. II, not. 3. — *Carpamus dulcia;* proprie de floribus *carpere*, deinde de cæteris vitæ deliciis, quibus fruimur. Conf. Horat. Od. I, 11, 6 sqq; ubi « *carpe* diem » — *Dulcia;* elegantius quam *gaudia*. — *Nostrum est quod vivis*, ea demum pars vitæ quam mihi, i. e. voluptatibus, impendis, vera vita est.

Not. 152. *Cinis, et manes, et fabula fies.* — Morieris, nullus jamjam eris, nullus alius quam *cinis, et manes, et fabula.* — *Cinis;* cremabantur apud antiquos mortui, recollectique ex busto *cineres* urnæ et sepulchro condebantur. Vid. ejus cærimoniæ descriptionem apud Virgil. Æneid. VI, 213—235; ex quo usu *cineres* vel *cinis* dicebantur, atque etiam nunc dicuntur esse mortuorum. Juvenal. sat. I, 170 sqq.: Noster, I, 39. — *Manes;* sic vocabant animas mortuorum, ut reor, a *maneo*. *Cinis et manes* periphrasis est poetica usitatior, quoties de mortuo agitur. Virgil. Æneid. IV, 34:

Id *cinerem*, aut manes credis curare sepultos.

— *Fabula;* vel quod *fabulosi* Inferi, de quibus poetæ et philosophi tam multa *fabulantur*, vel quod nihil de nobis supersit præter inanem memoriam, commentum, *fabulam*. Conf. Propert. III, 13, 45. Sequitur Horat. Od. I, 4, 16 sqq.:

.....Jam te premet nox *fabulæque manes*,
Et domus exilis Plutonia.

Prætæus in h. l. eruditius fortasse, quam verius commentatur: « hæc, ait, ad mentem Epicureorum, qui cum corpore et animam interire putant; quod satis convenit loquenti *Luxuriæ*: an vero potius secundum Stoicos, e quorum gremio Persius? Cic. Tuscul. Quæstionum I, 77: *Stoici usuram nobis largiuntur tanquam cornicibus: diu mansuros aiunt animos, semper autem negant.* Et paulo post, 78: *aiunt manere animos, e corpore quum excesserint, sed non semper.* Erit igitur sensus: *fies cinis*, nimirum ex more cremato corpore tuo, post mortem, et in favillam redacto; deinde eris *manes*, i. e. anima tua per aliquod tempus manebit, et durabit apud inferos; postea vero *fies fabula*, i. e. redibis in prius nihilum: hæc enim catastrophe est vitæ et conditionis humanæ, quæ *fabulæ* in mundo velut in theatro et scena peractæ comparari solet. »

Not. 153. *Vive memor lethi; fugit hora; hoc, quod loquor, inde est. — Vive memor lethi;* Horat. Sat. II, 6, 97:

Vive memor, quam sis ævi brevis.

Fugit hora; hoc, quod loquor, inde est; Idem expressit ac Horat. Od. I, 11, 7 sqq.:

..... Dum *loquimur*, *fugerit* invida
Ætas.

Unus omnium Turnebus, lib. XX, cap. 1, hunc locum intellexit in hunc modum: « quia perit sensim vita, *inde* tibi *loquor*, ut te moneam et jubeam *carpere gaudia*, antequam tibi pereant. » Sæpe sæpius retractatæ sunt poetis ac philosophis hæ sententiæ de brevitate vitæ, de *carpendis gaudiis;* numeris vero adstrictæ Persianis, et brevitate quadam pressæ Stoicæ, et in ore positæ *Luxuriæ*, nonnihil habent leporis.

Not. 154. *En quid agis? duplici in diversum scinderis hamo.—En quid agis?* interrogat hominem poeta qui se liberum prædicaverat, utri cupiditati servituras sit, quid facturus sit ad illas *Avaritiæ* et *Luxuriæ* voces ad se distrahentium. — *Scinderis in diversum;* utuntur græci voce διλλεσθαι, quemadmodum hic Noster voce *scindi*. — *Duplici hamo;* translatum a piscibus, quibus homines comparat, qui cupiditatum illecebris et quasi *hamis* inescantur et trahuntur. Plutarch. Initio lib. De Invidia et Odio, vitium vocat πολυάγκιστρον (pluribus *hamis* instructum).

Not. 155. *Hunccine, an hunc sequeris?* — Continuatur metaphora, subaud. *hamum. Avaritiamne* sequeris an *Luxuriam?*

Not. 155, 156. *Subeas alternus oportet Ancipiti obsequio dominos, alternus oberres.* — Superioribus *reponit* interrogatiunculis: servias oportet duobus *dominis alterna* vice. — *Alternus;* elegantior adjectivus, quam adverbium in poesi. — *Subeas oportet;* voces quæ durum cupiditatum jugum designent. — *Ancipiti obsequio;* exquisitum et felix ad eam exprimendam servitutem, quæ nascitur e nimia cupiditati indulgentia atque inerti dubitatione. — *Alternus oberres;* perpetua discursatione circa utrumque dominum. Senec. Epistol. XXXVII; « Humilis res est stultitia, abjecta, sordida, servilis, multis affectibus et sævissimis subjecta. Hos tam graves *dominos*, interdum alternis vicibus imperantes, interdum pariter, dimittit a te sapientia, quæ sola libertas est. »

Not. 157. *Nec tu, quum obstiteris semel instantique negaris Parere imperio.* — Moderationi semper esse *parendum*, neque eum esse vere liberum, qui *semel*, qui interdum jugum excusserit cupiditatis. — *Instantique negaris Parere imperio*; felicius ad exprimendum, quem *imperiosæ* urgeant cupiditates. Sic Juvenal. X, 63:

Vox domini fremit *instantis.*

Aut, ut legit Casaubonus :

Vox domini sonat *instantis*.

VAR. 158. *Rupi jam vincula dicas.* — Fert editio e gallicis vetustissima, cujus annus incertus, *rumpi* ; cæteræ omnes, *rupi*, ex fide optimorum MMS. Codicum.

NOT. 158. *Rupi jam vincula dicas.* — Cum his junge *nec* versus præcedentis, ut sit sensus : noli jam gloriari te esse liberum.

VAR. 159. *Nam et luctata canis nodum abripit : attamen illi.* — Sic legendum puto cum laudatissimis editorum ; corruptissimus vero hic versus in MMS. Codd. Legitur in Codice *Achvintri* :

Nam luctata diu nodum canis arripit : attamen illi..

Vetustissima e Gallicis editionibus fert :

Nam eluctata canis nodum rapit ; at tamen illi.

quæ lectio et ipsa potest admitti.

NOT. 159. *Nam et luctata canis nodum abripit.* — Trita apud omnes omnis linguæ scriptores comparatio ; sed nulli fortasse felicius expressa, quam Nostro.—*et ;* quemadmodum *tu* facis *semel.*—*Canis luctata ;* quum diu multumque catenam excussit et omni modo abrumpere tentavit. — *Nodum abripit ;* locutio est huic gallicæ simillima : *emporter l'anneau, la maille. Nodum*, scilicet catenæ.

NOT. 160. *Attamen illi, Quum fugit, a collo trahitur pars longa catenæ.* — Solemus dicere, non esse liberatum, qui *catenam* suam trahat, ut canis qui ea parte *catenæ* quam trahit reducitur religaturque. Conf. Ovid. Amor. III, Eleg. 10 :

Scilicet asserui jam me, *fugique catenas.*

Horat. sat. II, 7, 70 sqq. :

..... o toties servus ! quæ bellua ruptis,
Quum semel *effugit*, reddit se prava *catenis* ?

Seneca, De Vit. Beat. « Et qui ad virtutem tendit, etiamsi multum jam processit, opus est aliqua fortunæ indulgentia, adhuc inter humana *luctanti*, dum *nodum* illum exsolvit, et omne vinculum mortale. Quid ergo interest ? quod alii alligati sunt, alii astricti, alii districti quoque. Hic qui ad superiora progressus est, et se altius extulit, laxam *catenam trahit*, nondum liber, jam tamen pro libero. » Communia sunt omnibus verba et sententia ; suus est Persio spiritus.

VAR. 161. *Dave, cito (hoc credas jubeo) finire dolores.* — Fert editio e Gallicis antiquissima : *hæc* pro *hoc* et *cupio* pro *jubeo*. Consentiunt cæteræ omnes in edendo *hoc* et *jubeo*, ex fide MMS. Codd.

NOT. 161. *Dave, cito (hoc credas jubeo) finire dolores Præteritos me-*

ditor. — Confirmat exemplo amantis cum amica litigantis, non esse sui juris ac vere liberum, qui *semel obstiterit* cupiditati. « Hunc locum, ait Vetus Interpres, de Menandri Eunucho traxit, in quo Davum servum Chærestratus adolescens alloquitur, tanquam amore Chrysidis meretricis derelictus; idemque tamen ab ea revocatus, ad illam redit. » In Terentii Eunucho, quam constat e Menandro translatam, et personarum nomina sunt mutata et multo aliter disposita: apud Menandrum, *Chærestratus* et *Davus;* apud Terentium, Phædria et Parmeno: locus est statim ab initio comœdiæ. Vid. Terent. Edit. Nost. vol. I, pag. 140. — *Cito, hoc credas jubeo;* verba fortia et generosa, sed verba. — *Dolores præteritos;* quæ omnia pertulerat, dum puellam assectaretur. — *Finire meditor;* comica est vox *meditor. Meditatur* nempe qui furit, qui *cæco carpitur igni.* Conf. Horat. sat. II, 3, 263.

Not. 162. *Crudum Chærestratus unguem Arrodens ait hæc. — Chærestratus;* nomen amantis apud Menandrum, ut dixi. — *Crudum unguem arrodens;* stomachantis, et indignantis, et secum pugnantis hoc est. — *Ait hæc;* subaud. ad *Davum*, fidum nempe sibi famulum.

Not. 163. *An siccis dedecus obstem Cognatis? — Siccis cognatis;* vocabant *siccos* Latini sobrios, quorum vitam vocat Tullius in Orat. pro Quinto, « horridam atque *aridam* » Horat. Od. I, 18, 3 :

Siccis omnia nam dura Deus proposuit.

Siccis opponuntur *madidi*, et aridæ vitæ ὑγρὸς βίος. — *Dedecus obstem*, fortius, quam dedecori sim.

Not. 164. *An rem patriam, rumore sinistro, Limen ad obscœnum frangam. — An rem patriam frangam;* hoc uno vocabulo *expatrare* vocat Catullus, Epigr. 30, in Cæsarem :

An hæc sinistra liberalitas
Parum *expatravit?*

Horat. Sat. I, 2, 62 :

Rem patris oblimare malum est...

— *Rumore sinistro;* Horat. eod. loc. versu præcedenti :

.... bonam deperdere famam.

— *Limen ad obscœnum*, convenit cum *frangam ; limen* enim meretricis quasi scopulus est, ad quem patrimoniorum naufragia faciunt adolescentes. *Obscœnum* ab indignatione profectum adolescentis, ad puellam vulgatæ pudicitiæ proprie pertinet.

Not. 165, 166. *Dum Chrysidis udas Ebrius ante fores exstincta cum face canto.* — Mores amatorum apud antiquos. Noctu scilicet veniebant *ebrii* ad puellarum *fores* comissatum cum *facibus*, canebant elegidia,

cupiebant admitti, et exclusi vices suas misere querentes, dolorem omni ratione profitebantur. Hac de re multa congesserunt Interpp. Propertii I, 1; I, 16, 5 sqq.; III, 2, 47 sqq.; et Horat. Od. I, 25; III, 7, 30 sqq.; III, 10. — *Chrysidis;* famosum meretricis nomen, cujus mentio apud Athenæum XIII, 3. — *Ebrius;* sequitur epulas comissatio. Horat. Sat. I, 4, 51 sqq.:

> *Ebrius* et, magnum quod dedecus, ambulat ante
> Noctem cum *facibus*.

Ovid. Fast. V:

> *Ebrius ad* durum formosæ *limen* amicæ

— *Udas ante fores;* dicit *udas* vel unguento, vel lacrimis, ut vetus testatur Scholiastes, probatque Lucretii locus lib. IV, 1171 sqq.:

> At lacrymans exclusus amator limina sæpe
> Floribus et sertis operit, *postesque superbos*
> *Unguit amaricino*, et foribus miser oscula figit.

Vel vino, ut probat Plaut. Curcul. Scen. 1 et 2; vel aqua, ut colligere est ex Horat. Sat. II, 7, 90 sqq.:

> Foribusque repulsum
> Perfundit gelida.

— *Exstincta face;* faces enim *exstinguebantur* et abjiciebantur ante *fores*. Propert. l. c. Plaut. l. cit. — *Canto;* nempe cantabant, ut admitterentur; idque dicitur Plauto, in Persa, *occentare ostium*, Græcis ᾄδειν τὸ παρακλαυσίθυρον, ut apud Plutarchum.

Not. 167. — *Euge, puer, sapias: Dis depellentibus agnam Percute.* — Verba Davi sunt heri consilium laudantis et confirmantis. — *Euge;* exclamatio adhortantis. — *Puer;* usurpatur hæc appellatio ut juvenis, adolescens, ab admonentibus. Horat. Od. I, 9, 16. — *Sapias;* vertit Casaubonus, *si sapias*, ut est intelligendum de iis quæ refert exemplis Ovidii et Horatii. Quidni vero transferatur per *sapiens esto*, vel *ut sapiens sis?* — *Dis depellentibus;* Averruncis, ἀλεξικάκοις, ἀποτροπαίοις; Vid. Varron. L. VI, cap. 5; A. Gell. lib. 5, cap. 12. — *Agnam percute;* Horat. Od. II, 17, 32:

> Nos humilem *feriemus agnam*.

Not. 168. — *Sed censen', plorabit, Dave, relicta?* — Hæc Chærestratus ab indignatione jam reversus ad amorem. Turpi autem rei honesta causa prætexitur, quod nolit Chrysidi doloris causam præbere; in quo falsa quædam species offertur humanitatis. Locus est valde admirandus propter veritatem affectuum.

Not. 169. — *Nugaris: solea, puer, objurgabere rubra.* — *Nugaris;* nihil dicis, quum dicis te velle priores dolores finire; nam ecce redis ad inge-

nium. — *Solea, puer, objurgabere rubra;* Parmeno ait Phædriæ apud Terent. Eunuch. Act. V. Scen. 8, vs. 1027. Vid. vol. I, pag. 285. Ed.

> .... te ultro accusabis, et ei dubis
> Ultro supplicium....
>
> Tibi commitigabitur sandalio caput.

Quod bis jam Davus ad Chærestratum ait *puer*, non vacare putandum est, notat Pratæus; hinc nimirum suam ei servitutem blande objicit, qua libidini servit.

Not. 170. *Ne trepidare velis, atque arctos rodere casses.* — Ducta est imago a fera irretita plagis, e quibus se nequit extricare. Confer Burmann., ad Propert. II, 2, 13 sqq.:

> Ac veluti primo taurus detrectat aratra,
> Mox venit assueto mollis ad arva jugo:
> Sic primo juvenes *trepidant* in amore feroces,
> Dehinc domiti posthac æqua et iniqua ferunt.

Seneca, De Ira: « Sic laqueos, fera dum jactat, adstringit; sic aves, dum viscum *trepidantes* excutiunt, plumis omnibus illinunt. »

Not. 171. *Nunc ferus et violens: at, si vocet, haud mora dicas.* — *Nunc ferus et violens;* continuat figuram feræ colluctantis. — *At, si vocet, haud mora dicas;* At, ubi primum te revocaverit Chrysis.

Var. 172. *Quidnam igitur faciam? Ne nunc, quum accersor et ultro Supplicat, accedam?* — sic ferunt MMS. mei Codices omnes. Legit Casaubonus *accersat,... supplicet;* legit Pratæus *accessar.*

Not. 172. *Quidnam igitur faciam? Ne nunc, quum accersor et ultro Supplicat, accedam? Quidnam igitur faciam?* Quasi reluctet et hæsitet, quum maxime cupiat. — *Ne nunc, quum accersor et ultro Supplicat, accedam?* Supplex misericordiam movet, quanto magis puella supplex! Terent. Eunuch. Sc. I:

> Quid igitur faciam? non eam me num quidem
> *Quum accersor ultro,*

Horat. Sat. II, 3, 262:

> .... *nec nunc quum*, me vocet *ultro*,
> *Accedam*?

Var. 173. *Si totus et integer illinc Exieras, nec nunc.* — Nonnulli Codices et vetustissima e Gallicis editionibus: *nunc nunc.* — Alii ut MMS. 8070, *Exieris, ne nunc;* quæ lectio et ipsa conveniet.

Not. 173. *Si totus et integer illinc Exieras, nec nunc.* — Respondet Davus domino: Si totam integramque libertatem ab ista domo recepisses,

nec nunc accederes. *Illinc;* ibi enim, ubi est quod amamus, animus est noster. — *Nec nunc;* satis indicat firmissimam voluntatem.

Not. 174. *Hic, hic, quem quærimus, hic est.* — Verba sunt poetæ Davo applaudentis, exclamantisque inventum esse illum quem poscat liberum, si quis vel oblatæ resistat occasioni.

Var. 175. *Non in festucu, lictor quam jactat ineptus.* — Vetustissima e Gallicis editionibus legit, *quem.*

Not. 175. *Non in festuca, lictor quam jactat ineptus.* — *Non in festuca;* scilicet est *hic,* in ea animi vi ac libertate, non in vindicta seu stipula quæ *jactabatur* in eum qui liberaretur. — *Lictor ineptus;* sic superius dixit : *non prætoris erat stultis dare,* etc. Sic absolvitur felicissima hæc de Chærestrato fabella, qua demonstrari voluit poeta, quam imperiosa sit amoris servitus.

Var. 176. *Jus habet ille sui palpo, quem ducit hiantem Cretata Ambitio?* — Pro *ducit* fert Codex Pithæi, et, auctore *Achaintre,* vetus Scholiastes *tollit;* quæ lectio Casaubono nimis placuit; nam proprium ambitioni ἐπαίρειν et tumore inflare. Seneca, Hercule furente :

> Illum populi furor attonitum
> Fluctuque magis mobile vulgus
> Aura tumidum *tollit* inani.

Sic Horat. Od. I, 1, 7 :

> Hunc si mobilium turba Quiritium
> Certat tergeminis *tollere* honoribus.

Sed, hoc loco, convenire magis videtur cum *hiantem* et *cretata Ambitio* verbum *ducit,* in quo edendo consentiunt MMS. Codices omnes, quodque receperunt editores omnes.

Not. 176. *Jus habet ille sui palpo, quem ducit hiantem Cretata Ambitio?*—Affert in exemplum servitutis quam serviunt voluptatibus, nunc *Ambitionem.* — *Jus habet ille sui palpo.* Substantivus est *palpo;* scilicet qui manu cives *palpat,* qui populo adulatur et velificatur. Verbo isto sordido voluit indicare poeta, quam putidum sit ambitiosi ministerium, quam fœdum servitutis genus *palpare* plebeculam. — *Quem ducit hiantem;* honoribus inhiantes ideoque populi suffragiis, candidati per campum, ubi comitia habebantur, circumfusis clientibus circum *ducebantur.* — *Cretatam* vocat *Ambitionem,* quod albis, vel candidis, *cretatis* induti vestibus, *ambibant.* Color candidus ad solemnia, ad festa erat consecratus. Unde apud Juvenal. X, 66 :

> Duc in Capitolia magnum
> *Cretatumque* bovem.

Not. 177. *Vigila, et cicer ingere large Rixanti populo.* — *Vigila;* prosopopœia *Ambitionis* hominem cohortantis ad inquirendos honores:

vigila, inquit, somno mane discusso ad salutandos cives; labora, exerce te in hac urbana militia, quemadmodum Tullius ad Atticum vocat candidatorum vitam. — *Et cicer ingere large;* missilia intelligit quæ populo spargebant candidati, vel inferiores magistratus, qui per ejusmodi dona viam sibi ad superiores honores emuniebant; inter quæ missilia præcipuum locum *cicer* obtinebat. Horat. in Arte, 249; Sat. I, 6, 115; Conf. de Missilibus Suetonium passim; Martial. VIII, 79, 7 sqq.; Stat. Silv. I, 9 sqq. — *Rixanti populo;* scilicet in recolligendis et arripiendis missilibus *rixatur populus*, altercatur.

Not. 178. *Nostra ut Floralia possint Aprici meminisse senes.* — *Nostra;* quæ *nos* ediderimus, vel quod ita prædicet Ambitio de se ac de suo servo, vel quod erat usitata apud Latinos formula quum de se ac de suis actis referrent magistratus aut viri loco editi: *nobis* consulibus, *nostro* consulatu, *nobis* prætoribus, etc.; comicum vero h. l. in ore Ædilis. — *Floralia;* festa erant quarto Maii Kalendas, per Ædiles celebrata. De eorum origine, et qua lascivia celebrarentur vid. Ovid. Fast. V, 279 sqq; Macrob. Satyr. I, 4; Valer. Maxim. II, 10; Div. Augustin. De Civitate Dei VI, 7; Lactant I, 20; Alexand. ab Alexand. VI, 8; et Rupert. not. ad Juvenal. VI, 249. *Floralia* hic posita putat Casaubonus pro qualibet ludorum specie, in quibus populi gratiam aucuparentur magistratus. Posuit vero cum delectu poeta ejusmodi festi nomen, in quo turpissima fierent per licentiam, et quod ederet infimus omnium magistratus, Ædilis. Ita comicam suam omnem vim consequitur, dum tractat fusius hoc, *quid pulchrius?* — *Aprici meminisse senes;* dicuntur *aprici* loci expositi ad solem et ii qui gaudent locis *apricis*. Unde *apricatio* captatio solis quæ propria est *senum*. Cic. De Senect. 16; Id. ad Attic. VII, 11. — *Meminisse;* commemorare, collaudare solent enim *senes*, in sole apricantes, de nugis id genus garrire. Unde græcor. proverb. μεσημβρινοι λῆροι (meridianæ nugæ).

Not. 179, 180. *Quid pulchrius? At quum Herodis venere dies.* — *Quid pulchrius?* Hoc dictum quidam putant ab Ambitione, ad animum hominis sibi mancipandum, ostentando memoriam posterorum; atque in hunc sensum interpungunt Kœnig. et Passow; malim vero cum plerisque interpretum hoc dici a poeta per ironiam ista admirante. Sic efficitur transitus ad ea quæ insequuntur, facilior et callidior. — *At quum Herodis venere dies;* tangit teterrimum denique servitutis genus sub domina superstitione. *At quum;* opponitur his vocibus *quid pulchrius*, quasi dixisset: at idem tu qui pulcherrimam istam laudem es assecutus, *quum venere dies*, etc. — *Herodis dies;* ponit in exemplum superstitionum quæ celebrarentur festis *Herodis diebus*. Triplex fuit *Herodes*: primus Antipatri filius, rex Judææ dictus a Romanis, sub quo natus est Jesus Christus. Is et paulo post mortem, velut Christus et Messias, ex interpretatione prava Jacobi prophetiæ, Genes. XLIX, 10, est honoratus Judæorum nonnullis, qui inde vocati sunt Herodiani, iidemque ferme

fuisse videntur ac Pharisæi. Alter fuit *Herodes*, prioris filius, cognomine Antipas, sub quo mortuus est Christus. Tertius *Herodes* Agrippa, Aristobuli filius, Jacobi Apostoli interfector, temporibus *Persianis* regnabat. Ita *Herodis dies* intelligi possunt, vel de festis in primi Herodis honorem Hierosolymis alibive magna solemnitate habitis, vel de natali *Herodis* Agrippæ. Probabilior videtur prior interpretatio; quam sequitur vetus Scholiastes. Cæterum Noster Judaicas potissimum tangit superstitiones, eo quod ejus gentis sacra viris Romanis præcipuo contemptu digna viderentur, atque adeo quum cæterarum gentium sacris publice non admitterentur per senatusconsulta et edicta imperatorum. Imo vero e Taciti et Suetonii, Pliniique Junioris locis manifestum est in Judaicos vel *Herodis* vel Christi sectatores crudelius animadvertisse et Neronem et ejus sæculi prætores. Verum hoc ipso *Herodis* superstitio et religio Christi requirebantur, quia vetabantur legibus. Ea est hominis natura, ut permissa et secura nolint, vel in religionibus.

Not. 180, 181. *Unctaque fenestra Dispositæ pinguem nebulam vomuere lucernæ, Portantes violas.* — Describit quæ fierent diebus Herodianis. *Unctaque fenestra;* scilicet ob oleum unguentumve obsudans e lucernis accensis, ob fuliginem et nidorem, quos vocat *pinguem nebulam.* — *Dispositæ lucernæ;* locum sic illustravit Just. Lipsius, Eclect. 1, 3: « Mos apud Romanos receptus in omni privata publicaque lætitia januam lauro ac *lucernis* ornari... Ejusmodi *lucernæ* pensiles erant et catenatis suspendebantur accensæ ad ædium januam aut *fenestras*. Vidimus ipsi in Italia æreas ejusmodi *lucernas* complures, quos intellexit etiam poeta princeps; Æn. I, 725:

.... dependent lychni laquearibus aureis. »

Conf. Juvenal. XII, 92; Tertullian. ad Uxor. II, 6; Id. lib. de Idolatria; Lactant. VI, 2. — *Portantes violas;* lucernæ erant cinctæ corollis florum, lauro et *violis*. Conf. Theocrit. Syracusan., ubi describit ejusmodi illuminationem, in festo Alexandriæ celebrato.

Not. 182. *Rubrumque amplexa catinum Cauda natat thynni.* — De conviviis, quæ diebus *Herodis* exercebant Herodiani. — *Cauda thynni;* οὐραῖον, quod nomen et genus salsamenti ex Athenæo, et Plinio, et aliis auctoribus notum. Plin. H. N. IX, Sect. 17 et 20: « Præcipua magnitudine *thynni* invenimus talenta quindecim pependisse; ejusdem cauda latitudinem quinque cubita et palmam. » — *Amplexa;* declarat amplitudinem appositi thynni, qui omne *catinum* amplectatur, qui ab utraque catini parte promineat. — *Rubrum catinum;* fictile, e terra *rubra*, vel miniatum, qualia multa in Musæis observantur. *Rubrum* autem *catinum* videtur elegantius fuisse quam *nigrum*, aliudve; Juven. VI, 342. Martial, Epigr. XI, 27, vs. 5:

.. portat gaudens ancilla paropside rubra.

Id. Epigram. XIV, 114 :

.... Cumano *rubicundam* pulvere testam.

Not. 183. *Tumet alba fidelia vino.* — Monet Casaubonus improprie dici *tumet* pro plena est; *fideliam* enim per se *tumere*, vel vacuam. Subjungere vero debuisset Casaubonus felicem esse metaphoram; vas enim ejusmodi, *album* præsertim, *tumere vino* videtur.

Not. 184. *Labra moves tacitus, recutitaque sabbata palles.* — Sic humilem abjectamque mentem ejus repræsentat, qui se superstitiosis mancipat terroribus. *Labra moves tacitus;* potest accipi simpliciter de precibus quas murmure et humili susurro concipiebant, de quibus Sat. II egit. Sic Horat. Epist. I, 16, 60 :

Labra movet metuens audiri.

Altius vero inquirit Casaubonus : « Judæi, ait, religiosiores, qui erant σύννοι et tristi vultu, procedebant in publicum cum suis fimbriis et phylacteriis, rerum divinarum aliquid semper meditantes. Aptissime etiam retuleris ad confessionem peccatorum : nam superstitiosis tribuit Plutarchus τὸ ἐξαγορεύειν τινὰς ἁμαρτίας αὐτοῦ καὶ πλημμελείας (*quasdam confiteri culpas et peccata.*) — *Recutitaque sabbata palles; sabbatum* proprie est quies; festum, quod septimo quoque die, septimo anno, redibat, a Mose institutum. Hic vero quamlibet Judæorum celebritatem indicare videntur per metonymiam. *Recutita*, per hypallagen; *recutiti* Judæi dicebantur ob circumcisam præputii *cutem*. — *Palles*, vertit Kœnig. per, studiose colis, quasi h. l. idem esset ac superius in his locis : « En *pallor seniumque;* at te nocturnis juvat *impallescere* chartis. » Quanto verosimilius est *pallere*, dici ob formidinem hominis superstitiosi, ob jejunia, ob squalorem, et cinerem, quo illi se conspergebant in quibusdam *sabbatis*!

Var. 185. *Tum nigri lemures ovoque pericula rupto.* — Legitur in vetustissima e Gallicis editionibus *hinc* pro *tum*, ut repetatur vox in duobus versibus : *hinc nigri lemures;... hinc grandes Galli*; nec mihi displiceat lectio.

Not. 185. *Tum nigri lemures ovoque pericula rupto.* — *Tum;* nec satis est, nec sufficit quod palleas sabbata; sed alia sunt ex eadem superstitione oblata, quæ animum tuum exagitant, nec consistere sinunt, ut *lemures*, mala omina. — *Nigri lemures;* Apuleius, de Deo Socratis : « Animum humanum, emeritis vitæ stipendiis corpore suo abjurantem, vetere Latina lingua *lemurem* dictitatum reperio. Ex hisce *lemuribus*, qui posterorum suorum curam sortitus, placato et quieto numine domum possidet, *lar* familiaris dicitur; qui vero ob adversa vitæ merita, nullis bonis sedibus, incerta vagatione, seu quodam exilio punitur, inane terriculamentum bonis hominibus, cæterum noxium malis, id genus plerique *larvas* perhibent. Quum vero incertum sit, quæ cuique eorum sortitio evenerit, utrum *lar* sit, an *larva*, nomine *manem*

deum nuncupant. » Conf. de *lemuribus* Apuleium rursus, in Apologia; Plin. lib. III, Epist. 27; Varr. De Vita populi Rom. lib. I; Ovid. Fast. V, 419 sqq.; Neoplatonici quoque multum de *lemuribus* philosophati sunt. Vid. Olympiod. in Phædonem Platonis; adversus Platonicos vid. Chrysostom. Sermon. XXIX in Matthæum. — *Ovoque pericula rupto;* vetus ad hæc Scholiastes : « Sacerdotes qui explorandis periculis sacra faciebant, observare solebant ovum igni impositum, utrum in capite, an in latere desudaret. Si autem ruptum effluxerat, periculum portendebat ei pro quo factum fuerat, vel rei familiari ejus. » Sed, ut colligit Casaubonus, possunt hæc in alio genere superstitionis accipi. Videtur religio posita fuisse in ovis quæ comederunt, si casu aliquo irrumperentur, aut pertunderentur. Plin. H. N. XXVIII, 2.

Not. 186. *Hinc grandes Galli, et cum sistro lusca sacerdos. — Hinc;* ubi turbantur vel *nigris lemuribus*, vel *periculo* quod minatur *ovum* disruptum, *hinc* adeunt sacerdotes et hariolos, qui se liberent terroribus. — *Grandes Galli;* Cybeles sacerdotes, ita dicti a *Gallo*, Phrygiæ fluvio, de quo Ovid. Fast. IV, 361 sqq. :

> Inter, ait, viridem Cybelen altasque Celenas
> Amnis it, insana nomine *Gallus* aqua.
> Qui bibit, inde furit....

Grandes; vel ob stultitiam, ut infra Vulfennius *ingens;* ut superius : caloni aptaveris *alto;* vel quia castrati grandescant. Juvenal. VI, 512 :

> .... Matrisque deûm chorus intrat, et *ingens*
> Semivir, obscœno facies reverenda minori,
> Mollia qui rupta secuit genitalia testa.

Conf. de *Gallis* Plin. H. N. II, 49; Apuleium, passim; Varr. ad voc. *Gallare;* Fenestell. De Sacerdotibus Romanis. — *Et cum sistro lusca sacerdos;* h. e. *sacerdos* Isidis, cujus sacra tunc temporis Romæ celeberrima. Lucan. VIII, 831 sqq. *Lusca;* vel stulta, turpis, sordida, quemadmodum supra posuit : patres infundere *lippos;* Et : magni Messalæ *lippa* propago; vel revera *lusca*, oculo capta. « Nubiles deformes, ait vetus Scholiastes, quum maritos non invenerint, ad ministeria deorum se conferebant. » Male hoc; sed erat superstitio, qua opinabantur perjuris infestam Isidem, pœnam irrogare cæcitatem. Ovid. De Pont. I, 1; Juvenal. XIII, 93 :

> Decernat quodcumque volet de corpore nostro
> Isis, et irato feriat mea lumina *sistro*.

Unde forsitan Isidis sacerdotes sibi oculum effodiebant, quemadmodum Galli Cybeles testiculos sibi rescindebant. Tantum religio potuit suadere stultitiarum! Adde quod Isis in Ægyptiorum picturis quæ asservantur, repræsentatur habens oculum in fronte. — *Cum sistro;* proprium Isidis insigne *sistrum*, cujus formam describit Apuleius, Metam. II.

Conf. Plutarch. De Iside et Osiride, cap. 63, et libros Nostrorum recentiores, ubi Ægyptiorum antiqua monumenta describuntur. Huic *sistro* multæ virtutes tribuebantur. Interpp. ad Petron. 114; Virgil. Æneid. VIII, 696; Propert. III, 9, 43.

Not. 187. *Incussere Deos inflantes corpora.* — *Incussere Deos;* Persiana locutio, audacior pro : *incussere* metum deorum. Proprie *incutere*, ἐνσείειν, quatere arma ad terrorem; bene translatum ad voces et tympana, quibus in Syria homines erant obnoxii, et quorum causas a solo et temperie ad Deos transferebant astuti sacerdotes et superstitiosi. Plutarch. De Superstit. cap. 9 : τὴν δὲ Συρίαν θεὸν οἱ δεισιδαίμονες νομίζουσιν, ἂν μαινίδα τις ἢ ἀφύας φάγῃ, τὰ ἀντικνήμια διεσθίειν, ἕλκεσι τὸ σῶμα πιμπλάναι, συντήκειν τὸ ἧπαρ (*Syriam deam superstitiosi putant, si mœnides aut apuas comederint, rodere ipsis crura, implere corpus ulceribus, exsiccare jecur.*) Juvenal. XIII, 92; Martial. IV, 43, 2. Suet. Ner. 56 : « Religionum usquequaque contemptor præter unius Deæ *Syriæ*. Hanc mox ita sprevit, ut urina contaminaret. »

Not. 188. *Si non Prædictum ter mane caput gustaveris alli.* — Expiatio, est quam jubebant sacerdotes, si quis vetitum quid, si pisces quos, ait Plutarchus, comedendo, Syriæ Deæ iram in se devocasset. Hic autem descriptus superstitiosus comedit *caudam thynni,* grande piaculum! — *Prædictum;* explicant alii de jussu sacerdotis, alii de ratione qua *allium* comederent, quod nomine dicerent, prius quam comederent. Quidam vero jungunt cum *gustaveris mane,* ita ut hoc faciant tribus diebus, aut comedant semel *tria capita allii.* De isto ritu superstitioso pauca admodum deprehenduntur apud auctores, quæ dent huic loco lucem. Casaubonus Plutarchum citat de Iside et Osiride, apud quem cæpæ dicuntur exosæ fuisse Isiacis, eosque comedendis abstinuisse. Pratæus vero Plinium memorat, qui, lib. XX, cap. 6, multa refert de *allii* virtutibus, aitque *utilem quamdam inflationem facere, insaniæ mederi etc.*; vide etiam Turneb. lib. XVIII, cap. 12. Fortasse trahebant originem istæ superstitiones a fabulis quæ narrabant in Oriente latuisse deos sub forma cæparum, Isimque ejusque conjugem Osirim varias induisse piscium, quadrupedum, plantarum figuras.

Not. 189. *Dixeris hæc inter varicosos centuriones.* — *Dixeris hæc;* nempe de libertate animi, de libertate unius sapientis : epilogus enim sunt hi tres ultimi versus partis illius satiræ hujus, qua Stoicorum paradoxum tractatum est. — *Inter varicosos centuriones;* proverbium fuit apud Græcos στρατιωτικὴ ἐστιν ἀλογία, *militaris est stultitia.* Possunt igitur hæc dici in totum de hominibus agrestibus, incultis, imperitis; sed verosimilius est et Persii philosophicæ personæ convenientius, hæc jactitari in Prætorianos, in eos quibus subniteretur Neroniana potestas. Sic in III, 77 :

Hic aliquis de gente hircosa *centurionum.*

Varicosos, hircosos vocat per summum contemptum, uti paululum retundat superbiam gloriosis istis militibus. Conf. Ruperti ad Juvenal, VI, 397; Salmas. ad Solin. pag. 363.

VAR. 190. *Continuo crassum ridet Vulfenius ingens.* — Sic edunt MMS. mei Codices 8048 et 8055; fert 8070 : *Pulfennius;* utrumque admittunt laudatissimi editores. Anteponendum fortasse *Vulpennius* aut *Vulpexius;* quod nomen fictum foret a *vulpe*, ac militem designaret aliquem *κερδαλεόφρονα*.

NOT. 190. *Continuo crassum ridet Vulfenius ingens.* — *Continuo;* refert aliquid ab his Sat. I : « Multum gaudere *paratus.* » — *Crassum ridet;* in crassum risum solvitur iste rusticus. — *Vulfenius ingens;* sic dixit, *Caloni alto.* Sunt hæc a corpore ad animum translata.

VAR. 191. *Et centum Græcos curto centusse licetur.* — Legitur et *centasse*, sed male.

NOT 191. *Et centum Græcos curto centusse licetur.* — *Et centum Græcos;* coacervatim venundari *Græcos*, ut olera aut pecudes summi contemptus indicium est. *Centusse*, est *centumasses*, quos *curtos* vocat, quasi unus summæ vel duo dempti fuissent; ita ut unumquemque philosophum ne unius quidem omnino æstimet *assis.* — *Licetur;* verbum est juris *liceri*, usitatum in auctionibus publicis. *Græcos* Græcorumque sapientiam Noster defendit ubicumque. Sic in I, 127 :

> Non hic qui in crepidas *Graiorum* ludere gestit
> Sordidus.

Sic in III, 78, 79 sqq., ridet Centurionum dicteria in *Græcorum* sapientiam. Romanis vero plerisque quantopere omnia a Græcis profecta contemptui fuerint, præclare docuit Burm. ad Petron. 46. Hæc est illa perantiqua contentio vim inter armorum vimque rationis ac bonarum artium.

EXCURSUS

IN SATIRAM QUINTAM

A. PERSII FLACCI,

A VERSU 132—160.

(Extrait du Cours de Poésie Latine de N. E. Lemaire, Professeur à la Faculté des Lettres, Académie de Paris.)

Permettez-moi de comparer avec Perse des passages de notre Boileau et du Docteur Young, qui, dans une imitation qu'ils ont faite de cette fameuse prosopopée de l'Avarice et de la Volupté, ont cherché l'un et l'autre à transporter dans leurs langues les beautés de l'original latin.

Je cite les trois auteurs, en commençant par les vers de Perse, dont voici la traduction*:

« Le matin tu dors au sein de la paresse. — Lève-toi, dit l'Avarice; allons, lève-toi... Tu refuses... Elle insiste; lève-toi, dit-elle encore. — Je ne puis. — Lève-toi donc. — Eh, pourquoi faire? — Tu le demandes! Vas, cours chercher au royaume de Pont, des poissons délicats, du castoréum, du chanvre, de l'ébène, de l'encens, des vins légers de Cos; enlève le premier le poivre apporté sur des chameaux altérés : trafique enfin par des échanges; et jure hardiment. — Mais Jupiter m'entendra. — Ah! pauvre sot! Il faut te réduire au *pain sec* et à *l'eau claire* pour le reste de tes jours, si tu prétends vivre en bonne intelligence avec Jupiter.

« Mais déjà ta robe est retroussée; tes esclaves sont chargés : je les vois porter en hâte ton bagage et tes provisions. Rien ne t'empêche d'aller à l'instant fendre les flots de la mer Égée, si ce n'est la Volupté qui te mène d'abord à l'écart, pour te dire d'une voix artificieuse : « Où vas-tu de ce pas, insensé? où vas-tu? quel est ton dessein? quelle est cette mâle ardeur, qui tout à coup enflamme tes esprits, et qu'une urne entière de ciguë ne pourrait éteindre? Toi, traverser les mers? Toi, dîner sur le tillac, assis sur un amas de cordes, et buvant d'un vin clairet de Véies, infecté de l'odeur du goudron qui couvre le baril dont il coule! Que veux-tu donc? Las de retirer ici de ton argent un intérêt modeste,

* Vous trouverez le texte, page 188 de ce volume.

vas-tu le tourmenter par avarice, et à force de sueurs lui faire rendre cent pour cent? Ah, plutôt viens te livrer à la joie des festins! Cueillons ensemble les fleurs de la vie. Ta vie m'appartient. Bientôt tu ne seras plus qu'une cendre froide, une ombre, un vain nom. Souviens-toi de la mort, et vivons : le temps fuit : le moment où je parle, est déjà loin de nous. »

PERSE.... « Eh bien, que vas-tu faire ? attiré par deux hameçons opposés, lequel vas-tu choisir ? Il te faut subir tour-à-tour les caprices de ces deux maîtres, Il te faut passer tour-à-tour d'un joug à l'autre. Et quand une fois tu auras résisté et refusé d'obéir à leurs ordres pressants, ne dis pas : j'ai brisé mes fers, je suis libre ; car, à force de lutter, le chien finit par rompre le nœud qui l'attache, et s'enfuit ; mais une longue partie de sa chaîne reste attachée à son cou, et traîne bien loin après lui. »

Passons à l'imitation anglaise : Le Docteur Young veut montrer la vaine folie de l'ambition et de l'avarice. (Je me sers de l'excellente traduction de *Letourneur*, et je ne prétends pas juger d'après elle la valeur du style, mais seulement celle de la composition.)

« Plus on est riche, plus le désir s'irrite et croît avec les moyens de s'enrichir encore. Quel est le mortel qui sait s'arrêter, quand la passion le pousse ? L'avarice, comme un exacteur cruel, nous prescrit sans cesse une nouvelle tâche : les travaux se succèdent sans fin, et le terme où l'on comptait se reposer s'éloigne, à mesure que l'on croit en approcher.

« Méprise l'ame stupide qui fait son dieu de la poussière, dont le temps et la nature forment l'or.....

« Ces hommes abrutis, qui, dévorés de la soif du gain, travaillent toute leur vie comme des forçats, pour s'enrichir; se traînent dans la bassesse ; se dévouent au mépris, et boivent la honte sans la sentir.

« Ces troupeaux d'esclaves, que l'avarice charge d'un métal inutile, et chasse devant elle jusqu'au tombeau, sont de tous les fous, les plus vils et les plus malheureux.

« L'or ne fait que nous affamer, que multiplier nos besoins. Misérable! pourquoi te fatiguer et amasser pour les autres ! Dès que ce *pouls si faible* qui ne bat si long-temps que par miracle, s'arrêtera, ces richessee entassées dont-tu vis esclave, livrées alors au pillage, se disperseront de mille côtés; elles voleront dans des mains étrangères, dans celles de tes ennemis ; et leurs nouveaux maîtres insulteront à l'insensé qui se tourmente pour les enrichir. »

Sans doute on remarque dans ce passage des expressions énergiques, et des idées fortes ; mais on y retrouve l'écrivain sententieux qui débite lui-même tout ce qu'il veut vous apprendre. Et cependant nous savons que la satyre et le poëme descriptif sont les deux genres de poésie dans lesquels le génie anglais doit être le mieux secondé par sa langue; l'abondance des expressions qui lui appartiennent, ou qu'elle emprunte des autres idiômes, et l'inépuisable mine de ses adjectifs composés, lui donnent la facilité de peindre comme les Grecs, jusqu'aux moindres nuances des objets, en même temps que ses mots en grande partie monosyllabiques, lui permettent de serrer le sens de ses vers, comme Perse, et d'aiguiser le glaive tranchant de la satyre, comme Juvénal.

Mais malgré ces avantages, et les éloges que le célèbre Johnson a prodigués à son mélancolique compatriote, Young ne peut soutenir la comparaison avec Perse et Boileau.

Voyons maintenant comme ce dernier insinue la même morale dans une scène pleine de mouvement, moitié sérieuse, et moitié plaisante :

L'HOMME, Sat. 8, v. 65.

Ce maître prétendu qui leur donne des lois,
Ce roi des animaux, combien a-t-il de rois?
L'ambition, l'amour, l'avarice, la haine,
Tiennent comme un forçat son esprit à la chaîne.
Le sommeil sur ses yeux commence à s'épancher.
— Debout, dit l'Avarice, il est temps de marcher.
— Hé! laissez-moi. — Debout! — Un moment. — Tu répliques?
— A peine le soleil fait ouvrir les boutiques.
— N'importe; lève-toi. — Pourquoi faire, après tout?
— Pour courir l'Océan de l'un à l'autre bout;
Chercher jusqu'au Japon la porcelaine et l'ambre,
Rapporter de Goa le poivre et le gingembre.
— Mais j'ai des biens en foule, et je puis m'en passer.
— On n'en peut trop avoir; et pour en amasser,
Il ne faut épargner ni crime, ni parjure;
Il faut souffrir la faim, et coucher sur la dure;
Eût-on plus de trésors que n'en perdit Galet,
N'avoir en sa maison ni meubles, ni valet;
Parmi les tas de blé, vivre de seigle et d'orge;
De peur de perdre un liard, souffrir qu'on vous égorge.
— Et pourquoi cette épargne enfin? — L'ignores-tu?
Afin qu'un héritier bien nourri, bien vêtu,
Profitant d'un trésor en tes mains inutile,
De son train quelque jour embarrasse la ville.
— Que faire? Il faut partir : les matelots sont prêts.
Ou, si pour l'entraîner l'argent manque d'attraits,
Bientôt l'ambition et toute son escorte,
Dans le sein du repos vient le prendre à main forte,
L'envoie, en furieux au milieu des hasards,
Se faire estropier sur les pas des Césars;
Et cherchant sur la brèche une mort indiscrète,
De sa folle valeur embellir la gazette.

Boileau, comme vous voyez, n'imite qu'une partie du tableau original : il ne nous montre pas la volupté qui retient l'homme entraîné par l'avarice, qui lui fait des reproches tendres, des invitations séduisantes, des réflexions pleines d'une philosophie pratique.

« Quo ruis insane?.... quid tibi vis?
« Tun' mare transilias?.....
« Indulge genio :.....

« ..... Carpamus dulcia; nostrum est
« Quod vivis : cinis, et manes, et fabula fies :
« Vive memor lethi : fugit hora.....

Racine était rempli de ces vers, quand il composait ce chœur d'*Athalie*, acte IV, scène 9 :

Rions, chantons, dit cette troupe impie;
De fleurs en fleurs, de plaisirs en plaisirs
Promenons nos désirs.
Sur l'avenir insensé qui se fie !
De nos ans passagers le nombre est incertain :
Hâtons-nous aujourd'hui de jouir de la vie ;
Qui sait si nous serons demain?

Boileau conclut comme le poète latin, mais avec bien moins de vivacité.

« Que faire? Il faut partir : les matelots sont prêts.
« Ou, si pour l'entraîner l'argent manque d'attraits,
« Bientôt l'ambition et toute son escorte,
« Dans le sein du repos vient le prendre à main forte :

Cette fin ne peut pas se comparer à

En quid agis? duplici in diversum scinderis hamo :
Hunccine, an hunc sequeris? subeas alternus oportet
Ancipiti obsequio dominos; alternus oberres.

« Eh bien, que vas-tu faire? deux appâts t'appellent en sens contraires; suivras-tu celui-ci? suivras-tu celui-là? Il te faut tour-à-tour courber la tête sous les caprices de ces deux maîtres, et passer tour-à-tour d'un joug à l'autre. »

Ici Boileau s'est privé de l'effet toujours certain que produisent les contrastes. Il veut enchérir sur le latin, en montrant, « *l'esprit tenu à la chaîne comme un forçat.* » Mais,

« Subeas dominos alternus; alternus oberres;
« ..... Rupi jam vincula, dicas :
« ..... A collo trahitur pars longa catenæ;

sont des images frappantes, qui laissent bien loin l'imitateur.

Perse dit encore :

« Le matin vous dormez au sein de la paresse, *Mane piger stertis.* L'Avarice vient avant le jour, *Surge..... eia, Surge.....*

Et Boileau n'est pas aussi vrai :

Le sommeil sur ses yeux commence à s'épancher:
Debout, dit l'Avarice; il est temps de marcher....

Ce n'est pas lorsque le marchand est à peine couché, que l'intérêt le réveille. Ce n'est pas le soir qu'il se lève pour travailler. Ici la différence

du latin au français, du soir au matin, pourrait frapper, ce me semble, comme la différence du jour à la nuit, de *la vérité à l'exagération*.

Boileau :

> Il ne faut épargner ni crime, ni parjure;
> Il faut souffrir la faim, et coucher sur la dure.....

et pourquoi?..... pour enrichir son héritier!

Cette conséquence serait peu déterminante pour un avare, qui ne travaille que pour lui seul : elle ne l'entraînerait pas sur son vaisseau, dans la patrie des orages.... Oh! que j'aime bien mieux ce conseil plein d'adresse,

> *Verte aliquid, jura.....*

et cette réponse d'une conscience qui ne craint pas d'offenser la probité, mais d'être entendue de Jupiter :

> *..... Sed Jupiter audiet!*

Enfin cette exclamation de pitié, de mépris pour un homme qui court après les richesses, et qui veut vivre en bonne intelligence avec le Maître des dieux....

> ..... Eheu
> Baro.... Si cum Jove vivere tendis.

Comme si la soif de l'or ne bravait pas les remords, les lois humaines et divines!

Tout le passage de Perse est bien autrement animé, que l'imitation française.

Cependant, de tous nos satyriques, le seul que nous puissions opposer aux anciens, est Boileau, qui rapporta de son commerce intime avec eux, le talent de varier son style, et le secret encore plus rare de faire oublier le poète, lorsqu'il semble devoir surtout paraître. C'est lui, qui de son vivant même fut appelé le Haut Justicier, le Grand-Prévôt du Parnasse; que les étrangers nommaient le Poète de la France, et qu'on nomme toujours le Poète de la raison; qui fut mis à sa place, même par ses contemporains attaqués dans ses critiques sévères, tandis que Molière et Racine n'ont été justement appréciés qu'après leur mort : *In hoc beatissimus, quod consecratus quodam modo invidiaque major, illam quæ post fata præstari solet venerationem et famam, videns vivusque præsumpserit**.

* Grenan, professeur de rhétorique au collége d'Harcourt, mort en 1723, à 42 ans.

SATIRÆ SEXTÆ

ARGUMENTUM.

Postremus hic sermo de fortunæ bonis instituitur, quorum in usu servare modum, Neronianis præsertim temporibus, ignoravisse videntur homines. Scilicet alii, horridam illam veterum Romanorum parcimoniam avaritiæ suæ prætendentes, se servosque suos victu honesto defraudabant, vitamque per artes et Græcorum prudentiam ornari ac mitescere querebantur; alii in captanda stolidissimi tyranni aut ignobilis plebeculæ gratia fortunas profundebant; multi bona hæredi intacta asservabant, a quo vanos post mortem honores promererentur; nonnullos videre fuit turpissimo quæstui addictos, atque etiam in eo laudem ponentes, si præstantissima pascerent venderentque corpora servorum.

Pravos istos civium mores refingere Stoici nitebantur per hæc præcepta: Vivendum est pro ratione fortunarum suarum, quibus uti decet, non abuti; decet curare seipsum, largiri amicis, opitulari egentibus; hæredem sibimetipsi præferre ac revereri, ineptum, iniquum; quæstum facere ipso amore quæstus, inhumanum, infinitum. Ita, justum servare modum in usu, in sumptu, in dando, legando, acquirendo, ea demum sapientia est. — Quas vitæ leges Persius non rigida et jejuna disserit oratione, sed varia, lepida, jocosa, nunc cum amico poeta et secum collocutus; nunc futurum hæredem suum vocans ad calculos; interdum subsannans tyrannos et popellum; ubicumque sordes avarorum et lucrum aversatus.

SATIRÆ SEXTÆ

ANALYSIS.

Cæsium Bassum, lyricum poetam eumdemque familiarem suum, ubinam degat quidve meditetur interrogat, atque certiorem facit se hyemare in tepida Liguriæ ora, sub urbis Lunæ

portum, ibique se vivere securum vulgi et ventorum, vacuum invidia, fruentem bonis et contentum, 1, 17.—Inde sumit initium *De legitimo divitiarum usu* disserendi, atque avaritiæ sordes et nimios vanitatis sumptus aliis permittens, statuit sibi vivendum esse pro ratione reditus annui, 18, 26.—At enim si totus anni reditus impendatur, unde sumetur ad impensas extraordinarias, honestas tamen, quales fiunt ad opitulandum amico? Tum ex ipso fundo frangendum esse aliquid censet Persius, 27, 33.—At enim rursus minui fundum moleste feret hæres, et funeris pompam negliget; at enim stolidus aliquis pristinæ avaritiæ defensor, vitam excoli per artes et sapientiæ inventa indignabitur: mortuum nihil istæ impellent querelæ, 33, 41.—Hic hæredem suum vocat ad calculos poeta, et recusanti sumptus fieri honestos, quales esse decet opitulantis amico, comminatur se facturum sumptus insanos, quibus plebeculæ et furiosi Principis gratiam aucupetur, (alludens ad fictum illum de Germanis triumphum, quem sibi Caius arrogaverat) hominemque interrogat, an malit sic impendi, quibus inhiat, fortunas, 41, 51.—Quod si hæreditatem comminutam legitimus hæres se aditurum negaverit, hæredem profitetur sibi instituendum esse unum e multis; qui quam infimo loco natus sit nihil interesse, si quidem omnes omnino homines cognatione quadam inter se tenentur; rem familiarem viventis esse, non hæredis vel proximi; quantulumcumque sit reliquum ex re familiari, lucri insperati loco habendum esse hæredi, 52, 67.—Quoniam hæres viventis bona nequaquam repetere jure suo potest, neque ullam exigere rationem impensorum, stulti fuerat sese ipsum vitæ necessariis defraudare, ut posteri diffluant bonis, et insanis voluptatibus, 68, 74.—Avaritia suos turpissimis addicit quæstum faciendi rationibus atque etiam vendendis hominibus, neque tamen ulla opum vi exsatiari potest: nullus est habendi terminus, 75, 80.

SATIRA SEXTA.

AD CÆSIUM BASSUM.

Admovit jam bruma foco te, Basse, Sabino?
Jamne lyra et tetrico vivunt tibi pectine chordæ?
Mire opifex numeris veterum primordia vocum,
Atque marem strepitum fidis intendisse Latinæ,
Mox juvenes agitare jocos, et pollice honesto
Egregios lusisse senes? Mihi nunc Ligus ora
Intepet, hibernatque meum mare, qua latus ingens
Dant scopuli, et multa littus se valle receptat.
Lunaï portum est operæ cognoscere, cives:
Cor jubet hoc Ennî, postquam destertuit esse
Mæonides Quintus pavone ex Pythagoreo.

SATIRÆ SEXTÆ INTERPRETATIO.

Jamne hyemis tempus, mi Basse, te compulit ad focum in agro tuo Sabino? Jamne citharæ fides, severo excitatæ plectro, tibi reviviscunt, admirande artifex, qui numeris voces discriminas, quæ sunt prima elementa musicæ artis; atque mares intendis strepitus lyræ Latinorum; idemque nunc juvenum lusus agitas, nunc, graviore modo, canis senum res sapienter gestas? Mihi vero jam repetita est ora Liguriæ tepidior, hibernansque mare patriæ meæ contiguum, quo in loco scopuli ingentes latera objiciunt, et littus in longam vallem reducitur: « Lunaï portum est operæ cognoscere, cives. » Sic laudare hanc, quam accolo, urbem bene memor fert animus Ennio, postquam somniare desiit se esse factum Homereum Ennium, ex illo pavone, in quem per metempsychosim migraverat anima Pythagoræ. Hic ego delitui, nihil curans quid

Hic ego, securus vulgi, et quid præparet Auster
Infelix pecori securus; et angulus ille
Vicini nostro quia pinguior: etsi adeo omnes
Ditescant orti pejoribus, usque recusem
Curvus ob id minui senio, aut cœnare sine uncto,
Et signum in vapida naso tetigisse lagena.
Discrepet his alius. Geminos, horoscope, varo
Producis genio. Solis natalibus est qui
Tingat olus siccum muria vafer in calice empta,
Ipse sacrum irrorans patinæ piper; hic bona dente
Grandia magnanimus peragit puer. Utar ego, utar,
Nec rhombos ideo libertis ponere lautus,
Nec tenuem solers turdarum nosse salivam.
Messe tenus propria vive; et granaria, fas est,

vulgus agat, quidve minetur pecori noxius Auster, immo etiam nihil curans, an vicini agellus meo sit pinguior; atque, etiamsi omnes loco orti inferiore quam ego fiant locupletes, non ideo tamen velim incurvari et contabescere invidia, veluti senio; neque cœnam meam defraudare cibis lautioribus, admotove naso, *uti solent domini sordidiores*, explorare utrum lædatur lagenæ acescentis signum, *vel tempore, vel fraude servi.*

18. Huic meæ vitæ rationi dissentiat alius, per *me licet; eam enim esse novi ingeniorum varietatem*, ut in diversum agantur gemelli etiam fratres sub eadem siderum positione in lucem editi: scilicet parcus alter ac tenuis, non nisi die natali aridas continget herbas, *pro omni condimento*, salsugine quam ademerit in vasculo neque bona fide, inspergetque ipse manu sua piper patinæ, veluti rem sacram; alter vero grandia patris bona cito conficit, id magni animi esse putans, insanus puer. Ego, *neutrum secutus*, fortunis utar, *nec abutar tamen*, neque ita ero prodigus, ut libertis lautiori mensa rhombos apponere velim, aut omnem adhibere animi solertiam ad secernendam turdæ salivam a saliva turdi, *quod adeo tenue discrimen est!* Vivendum est secundum messis modum, quæ tua est; annuosque reditus frumenti absume quoniam licet. Ecquid enim metuas?

Emole. Quid metuas? occa; et seges altera in herba est.
Ast vocat officium : trabe rupta Bruttia saxa
Prendit amicus inops, remque omnem surdaque vota
Condidit Ionio; jacet ipse in littore, et una
Ingentes de puppe Dei; jamque obvia mergis
Costa ratis laceræ. Nunc et de cespite vivo
Frange aliquid, largire inopi, ne pictus oberret
Cærulea in tabula. Sed cœnam funeris hæres
Negliget, iratus quod rem curtaveris; urnæ
Ossa inodora dabit, seu spirent cinnama surdum,
Seu ceraso peccent casiæ nescire paratus.
« Tune bona incolumis minuas? » Et Bestius urget
Doctores Graios : « Ita fit, postquam sapere Urbi
Cum pipere et palmis venit nostrum hoc maris expers;

modo agrum colito et expurga; et jam altera tibi succrescit seges in herba.

27. At enim liberalitatis officio fungaris necesse est : scilicet amicus egens, effracta cui adhærebat trabe, Brutii saxa prensare manu nititur; omniaque bona et vota insuper nihil exaudita Diis perdidit, oppressa Ioniis fluctibus; ipse jacet in littore, necquicquam amplexans revulsas a puppe magnas Deorum imagines : interea disjectæ navis costæ fluitant marinis avibus occursantes. Nunc detrahendum est ex ipso etiam fundo aliquid, quo inopem recrees ac reficias, ne tabulam cæruleam, in qua naufragus depingatur, miser circumferat. At enim rursus, si fundum minueris, moleste feret hæres, et solemnem funeris cœnam negliget, et urnæ committet cinerem, solitis defraudatum aromatibus, nihil omnino sollicitus, sive cinnamomum amiserit odorem, sive casia corrupta sit admixto cerasi cortice. « Tune audeas, inquiet avarus, bona minuere, te incolu- « mi, nec ulla re egente?.... » Atque insuper audiendus erit inimicus liberalitati Bestius, Græcorum philosophiam incusans : « Hæc fieri videmus, ait, postquam transmarina ista sapientia « nostra Urbem invecta est, cum pipere et palmis ab Oriente

Fenisecæ crasso vitiarunt unguine pultes. »
Hæc cinere ulterior metuas! At tu, meus hæres
Quisquis eris, paulum a turba seductior audi.
O bone, num ignoras? missa est a Cæsare laurus
Insignem ob cladem Germanæ pubis, et aris
Frigidus excutitur cinis; ac jam postibus arma,
Jam chlamydes regum, jam lutea gausapa captis,
Essedaque, ingentesque locat Cæsonia Rhenos.
Dis igitur Genioque ducis centum paria, ob res
Egregie gestas, induco. Quis vetat? aude.
Væ, nisi connives! oleum artocreasque popello
Largior. An prohibes? dic clare. — Non adeo, inquis:
Exossatus ager juxta est. — Age, si mihi nulla
Jam reliqua ex amitis, patruelis nulla, proneptis

« asportatis; eo enim jam ventum est, ut ipsi fenisecæ avitum « ac genuinum pultem admixto unguento corrumpant.... »

41. Tene, quæso, istæ moveant injuriæ avarorum et stultorum, a quibus morte sepositus fueris?... At tu, meus hæres quisquis futurus es, a turba paululum semotus audire velis: Tene fugit, o bone, missas esse ab imperatore (*Caligula*) ad senatum epistolas, lauro insignitas, propter pulcherrimam victoriam de Germanis, ut ait, reportatam? Jam sacra parantur, excutiunturque aris frigidi cineres; jam Cæsaris uxor Cæsonia templorum foribus arma barbarorum affigenda locat, jam regum chlamydes, jam captivis componendis croceas et villosas vestes, et propria Rhenanis vehicula, proceraque ipsa corpora Rhenanorum. Ergo in honorem Deorum et genii ducis centum paria gladiatorum in arenam inducere mihi in animo est, ob res præclare gestas. Quis tandem huic meæ erga Principem liberalitati obstiterit? Audeas parumper obstare. Væ tibi, nisi mecum in festum edendum conspires! insuper oleum et fartos carne panes plebeculæ largior. Num tu prohibere velis? Dic, dic aperte. — Nolim, inquis, istam tuam adire hæreditatem; similis enim agro facta est ad ossa redacto. — Fac ut libet; ego vero, si mihi nulla jam ex amitis relicta est, si patruelis nulla,

Nulla manet, patrui sterilis matertera vixit,
Deque avia nihilum superest : adcedo Bovillas,
Clivumque ad Virbi ; præsto est mihi Manius heres.
« Progenies terræ ! » Quære ex me, quis mihi quartus
Sit pater : haud prompte, dicam tamen. Adde etiam unum,
Unum etiam : terræ est jam filius ; et mihi ritu
Manius hic generis prope major avunculus exit.
Qui prior es, cur me in decursu lampada poscis?
Sum tibi Mercurius : venio deus huc ego, ut ille
Pingitur. An renuis? Vin' tu gaudere relictis?
« Deest aliquid summæ. » Minui mihi : sed tibi totum est,
Quidquid id est. Ubi sit, fuge quærere, quod mihi quondam
Legarat Stadius. Nec dicta repone paterna :
Fœnoris adcedat merces : hinc exime sumptus.

nulla proneptis superest, si patrui mei soror materna nullos ante mortem suscepit liberos, nihilque omnino ex avia relictum est cognatorum, ad vicum Bovillas clivumque Virbii, me confero, ibique mihi pro hærede cito occurrit Manius ex plebecula aliquis. — Tu tibi instituas hæredem hominem nihili, filium terræ? — *Quidni?* si rogaveris enim quis mihi quarto gradu sit pater, non equidem cito respondebo, respondebo tamen ; adde autem avum unum, atque unum etiam, jam ultimus ille filius terræ et ipse est, ita ut hic Manius fiat mihi, quasi justo generis ordine, aliquis aviæ frater. Tu priori es ac Manius iste gradu : concedo ; sed non ideo decet te a me reposcere vitæ lampada, dum vitæ spatium decurro. Sum tibi Mercurius lucri dator ; tibi ex insperato supervenio, quemadmodum deus ille pingitur. Oblatumne recusas, an mavis iis esse contentus, quæ reliquero?

64. Deesse objicies bonorum meorum summæ aliquid ; fateor : sed ego minui mihi, et tibi totum est, quodcumque est quod reliquero. Parce quærere quonam abierint quæ mihi olim legaverat testamento Stadius, atque ea mihi objicere quæ severi patris monere est : « addatur videlicet summæ ex fœnore reditus, qui vitæ necessitatibus impendatur. »

« Quid reliquum est? » Reliquum? nunc nunc impensius unge,
Unge, puer, caules. Mihi festa luce coquatur
Urtica, et fissa fumosum sinciput aure;
Ut tuus iste nepos olim satur anseris extis,
Quum morosa vago singultiet inguine vena,
Patriciæ immeiat vulvæ? mihi trama figuræ
Sit reliqua, ast illi tremat omento popa venter?
Vende animam lucro, mercare, atque excute solers
Omne latus mundi, ne sit præstantior alter
Cappadocas rigida pingues pavisse catasta:
Rem duplica. Feci; jam triplex, jam mihi quarto,
Jam decies redit in rugam. Depunge, ubi sistam.
Inventus, Chrysippe, tui finitor acervi!

Quid reliquum sit, *inquies.* Reliquum?.... *ad istam interrogationem sic repono :* unge, famule, unge caules impensius, et lautiorem appara mensam. Egone festis etiam diebus vilissima herbarum urtica vescar, et porcino capite quod exaruerit, in camino aure perforata suspensum, ut ditatus olim parcimonia mea iste tuus nepos, anseris jecore, cibo exquisitissimo, exsaturetur; atque, ubi morosa libidine fervens, ac vena inguinis huc illuc singultatim palpitante, vulgarem fastidierit venerem, tentet cum nobili matrona coïre? Egone me macie conficiam, ut nervorum textura tantum mihi et ossa supersint; iste vero pinguedine turgescat, et adipe subsiliat ei venter obesus!

75. Vitam impende lucro, mercaturam exerce, omnesque terrarum oras solertius explora, ut cæteris præstes in pascendise Cappadocia servis, quorum pinguia corpora manibus palpata, et machina rigidius coercente, exponas ementibus. Rem quocumque modo duplicem facias. *Sic vivam jubes, avare; age,* feci; immo vero jam ter, jam quater, jam decies rem duplicavi. *Quid postea? Ecquis erit terminus?* Defini modum, cui insistam... Scilicet inventus est, Chrysippe, qui tuum finiat acervum!

VARIÆ LECTIONES

ET NOTÆ

IN SATIRAM SEXTAM.

DE SATIRA SEXTA. ABSOLVIT satirarum libellum sermo *De usu divitiarum*: qui locus, ut ad communem omnium vitam pertinet, ita omnibus qui scripserant de ratione vivendi, fuerat antea attrectatus. Nam, ut rem a Græcis repetamus, a quibus omnis ducit originem philosophia, multa de fortunæ bonis gnomici præcepere, lyrici multa, multa comici; plura vero et graviora profecti e Socratis schola sapientes : quorum varias referre de bonis opiniones, et varia exponere doctrinarum capita, non est istius notæ. Hoc unum colligamus, nonnihil profecisse ejusmodi philosophorum disputationes ad mores hominum informandos. Græcos enim, præsertimque Athenienses, liberalem præ cæteris populum, non peredit lucri amor, non ea inquinavere immania vitia, quæ ex isto amore derivantur. Tulit profecto avaros et prodigos Græcia, et quidem multos, ut omnis regio; privatos vero potius quam publicos mores infecit avaritia, aut stolidus bona disperdendi furor: civibus haud ita licuit esse immodestis in tenuissimis civitatibus. Ita philosophiæ beneficio et paupertatis, scientias Græci, artes gloriamque malebant, quam pecuniam; unde Horatius, in Epistola ad Pisones :

> Graiis ingenium, Graiis dedit ore rotundo
> Musa loqui, præter laudem, *nullius avaris*:
> Romani pueri longis rationibus assem
> Discunt in partes centum diducere.

Scilicet jam inde ab initio populus Romanus assuevit lucro et rapto, qui vicinarum gentium opes, non per mutuas commercii vices, sed per latrocinia aut vectigalia totas ad se traheret. Ipsa illa aurea reipublicæ tempora, quæ tantas posteris movere admirationes, cives habuere rudes et incultos, sibimet ad vitæ commoda nihil indulgentes, immites servis debitoribusque, rapaces alieni. Ipsi illi Fabricii et Curii, qui aurum habere sibi recusabant, aurum habentibus imperare maxime cupiebant. Quæ tandem fuit ignobilium avaritia, quum ita sentirent generosi? Quæ vero esse debuit, ubi sublata est libertas, quæ honestat etiam vitia, ubi divitiæ in Italiam confluxerunt ex omni parte orbis terrarum? Quum

nullus jam esset nisi divitibus honos in serva ac corrupta civitate, divitias omni arte omnes requirebant. Non alia tempestate plures videre fuit fæneratores, non crudeliores servorum mercatores, non putidiores testamentorum captatores, scriptoresve stolidiores; non aliam apud gentem sordidiores quæstus, sumptusve effusiores.

Tantis malis medendum censuerunt scriptis et oratione sapientes, imperatores edictis. Sed neque M. T. Ciceronis facundia, Flaccive Horatii sermones, neque divi Augusti aut Tiberii Neronis leges tantum effecere, ut in melius mores corrigerentur. Immo vero, imperantibus Caio, Claudio ac Nerone, in pejus prolapsi sunt. At tanto fortius reclamavere sapientiæ professores, Seneca ante alios, cujus præceptis dabat auctoritatem, quod ipse divitiis abundaret, atque esset in excelso positus. Hujus exstant *litteræ ad Lucilium;* exstat liber *De beneficiis,* quibus doctrinam edidit de divitiarum usu honestam utilemque, ab omni fastu remotam, maxime dignam philosopho, qui bona multa possideret, nequaquam vero possideretur bonis. Hæc est doctrina, cujus meminerit Noster, superius in III, 69, 70, 71, et quæ brevissimo huic subest sermoni: Persius, ut erat homo litteratus idem et eis opibus ornatus, quæ esse solebant equitum Romanorum, summam profitetur modestiam, summam liberalitatem. « Vivat unusquisque pro ratione reditus jubet; ipse totum reditum suum impendere velit, ut possit largiri amicis egentibus, etiam ex fundo. Avaros insectatur, qui veterum Romanorum parcimoniam vitio suo prætendentes, vitam hominum per Græcorum prudentiam fieri humaniorem indignabantur. Stolidos ridet sumptus, quos effundi principi juberet ignava adulatio. Hæredum exagitat superbam exspectationem, commemorando bona omnibus æquo jure possideri hominibus. Lucri amorem, durum et insatiatum, exsecratur.» Hæc omnia Stoicismi sui disputat interrogatiunculis et stricta premit oratione, jejuna paululum, sed fortiori, atque, ubi describit æquales, mordaci et animosa. Sermo incipit a laudibus amici, quemadmodum fecit in II, et in IV; scilicet laudare amant interdum et satyrographi.

Titulos huic satiræ inscriptos varios deprehendo in variis MSS. fert n° 8048 : *Incipit ad Cæsium Bassum lyricum poetam;* 8055 et 8070 titulos referunt æque ineptos, utpote librariis excogitatos. Nihil ferme de Cæsio illo Basso accipimus, nisi quæ Persius et Persii vitæ auctor tradiderunt. Videtur locum obtinuisse inter lyricos Latinorum ab Horatio secundum; villam habuit in Sabino; satiras Persii in lucem edidisse dicitur. Quod amicitiæ munus non sine periculo fuit. Prospice notam quæ sequitur.

Not. 1. *Admovit jam bruma foco te, Basse, Sabino?*—Romani, divites ac docti, qui tempora sua inter negotia et studia dividebant, ad villas ab urbe non tantum valetudinis gratia et verno tempore aut per æstatem secedebant, verum et qualibet tempestate ibi commorabantur, atque etiam hiemabant, procul ab omni strepitu, litteris et scripturæ indulgentes. Constat hoc ex Epistol. Tull. ad Atticum; e Sueton. Augus• 72;

Plin. Jun. I, 9; III, 5; Horat. Epist. I, 7 et 15; II, 2, 65 sq., 77 sq. Sic videntur Roma exire soliti Persius et Cæsius *Bassus*, in agros quos habuerunt hic in *Sabinis*, Persius in ora Etruriæ. Scribens igitur Noster ad amicum, rogat an se jam contulerit in agrum *Sabinum*. — *Admovit;* compulit ut secederes. — *Foco Sabino;* posuit pro prædio, villa in qua hiemaret. — Hiemem vocat *brumam*. Proprie *bruma* est hiemale solstitium, in quo βραχεῖα ἡμέρα (*brevior dies.*) Ovid. Fast. I; Virgil. Georg. I, 208, 211. — *Basse;* plures vixerunt nomine *Bassi*, de quibus vid. Quintil. X, 1; A. Gell. III, cap. ultim.; V, cap. 7; et alibi; Brouckh. ad Propert. I, 4, 1; Voss. De Hist. Lat. I, 22; etc.... Videtur hic autem *Bassus* ille fuisse, qui floruit sub Nerone et Vespasiano, qui, teste Quintiliano, *post Horatium lyrici carminis laudem tulit*, quem ait scholiastes Persii positum *in prædiis suis, ardente Vesuvio monte, et cum villa sua ustum esse*, cui, si fides adhibeatur auctori vitæ Persii, *petenti ut ipse librum ederet*, Persius *tradidit edendum*. Ex quo videntur fuisse amicitia conjunctissimi.

Not. 2. *Jamne lyra, et tetrico vivunt tibi pectine chordæ?* — Poetica periphrasis pro, lyricisne carminibus, more tuo vacas? — *Lyræ et chordæ;* fig. ἐν διὰ δυοῖν pro : chordæ lyræ. De *lyra* vid. Macrob. Saturnal. I, 19; Alex. ab Alexand. II, 25; Jani not. ad Horat. Od. I, 10, 6; III, 2, 3. — *Vivunt;* spirant, animantur. *Lyra*, dum muta est, somniare dicitur, aut mortua jacere; ubi pulsatur, vigilare, moveri, loqui, *vivere*. *Vivit* autem per *pecten*, quo tangitur. — *Tetrico pectine;* est instrumentum *pecten* ad *pectendas*, pulsandas fides. Virg. Æn. VI, 647, de Orpheo :

Jamque eadem digitis, jam *pectine* pulsat eburno.

Tetrico, severo; spectat ad carminis argumentum et ad modos graves, Stoico dignos, ut interpretantur nonnulli; vel simplicius, quia severitatem *Bassus* in poematibus sequebatur.

Var. 3. *Mire opifex numeris veterum primordia vocum.* — Sic edunt MMS. mei Codices 8048, 8055, 8070, 8273. Legunt nonnulli, inter quos Casaubonus et Kœnig, *rerum* pro *vocum*, nescio qua freti auctoritate. *Vocum* prætuli, non solum quia in hoc edendo membranæ consentiunt, sed etiam quia Virgilium Noster sequitur, qui dicit Æneid. loc. citat :

Obloquitur *numeris* septem discrimina *vocum*.

Not. 3. *Mire opifex numeris veterum primordia vocum.* — *Mire opifex;* pro admirandus ea arte, qua etc. — *Numeris;* jungendum cum *intendisse* versus insequentis; Virgilium imitatur, qui dixit loc. cit. « Numeris obloqui » dixitque rursus Æneid. IX, 776: « *numerosque intendere* nervis. » — *Veterum primordia vocum;* locutio subobscura, quam nemo satis illustraverit interpretum. Equidem ego hæc dicta crediderim de iis *vocibus* quas *veteres* esse voluerint *primordia*, elementa totius musicæ artis, ita ut similem ferme sensum referant his Virgilianis : « septem discrimina vocum. » Opponuntur hæc procul dubio his versus insequen-

tis : « marem strepitum fidis Latinæ ; » agiturque, ut vetus notat scholiastes, de *mira opificis* varietate, qui cum antiquis Græcorum metris *marem* adjunxerit *strepitum fidis Latinæ*. — Altera est explicatio, quam petierint ex A. Gellio, apud quem sæpius laudantur *Bassi* libri, *De origine vocabulorum* : alludere Nostrum ad librum illum per hæc verba, *Veterum primordia vocum* arbitrantur. Verum hic agitur de vate, non de grammatico ; de arte lyrica, non de eruditi libro : verum ille *Bassus*, quem laudat Gellius, prænomen habuit *Gabius* aut *Gavius*, dum *Bassus* hic, Persii amicus, et apud Quintilianum loc. cit., et in vita Persii, et in titulis ejus satiræ qui reperiuntur apud MMS. Codices, *Cæsius* perpetuo appellatur. — Casaubonus, qui legit « primordia *rerum* » hæc intelligit, cum quibusdam aliis, quibus ultro Pratæus adstipulatur, de mythici temporis historia, de θεογονία et κοσμογονία, quæ quidem materia lyrico poetæ haud ita conveniat. Alii denique, ut Britannicus, hæc audiunt de poeseos primordiis.

Not 4. *Atque marem strepitum fidis intendisse Latinæ.* — Absolvit incœptam superiore versu sententiam de laudibus Bassi. Propriam hanc illi tribuit laudem quod Latinorum decus in carmine lyrico sustinuerit ; nec immerito. Nam quum lyrici apud Græcos memorentur numero infiniti, apud Latinos duo tantum claruere, Horatius et Cæs. Bassus, ut ait Quintil. X, 1, loco jam citato. — *Marem strepitum ;* inerant, ut videtur, Bassi carminibus mascula vis et *mores* acerrimi, quos Horatius in Art. Poet. 402, tribuit Tyrtæo.

Var. 6. *Egregios lusisse senes?* — Sic ferunt MMS. mei omnes ; sic plerique ediderunt. Posuit vero Kœnig : « *Egregius* lusisse senes. » Sed convenire vix potest *egregius* in recto casu cum *mire opifex*, in vocativo, quanquam ea de re possunt afferri exempla. Sed quid est cur desudes in MMS. Codicum lectione immutanda, quum sensum efficiat tuo vel potiorem?

Not. 5 et 6. *Mox juvenes agitare jocos, et pollice honesto Egregios lusisse senes?* — Legenda hæc cum *mire opifex*, quemadmodum *intendisse*. — *Mox ;* quasi dixisset : atque etiam. — *Juvenes agitare jocos ;* sæpius apud Persium ponitur substantivus pro epitheto in hunc modum ; *juvenes* pro *juveniles*. — *Juvenes agitare jocos ;* proprium hoc est lyricorum, ex Horat. Art. Poet. 83 sqq. :

> Musa dedit fidibus divos, puerosque deorum,
> Et pugilem victorem, et equum certamine primum,
> *Et juvenum curas*, et libera vina referre.

Pollice honesto ; sub. pulsans citharam : eadem ratione positum ac *tetrico pectine*. Citharizantes enim modo digitis, *pollice*, modo *pectine*, vel plectro, fides impellunt. Virgil. Æneid. loc. citat. Æneid. VI, 647. — *Honesto ;* nobili, elato ac generoso carmine. — *Egregios lusisse senes ;* usitatior est locutio *ludere versu* aut simpliciter, *ludere* pro canere, celebrare carminibus. *Egregios senes ;* qui senectutem *egregie* et sapienter degunt. Hæc opponuntur illis : *Juvenes agitare jocos*. Nimirum excellit

in utroque Bassus, in agitandis *juvenum* ludis, in celebranda sapientia *senum*. Quæ varietas propria est lyricorum. Torquet se Kœnig ad hunc locum, qui paulo curiosioris est latinitatis, sensus vero apertissimi.

Not. 6 et 7. *Mihi nunc Ligus ora Intepet, hibernatque meum mare, qua latus ingens Dant scopuli.* — *Mihi;* referendum ad *te* et *tibi* primi ac secundi versus : Amicum de se docet, quemadmodum de illo rogavit. — *Ligus ora;* pro ora *Ligustica*, ut paulo ante *juvenes jocos* pro juveniles. *Liguria*, Italiæ pars, a Narbonensi Gallia ad Thusciam protensa, secundum maris littus; hodie *ora Genuensis*, a Genua civitate. Addunt veteres glossæ « huc secessisse Persium, propter Fulviam Sisenniam matrem suam, quæ post mortem prioris viri, ibi nupta erat *Liguri* cuidam, aut Lunensi. » — *Intepet;* Cic. De natur. Deor. II, 26 : « maria agitata ventis ita *tepescunt*, ut intelligi facile possint in tantis illis humoribus inclusum esse calorem : nec enim ille externus et adventitius habendus est *tepor*, sed ex intimis maris partibus agitatione excitatus, quod nostris quoque corporibus contingit, quum motu atque agitatione recalescunt. » Potest et intepere ea *ora*, quia reductis montium et scopulorum cacuminibus a ventis et frigore defendatur. — *Hibernat mare;* Vet. Schol. « Sævit, navigiis vacat. Sicut naves *hibernare* dicimus, sic et mare, quum non navigatur. » Horat. Sat. II, 2, 17 :

Defendens pisces *hiemat* mare.

Sallust. « Aquis *hiemantibus.* » Senec. Epist. CXIV : « *Hiemat* mare » — *Meum;* non solum quod ejus nunc *oram* accolit, sed etiam quia natus Volaterris, oppido Hetruriæ, propter hoc *mare.* — *Qua latus ingens dant scopuli;* describit Lunæ promontorium. Conf. huic descriptioni similes locos Virgil. Æneid. I, 163 sqq.; Id. ibid. III, 533; Valer. Flacc. I, 619; Claud. XLIX, 36; Strab. V.

Not. 8. *Et multa littus se valle receptat.* — Videtur *vallem* appellare curvaturam *lunati* littoris, quod maria penetrat. Sinum enim ibi fecit natura suavissimum, et deflexum littus in formam *lunæ* curvatur; unde nomen ejus portus. Vid. Strab. loc. cit.

Var. 9. *Lunaï portum est operæ cognoscere, cives.* — Sic ferunt MMS. Codices nonnulli; sic receperunt Britannicus, Casaubonus, Pratæus, Kœnig, laudatissimique editorum. — Ferunt alii MMS. Codices et vetustissima ex editionibus Gallicis :

Lunaï portum (est operæ) cognoscite, cives.

quem in modum edidere Passow et *Achaintre*, editorum novissimi. Nimis requisita et parum commoda videtur ea constructio; simpliciorem prætuli.

Not. 9. *Lunaï portum est operæ cognoscere, cives.* — Vetus est Ennii versus, qui Nostro redit in memoriam, et cujus auctoritate loci commendat amœnitatem, ubi degit. — *Lunaï* pro *Lunæ*, ut apud veteres poetas ipsumque inprimis Ennium solemne : recurrit et ea forma apud Lucretium, apud Virgilium aliosque. *Luna*, urbs fuit Hetruriæ antiquissima in

confinio Liguriæ, ad ostia Macræ fluvii, hodie *Sarcana*. — *Lunæ* autem portus maximus, seu verius, sinus Liguriæ. Sinus inter portum Veneris et portum Erycis, ambitu viginti millia passuum patens : hodie *golfo della Spezzia*. Celebrabatur etiam Lunense marmor. Hinc laudes Ennii Persiique. Vid. Strab. loc. cit.; Plin. H. N. III, 5; XIV, 6; XXXVI, etc. — *Est operæ;* supple, *pretium*, quod in ea locutione interdum subauditur, ut monet Casaubonus e Livii exemplo.

Not. 10 et 11. *Cor jubet hoc Enni, postquam destertuit esse Mœonides Quintus pavone ex Pythagoreo.* — *Cor Ennii*, pro *Ennius*. Sic Horat. pro Scipione et Lælio, Sat. II, 1, 72;

Virtus Scipiadæ et mitis sapientia Lælî

Nisi tamen *cor Ennii* significat bene cordatus, bene memor *Ennius* quando non somniat, quando factus est ex insipiente sapiens. — *Postquam destertuit esse;* postquam somnium illum suum omisit, quo se narrat esse etc. *Stertere* est proprie somniare, more hominis ebrii, ut in III, 3. *Postquam* sic interpretatur Marcilius et omnem locum : « *Postquam*, Annalium initio, Ennius narravit somnium suum de apparente sibi Homero et affirmante suam olim animam jam Ennii esse, et... tum portus *Lunæ* descriptionem aggressus, jubet hoc versiculo *est operæ* et...» callidissima certe ea explicatio est, quæ nititur eo quod somnium Ennii, initio ejus Annall. consequatur hic versus quem retulit Persius. — *Destertuit esse Mœonides Quintus;* hellenismus pro *se esse Mœonidem*. Sic apud Virgil. « sensit delapsus. » *Mœonides;* Homeri nomen sive a patria *Mœonia*, sive a *Mœone* patre. *Quintus;* prænomen Ennii. Quidam interpretantur, sed falso, de *quinta* Homeri metempsychosi. — *Pavone ex Pythagoreo;* ex illo *pavone* in quem migraverat anima *Pythagoræ*. Se vocat *Mœonidem* et *Quintum*, quemadmodum vocat *pavonem* et *Pythagoram*, quo innuat eamdem esse animam, quæ subinde novas formas induat. Vid. de istis fabul. Lucret. I, 125; Ovid. Metamorphos. XV, 160 sqq.; Lactant. III, 18; VII, 23; Tertull. De Anim. cap. 24, et cap. 33 etc. Ridet Persius aniles istas opiniones, de metempsychosi Pythagorica.

Var. 12. *Hic ego, securus vulgi.* — Legit *Lemonnier*, Gallicus translator, *hic ago securus*, nulla MMS. auctoritate, nulla necessitate.

Not. 12. *Hic ego, securus vulgi, et quid præparet Auster Infelix pecori.* — *Hic ego;* videlicet in portu Lunæ, subaudi : sum, vel dego. — *Securus vulgi;* parum curans *vulgi* rumores. Hæc est illa sapientis securitas, quam sibi unusquisque poeta gratulatur et philosophus. — *Et quid præparet Auster Infelix pecori;* sequitur longe Virgilium, Georg. I, 462, qui magis poetice dixit :

Quid cogitet humidus *Auster*.

Infelix pecori; spirat enim in Italia ventus a meridie, non solum *pecori*, sed etiam hominibus valde noxius. Horat. Od. II, 15, sqq.; id.

Sat. II, 6, 18 sqq.; Plin. H. N. II, 48. Forsitan hæc dicit Persius, quia non ipse prædia, pecora habeat, quibus ventorum vim formidet; verum, ex Persianæ vitæ auctore, divitias habuit satis amplas, ut philosophus, ut poeta.

Not. 13, 14. *Securus, et angulus ille Vicini nostro quia pinguior.* — *Securus etc.;* non solum non invidus, sed ne curans id quidem.—*Angulus ille;* Horatiana locutio est : Sat. II, 6, 8. « O si angulus ille. » — *Pinguior;* de solo usitatum. Virg. Georg. passim.

Not. 15. *Et si adeo omnes Ditescant orti pejoribus.* — *Et si adeo;* pro atque etiam si. — *Omnes;* ad vim augendam indignitatis, quod mali *ditescant.* — *Orti pejoribus;* subint. parentibus vel locis, quam ego sum ortus. Neque simpliciter eos intellige, qui sint loco humili nati, sed etiam loco humiliore ac ipse Persius, quod maxime solet movere hominibus invidiam aut indignationem, si videant homines ortu infra se positos, per divitias supra extolli. *Pejores* græca vox est χείρονες, eodem sensu, quo hic *pejor*, sæpius accepta.

Not 16. *Usque recusem Curvus ob id minui senio, aut cœnare sine uncto.* — *Usque recusem;* nunquam tamen adducar ut etc. — *Curvus ob id minui senio*, curæ enim et sollicitudines animi, ex invidia et amore lucri ortæ, frangunt et debilitant hominis corpus atque macerant, ita ut sensim paulatimque velut labe confectum evanescat. *Senium*, sæpius ponitur pro eo quod *senium* affert, pro tædio; Horat. Epist. I, 18, 47. —*Aut cœnare sine uncto*, i. e. defraudare me lautitiis; et avarorum more, vesci miserum in modum. *Unctum* vocant Horatius, Persius, aliique, dapes lautiores quæ apponebantur. Horat. Art. Poet. 422.

Si vero est unctum qui recte ponere possit.

Noster IV, 17 : « *uncta* vixisse patella. »

Not. 17. *Et signum in vapida naso tetigisse lagena.* — Sordes describit avarorum, qui *signa* lagenarum solebant diligentius observare atque etiam, admoto *naso*, olfactu inquirere, num quid per servos esset furtim haustum, aut tempore minutum et corruptum. Sequitur fortasse Horat. Epist. II, 2, 134 :

Posset qui ignoscere servis,
Et *signo* læso non insanire *lagenæ*.

Non solum vinaria vasa, sed et penum ac vilia quævis obsonia ad arcendas rapaces servorum manus Romani obsignabant. Vid. Not. Ruperti ad Juvenal. XIV, 126 sqq. Conf. Tull. Epist. XVI, 26, ad Tiron.

Not. 18. *Discrepet his alius. Geminos, horoscope, varo Producis genio.* — *Discrepet his alius*, i. e. differat *alius* ab hoc meo more vivendi, quo modum sequor honestum; *alius* prodige, *alius* vivat exiliter, per me licet. Sic in V., 52 :

Mille hominum species, et rerum discolor usus;
Velle suum cuique est, nec voto vivitur uno.

Geminos, horoscope, varo Producis genio, poetica periphrasis pro : moribus diversi sunt, vel qui maxime similes esse debuerant.—*Horoscopus*, natalis hora, unde fata hominum pendere somniabant astrologi. Hunc ut personam alloquitur poeta, dicitque per apostrophen : *producis*, in lucem edis. — *Geminos varo genio*, vel fratres *geminos* diversos moribus; *varo* pro vario et dissimili. *Genio*, quia censebatur *genius* ingenii dator, et fictor, ac morum formator. Eamdem exprimit sententiam, quam Horat. Sat. II, 1, 26 sqq. :

> Castor gaudet equis; ovo prognatus eodem
> Pugnis.

Not. 19, 20. *Solis natalibus est qui Tingat olus siccum muria vafer in calice empta.* — Poetice, pro, est qui sordide vivat. *Solis natalibus*, ut inde conjiciatur de sordibus vitæ quotidianæ. Sic in IV, 28 :

> Qui, quandoque jugum pertusa ad compita figit.

Sic enim illo loco diem festum per hæc exprimit. — *Olus siccum* posuit pro : cibo vili quolibet; quemadmodum in III, 111 sqq. :

> Positum est algente catino
> *Durum olus.*

Oleribus et herbis vescebantur Romani olim omnes, temporibus vero Persianis, pauperes et plebeii; unde in III, 114 : « plebeia beta » Horat. Sat. II, 1, 74; Juvenal. X, 78 sqq.—*Vafer*, callidus, ingeniosus, ut sunt avari in custodienda re, in impensis. — *Tingat muria*, minus est *tingere* quam *ungere*, ut ait in hac eadem 68, 69 : « impensius *unge*, *Unge*, puer, caules. » *Muria*, vel aqua salsa, in qua fuit maceratum, aut servatum aliquid; « *muria* cappari » apud Cornel. Cels. IV, 8; vel liquamen ex thunnorum sanie, quemadmodum garum e sanie scombrorum. *Muria* vero pauperum erat et avarorum, garum divitum atque delicatorum. Plin. XXXI, 8; Horat. Sat. II, 8, 46 et 53; Martial. XIII, 103. —*Empta in calice*, i. e. exiguo vasculo *empta*, non enim habuit in penu, sed ad hunc tantum emit diem.

Not. 21. *Ipse sacrum irrorans patinæ piper.*—*Ipse*, non enim id muneris servo committit. — *Irrorans patinæ*, parcius instillans. — *Sacrum piper*, i. e. *piper* veluti rem *sacram* et nemini tangendam. Horat. Sat. II, 3, 110; I, 1, 71.

Not. 22. *Hic bona dente Grandia magnanimus peragit puer.* — *Hic*, alter vero gemellorum fortunas profundit. — *Bona grandia*, sic Horat. I, 2, 8 : « præclaram rem. » — *Dente peragit*, felicius quam haurit. Horat. l. c. : « Stringat ingluvie. » — *Magnanimus puer*, junctura callidior; quum *puerum* vocet *magnanimum*, quasi magnum animum ostendat in contemnendis divitiis, quarum nullam rationem habet in sumptibus faciendis.

VAR. 23. *Nec Rhombos ideo libertis ponere lautus.* — Codices nonnulli et vetustissima ex editionibus Gallicis ferunt *Scombros*. Anteponendum *Rhombos*, quia minus pretiosi nec ita lauti pisces *Scombri*, de quibus supra, in I, 43 :

Linquere nec *scombros* metuentia carmina, nec thus.

NOT. 23. *Utar ego, utar, Nec rhombos ideo libertis ponere lautus.* — *Utar ego, utar,* ut Horat. Epist. II, 2, 190, quasi dicat : Sapientis est uti opibus, non abuti, ut prodigi faciunt. — *Nec ideo,* neque tamen, nec idcirco. — *Lautus ponere,* Græc. contract. ut inferius paulo *solers nosse. Lautus,* magnificentiam indicat in conviviis. — *Rhombos,* ejusmodi pisces in deliciis habebantur. Horat. Sat. I, 2, 115 sqq. ; II, 2, 48 sqq. — *Libertis,* eos Romani inter clientes et sectatore e mensarum honore dignabantur ; sed prodigalitatis fuit excipere eosdem mensis lautissimis. Juvenal. V, 28, Petron. 38, ibique Heinsii notas.

VAR. 24. *Nec tenuem solers turdarum nosse salivam.* — Sic ferunt MMS. mei Codices omnes ; sic receperunt editorum laudatissimi. At legit *Achaintre* in suis membranis 8050, 8072, 8610, aliique : *tenues salivas ;* et quidem vetus scholiastes vertit, *sapores*, unde conjicias ipsum legisse *salivas. Turdarum* in omnibus fere, non *turdorum ;* quanquam *turdorum* legit vetustissima e Gallicis editionibus.

NOT. 24. *Nec tenuem solers turdarum nosse salivam.* — Absolvit incœptam præcedenti versu sententiam de genere victus lautiore. — *Turdæ* ex hoc loco aliisque auctorum multis fuisse videntur apud Romanos in deliciis. Plin. H. N. X, 24 ; Athenæus, II, 24 ; Plutarch. in vita Lucull. ; Horat. Epist. I, 15, 40 sqq. ; Martial. XIII, 92. Qui vero *turdis* sæpius vescebantur saporis differentias omnes, si quæ observari solitæ, erudite callebant, unde Noster : *Solers nosse.* — *Tenuem salivam,* sapor salivam ciet, unde pro sapore *saliva. Tenuem,* delicatulam, et quam non nisi peritior helluo discernere possit. — *Turdarum,* non *turdorum,* non abusive, ut vetus notat scholiastes, sed consulto ; nam, ut ipse animadvertebat paulo ante, solent gulæ quidam dediti tantæ subtilitatis habere palatum, ut dignoscant *turdos,* an cancellarius, an terrarius sit, masculusne, an femina.

NOT. 25. *Messe tenus propria vive ; et granaria, fas est, Emole.* — Reditus annuos absume, dicere voluit, sed dixit per metaphoras ductas ab agris. — *Messe tenus propria vive,* vive secundum messem, quæ tua est ; secundum reditum tuum. *Tenus* totum illud semper includit de quo dicitur ; ita ut h. l. nihil reliquum faciat. *Propria,* multum habet sensus : metire impensas reditibus tuis, non alienis. Usum definit opum κατὰ τὴν οὐσίαν, secundum facultates. Juvenal. XI, 35 sqq. — *Et granaria emole,* quidquid condidisti horreis absume molendo, largiundo. Sic in V, 110 : « Jam nunc *granaria* laxes. » — *Fas est ;* hoc licet, nihil impedit, quoniam alter implebit annus.

VAR. 26. *Quid metuas? occa ; et seges altera in herba est.* — Legitur in nostris et in multis Codicibus *metuis*, quod recepit Passow. — Malim, propter legem

versus, *metuas*, quod et in membranis reponitur. — Britannicus aliique recentiores legunt *en* pro *et*; non male, sed extra MMS. Codicum fidem.

Not. 26. *Quid metuas? occa; et seges altera in herba est.* — *Quid metuas?* pro : nihil est quod *metuas*, ut in III, 26. — *Occa*, in imperativo positum; proprie est *occare*, glebas frangere inversas; h. l. metaphorice ponitur pro serere, arare. — *Et*, ubi occasti. — *Seges altera in herba est*; locutio est Virgiliana, *seges in herba est*; Georg. I, 110.

Not. 27. *Ast vocat officium.* — At, si qua sese obtulerit occasio benefaciendi, at si quod obeundum fuerit officium liberalitatis erga amicos, unde sumetur, ubi totus absumptus fuerit anni reditus? Absumendum enim censet Persius, qui dixit : *messe tenus propria vive*. Reponit objectioni paulo inferius.

Not. 27, 28. *Trabe rupta, Bruttia saxa Prendit amicus inops, remque omnem surdaque vota Condidit Ionio.* — Affert in exemplum naufragium amici, qui egeat auxilio. — *Trabe rupta*, fracta per tempestatem navi. — *Bruttia saxa*, Italiæ regio est *Bruttium* ad littus inferi maris, non procul Sicilia, in Calabria citeriori. Locus est naufragiis ante alios infamis propter fretum. — *Prendit amicus inops*; imago est a Virgilio ducta; Æneid. VI, 360 :

Prensantemque uncis manibus capita aspera montis.

Remque omnem surdaque vota, et quæ habuerat, et pro quibus *vota* nuncupaverat, quæ Dii non audiverunt. Solemnis est auctoris in locutionibus audacia : *vota surda condidit Ionio.* — *Condidit*, amisit in. — *Ionio*; subaudi, mari.

Not. 29. *Jacet ipse in littore, et una Ingentes de puppe Dei.* — *Jacet ipse in littore*, ad saxa quæ prehenderat. — *Et una*, et juxta illum. — *Ingentes de puppe Dei*; mos erat apud antiquos ad *puppem* depingere *Deorum* imagines, vel simulacra fingere, ex quibus et nomen et tutela foret naviculæ. Ad ea simulacra confugiebant in periculo, ea amplexabantur, *una* perituri, vel servandi. Sic facit naufragus qui nunc describitur. *Deos* a *puppe* revulsos secum habet *in littore*. *Deos* autem illos vocat *ingentes*, non ironice, ut Kœnig suspicatur, quia nihil eorum profecerit potentia ad servandum hominem, sed propter simulacrorum staturam, qua perficitur hypotypōsis. Conf. Heins. ad Ovid. Trist. I, 10, 1, et Virgil. Æneid. VIII, 93; V, 60; Horat. Od. I, 14, 10.

Not. 30. *Jamque obvia mergis Costa ratis laceræ.* — Fluitant per undas reliquiæ fractæ navis. — *Jamque*; ad observandam naufragii imaginem. — *Costa ratis laceræ*; sic apud Virgil. Æneid. II, 16, dicuntur equi latera :

.... Sectaque intexunt abiete *costas*.

— *Obvia mergis*; est *mergus*, aquatica volucris, ab immergendo sese fre-

quenter appellata. De qua vid. Plin. H. N. X, 32; alibique. Horat. Epod. X, 21 sqq. :

Not 31. *Nunc et de cespite vivo Frange aliquid.* — *Nunc;* ad inusitatam scilicet impensam, ubi tali miseria conflictatum amicum vides. — *Et de cespite vivo;* h. c. vel de ipsis fundis, non solum de annuo reditu. Est enim proprie *cespes* planta cum gleba evulsa. Opponit igitur *vivum cespitem* his superioribus « messe tenus propria vive. » *Frange aliquid;* convenit cum *vivo cespite.* — Hæc est Persii responsio ad objectionem : sed si totus anni reditus impenditur, unde sumetur ad extraordinarias impensas, ad opitulandum amicis, etc. Censet Noster tunc *frangendum* esse aliquid *et* de fundo. Quæ doctrina liberalitatem magis decet, quam *strictam* œconomium; nam, ut aiunt, omnis pecunia sine peculio fragilis est. Sed Persius, homo divitiis abundans, largius philosophatur.

Var. 32. *Largire inopi, ne pictus oberret.* — Fert MMS. Codex 8048 *nec* pro *ne*, in quo cæteri mei consentiunt, quodque per se anteponendum videtur. Quidam habent Codices *nunc;* sed perperam.

Not. 32. *Largire inopi, ne pictus oberret Cærulea in tabula.* — *Largire inopi;* convenit *largire* cum doctrina auctoris. *Inopi;* sub. amico. — *Ne pictus oberret cærulea in tabula;* naufragi, amissis rebus omnibus, *tabulam*, in qua maris tempestas, quæ eos perdiderat, coloribus suis, *cæruleis*, expressa erat, humero portantes et ubicumque *oberrantes*, misericordiam hominum implorabant. Horat. in Art. Poet. 20 sqq. Noster in I, 89, Juvenal. XIV, 301.

Not. 33. *Sed cænam funeris hæres Negliget.* — Altera objectio est ab ea cura ducta, quæ habenda sit hæredum, qui, si rem minorem consequuti fuerint, *negligent funeris* solemnia. Inter quæ solemnia *funeris*, fuit *cæna*, genere duplex, una diis manibus in rogo, proprie vocata *lectisternium*, altera vocata *epula funebris*, proximis et amicis. Hæc eadem ac novemdialis fuisse videtur. Vid. Kirchm. De fun. Rom. VI, 5 sq., Lips. ad Tacit. Annall. VI, 5; Doering. ad Catull. LIX, 3; Lucian. Contempl. c. 22., tom. I, pag. 519. Edit. Reiz, ibique Hemsterh. Proverbium fuit apud Græcos fortasse ductum ab iis epulis, in quibus laudationes fiebant defunctorum : οὐκ ἐπαινεθείης, οὐδ' ἐν περιδείπνοις (ne in *cæna* quidem laudaveris), quamquam et duci potuit id generis proverbium a conviviis quibuslibet, ubi laudatur a convivis hospes vel nequissimus. Conf. de feralibus epulis. Virgil. Æneid. III, 301; Æneid. VI, 224 sqq.; Apul. Florid. 4, vel potius 19; Tullium, De legib. II, 63; Juvenal. V, 85. Ex quibus locis non duplex, ut superius dictum est, sed triplex videtur fuisse *cæna funeris.*

Not. 34. *Iratus quod rem curtaveris;* spectat hoc ad Persianum præceptum *nunc et de cespite vivo Frange aliquid :* quod non æquo animo feret hæres rem familiarem fuisse imminutam. Celebrabantur vulgo fu-

neris solemnia, pro ratione bonorum quæ venerant hæreditate ; unde Noster, in II, 10 :

O si
Ebullit patrui præclarum funus!

Var. 35. *Urnæ Ossa inodora dabit.* — Vetus interpres legit *inhonora* pro *inodora* ; non infeliciter.

Not. 35. *Urnæ Ossa inodora dabit, seu spirent cinnama surdum.* — *Urnæ ossa dabit;* corpore cremato *ossa* legebantur, et *urna* condebantur. Virgil. Æneid. VI, 228 ; Lucan. I, 568 ; Tibull. I, 3, 7 sqq. ; III, 2, 17 ; Propert. II, 10, 20 sqq. — *Inodora;* sine solitis odoribus. Vide Plin. H. N. XIII, 1, 2, 3. Juvenal. Sat. IV, 108 sqq. Ovid. Trist. III, 3, 89 sqq. — *Seu spirent cinnama surdum;* « cinnamomum, idemque cinnamum, nascitur in Æthiopia... frutex decem cubitorum altitudine amplissimus, palmique minimus, quatuor digitos crassus... cinnami duo genera.. etc. » Vid. Plin. H. N. XII, 2, 19 et 42. *Surdum* apud Latinos sæpius dicitur, de rebus quæ nihil sensus impellunt, sive aures sint, sive oculi, sive nares. Horat. Sat. II, 8, 38 :

Fervida quod subtile *exsurdant* vina palatum.

Not. 36. *Seu ceraso peccent casiæ nescire paratus.* — De *casia* vide Plin. H. N. XII, 19 ; de *ceraso*, XV, 25. — *peccent;* adulterantur, vitiantur admixto gummi vel cortice e *ceraso.* — *Nescire paratus;* poetica locutio pro : nihil curans.

Var. 37. — « *Tune bona incolumis minuas?* » *Et Bestius urget.* — Sic ferunt MMS. mei Codices 8048, 8055, 8070 ; pro *et* habet 8273 *sed*, quod recepit Achaintre atque ante illum nonnulli. Prætuli *et*, sive quod idem sit qui dicat : *Tune bona incolumis minuas* et qui urgeat *doctores Graios ;* sive quod cum ejus questu *Bestii* referatur auctoritas. *Et* in ore est Persii, quasi dixisset : simulque. Sed legendum foret in ore hæredis, avari se tutantis ista Bestii auctoritate, quod minus conveniret cum *urget doctbres Graios*, quod certe est Persii. Quidam legunt Mœnius, pro *Bestius*, quod nomen jam ante fuerat Horatio positum ut belluonis et bruti hominis, Epistol. I, 15, 30 sqq.

Not. 37. *Tune bona incolumis minuas?* — Exclamatio est sumptus nimios indignantis et facienti exprobrantis. *Incolumis;* vertit Kœnig per *impune*, quo sensu ea vox apud Latinos sæpius accipitur. Unde hic sensus oritur : at tibi impune esse non potest *bona minuenti;* quod respicit ad ea quæ dixit superius de neglecta pompa funeris. Casaubonus aliter interpretatur : non debes nunc vivus (*incolumis*) impendere *bona*, sed ea servare in apparatum funeris tui. Equidem ego *incolumis* referendum censeo ad ea, quæ ante dicta sunt Persio de liberalitate de periculis amici, de necessitate opem ferendi afflicto, atque ob id frangendi aliquid de fundo. Hominibus enim avaris et præduris absurdum id et stolidum videtur *bona sua minuere*, ut alii *incolumes* sint : *tunc*, aiunt, *incolumis bona minuas*, nimirum vix id liceat ad sese conservandum ipsum. Sic avaritia ratiocinatur.

Not. 38. *Et Bestius urget Doctores Graicos.* — Hæc eadem sententia recurrit apud Persium sæpius de rudibus Romanis, de crassis militibus, de hircosis centurionibus, doctrinam et sapientiam Græcorum irridentibus. — *Et Bestius urget;* et simul homo sordidus et vorax, ut *Bestius*, increpat, jugulat, etc. — *Doctores Graicos;* vel ipsos Græcos philosophos, vel Romanos qui Græcorum philosophiam sectarentur.

Not. 39. *Ita fit, postquam sapere Urbi Cum pipere et palmis venit nostrum hoc maris expers.* — Communis hæc fuit querela omnium Romanorum, morum mollitiem et perversam vitæ disciplinam a Græcia cum litteris Romam esse translatam. Juvenal. XVI, 291; XV, 110 sqq.; III, 60 sqq. Ridet Persius nimias istas opiniones eorum qui vitam horridiorem Romanorum, traductam ad humaniorem cultum indignabantur, quum nihil intelligerent, quantum proficiant ad bene ac fortiter vivendum litteræ. — *Ita fit;* hoc fieri videmus, scilicet impendi bona amicis. Non eget festivitate locus. — *Postquam sapere nostrum;* est indignantis *nostrum*, quemadmodum in I, 9 : « Nostrum vivere ». Neque omnino necessarium est immutetur in *vestrum*, quod nulli omnium ferunt MMS., nullæ vetustissimarum editionum, quod excogitaverit Reizius atque excogitatum admiratur Kœnig, et recepit. — *Maris expers;* torquet interpretes ea locutio, eo quod utrumque verbum *maris* et *expers* gemino sensu possit audiri. Posuit Horat. Sat. II, 8, 15 :

> Procedit fuscus Hydaspes,
> Cæcuba vina ferens; Alcon, Chium *maris expers*.

Quo loco Horatiano vertendum est; procul dubio, *maris expers* per: quod nunquam navigaverit, nunquam transierit *mare*. Sed notat Casaubonus posse accipi *expers* pro : quod expertum est, quemadmodum alia multa vocabula quæ affirmant eadem et negant : egelidum, modo, ædurum, exornare, exossare; nec non insertum, infractum etc., ut in hoc Virgil. loco Æneid. XII, 1 :

> Turnus ut *infractos* adverso Marte Latinos
> Defecisse videt.

Ita vertit Casaubonus *maris expers* per: quod mare est expertum, quod navigavit, ut sit *sapere nostrum maris expers*, quasi posuisset : transmarina ista sapientia nostra, quam scilicet Athenis Romam importaverint cum *pipere et palmis*. Potest et accipi *maris expers* longe aliter. Dixit Horat. Epod. XV, 12 : « Si quid in Flacco *viri* est. » Ponere potuit Noster *maris* quemadmodum Horatius *viri*, ita ut *maris expers* h. l. significet, *expers* omnis roboris masculi, molle et effeminatum. Ut ut sit de sensu, locutio certe est verbis paulo durior, sed nihil est quod in Persio mireris, præsertim hominem ineptum et horridum loquentem inducente. Prior quidem sensus, quem retexit Casaubonus, plus habet leporis. — *Venit Urbi;* magis elegans, quam si dixisset *venit Urbem*. Nihil aliud enim significavit *venit Urbem* quam Urbem intravit, pene-

travit. At *venit urbi*, innuit aliquid periculi et prodigii, quemadmodum apud Virgil. Æneid. I, 47: « *Venturaque* desuper *Urbi*. « *Cum pipere et palmis;* De *pipere* vid. superius V, ad Not. 136; *palmi*, fructus sunt arborum, qui et dactyli nominantur, Romamque ex Oriente advehebantur. Plin. H. N. XIII, 4. Felix est junctura istarum mercium cum *sapere*.

Not. 40. *Fenisecæ crasso vitiarunt unguine pultes.* — *Fenisecæ;* proprie qui *fenum secant*. Homines agrestes, infimæ conditionis; h. l. forsitan veteres Romani, qui agrum ipsi suum arabant. — *Vitiarunt;* vox indignantis pro : condiderunt. — *Unguine crasso;* exquisitiori unguento. Sic in III, 104: « *Crassis* lutatus amomis. » Sic apud Horat. in Art. Poet. 375 : « Et *crassum* unguentum. » — *Pultes;* cibus veterum Romanorum omnium, temporibus Persianis pauperum, vilissimus, ex aqua et farina, interdum e caseo, melle, ovis decoctis etc. Vid. Plin. H. N. XVIII, 8; et Valer. Maxim. II, 5; Athen. XIV, 15 et 16. Sensus est : homines vel infimæ conditionis lautius epulari didicerunt. Conf. Juvenal. XI. 78 sqq.

Var. 41. *Hæc cinere ulterior metuas! At tu, meus hæres.* — Fert Codex Puteanus 8048 : *Hoc cinerem ulterior metuas;* quæ constructio durior foret.—Habet *ac* pro *at* e Gallicis editionibus vetustissima. — Malo expungi sine interrogatione : *Hæc cinere ulterior metuas.* Concessio est ironica ad metum irridendum ineptum eorum, qui misere vivunt suumque genium defraudant, ne funeris ipsorum solemnia negligat hæres.

Not. 41. *Hæc cinere ulterior metuas! At tu meus hæres.* — Respondit objectioni ductæ a timore *neglecti funeris*, si *rem* comminutam *hæres* acceperit, et ita respondit, ut se dicat esse paratum non solum ea largiri quæ jubeat *officium* et animi voluntas, sed ea etiam impendere quæ exigat stultitia aut nequitia. — *Hæc;* neglectam nempe *cœnam funeris*, et data *urnæ ossa inodora*, etc. — *Cinere ulterior;* pro : quum fato concesseris, quum *cinis* eris. Locutio est Persiana esse *ultra cinerem*, esse *ulteriorem cinere*. Græce περαιτέρω κόνεως (ultra cinerem, pulverem). *Metuas;* licet *metuas*, per me licet metuas. *At;* verum ego vivus sic ago cum hærede meo; quasi dixisset : hæc tu, hæc alius metuat; adeo non ego timeo, ut sic agam cum hærede. — *Tu, meus hæres.* Conf. Horat. Epistol. II, 2, 191 sqq.

Not. 42. *Quisquis eris, paulum a turba seductior audi.* — *Quisquis eris*, vel quia Persius non suscepit liberos, et quisnam sibi futurus sit hæres vix prospiciat, vel potius in totum dictum ad hæredes avaros, de quibus qui curat, stultus est. — *Paulum a turba seductior audi;* nihil aliud hoc esse videtur quam forma orationis, quotiescumque velimus admonere aliquem. Casaubonus vero atque Pratæus sic volunt secreto monere Persium, quia philosophia vulgo laborabat invidia atque odio. Sic in V, 96 : « *Et secretam* gannit in aurem. » Equidem ego crediderim innuere velle Persium jocari se in iis quæ insequuntur, dum nuntium

illum communicat lepidissimum de ficta victoria Caii Cæsaris; quoties enim ineptum quid, aut minus honestum, aut jocosum reticemus, id facimus insusurrando, seducendo.

Not. 43. *O bone, num ignoras? missa est a Cæsare laurus.* — *O bone;* græce *Ὦ τάν, Ὦ γαθε. Num ignoras?* Solusne ea nescis, quæ propalam jactitantur? Non eget hoc vi comica, quum de re falsissima agatur, de *Cæsaris* nempe victoria. — *Missa est a Cæsare laurus;* fuit hoc in more apud Romanos, ut victor dux epistolas quibus victoriam nuntiaret, insigniret *lauro*. Plin. H. N. XXXV, cap. ultim. Unde etiam ejusmodi litteræ *laureatæ* dicerentur. Tacit. Vit. Agricol. XVIII : « Ne *laureatis* quidem gesta prosequutus est. » Ita, *missa est a Cæsare laurus* significat : venit *laureata* epistola *missa a Cæsare*. Quis porro est ille Cæsar? Caligula profecto, ut alia multa testantur, inprimisque nomen *Cæsoniæ*, quod paulo inferius recurrit. Fuit enim *Cæsonia* uxor Caii; Sueton. Vita C. Caligul. cap. ultim. Inter alia multa C. Caligulæ stolide facta narratur et hoc, egisse de Britannis ac Germanis triumphum, quasi commeruisset, quasi victoriam aliquam reportavisset. Alludit ad istum Persius principis mimum, de quo fuse Sueton. Vit. Cal. 44 et 45; Tacit. German. 37; Id. Vit Agricol. 39. Cæterum et alii imperatores ac Caligula simili vanitate laboraverunt.

Not. 44. *Insignem ob cladem Germanæ pubis.* — Ironice. Tacit. Vit. Agricol. 39 De Domitiano : « Inerat conscientia, derisui fuissenu per falsum e *Germania triumphum* », etc.

Var. 45. *Et aris Frigidus excutitur cinis : ac jam postibus arma.* — Pro *ac* legitur *et* in nonnullis MMS. Codicibus; capilli interest utrum elegeris.

Not. 45. *Et aris Frigidus excutitur cinis.* — Nuntiata victoria, quumque jam ducebatur triumphus, publice privatimque tota Urbe sacra fiebant, uti passim testantur Dio Cassius, Herodianus aliique historici. Igitur ut nova sacra instaurentur, novissimi sacrificii cineres residui amoventur. Virgil. Æneid. VIII, 410 :

Impositum cinerem et sopitos suscitat ignes.

Var. 46. *Jam chlamydes regum, jam lutea gausapa captis.* Fert MS. Codex 8055 *victis* pro *captis;* cæteri *victis*, quod recepere editores omnes.

Not. 46 et 47. — *Ac jam postibus arma, Jam chlamydes regum, jam lutea gausapa captis, Essedaque, ingentesque locat Cæsonia Rhenos.* — Pergit apparatum describere triumphi. *Cæsonia;* ipsa C. Caligulæ uxor, triumphi insignia parans ex missis mariti laureatis; vid. de illa Sueton. l. cit. *Postibus arma;* mos apud antiquos *postibus* adversis templorum vel arcuum spolia hostium appendere atque diis dicare; Virgil. Æneid. III, 288; Id. Æneid. VII, 183; Horat. Od. IV, 15, 7 sqq.; Juvenal. 133 sqq.; Claudian. XXIV, 67 sqq. Privatis etiam domibus monumenta illa interdum asservabantur. Virgil. Æneid. V, 393. h. l. de *postibus* ædificiorum publicorum agi satis liquet. — *Jam chlamydes regum;* vestes

sunt militares *regum chlamydes*. Quotiescumque de triumphis sermo est apud poetas, semper *regum* captivorum fit mentio. Horat. Od. II, 12, 11 sqq.; Propert. II, 1, 33 sqq. *Reges* enim hostium vel percutere in prælio, vel captos ducere in triumpho, summa laus apud Romanos. — *Jam lutea gausapa captis;* proprie est *gausapa* genus panni crassioris et altera parte villosi, quo fiebant stragula tum mensis, tum lectis idonea, itemque vestes quarum usus in pluvia et frigore. Translate posuit Persius in IV, 37, pro longioribus barbæ villis. H. l. interpretatur Casaubonus de vestibus Gallorum, sese tutatus auctoritate Varronis; sed nusquam legimus Gallorum aut Germanorum vestimenta *lutea* fuisse: unde suspicatur Kœnig positum fuisse *gausapa* pro capillamento, quemadmodum in IV. loc. cit. Et quidem vetus scholiastes ad hunc locum: « Gausapa, genus pilei, quo captivorum capita induebantur. » Huic ego opinioni libentissime assentior: primo, quia Germanos, vel Belgas, vel *Gallos*, *luteis*, vel flavis, vel rutilis comis fuisse et esse constat, idque notant ubique Romani scriptores. Tacit. German. IV; Juven. XIII, 163 sqq. Tum narrat Tacitus in istius modi triumphos coemptos servos *formatos fuisse habitu* et *crinibus* in captivorum speciem; Vit. Agricol. 39: « emptis per commercia, quorum habitus et crines in captivorum speciem formarentur. » Denique ejusmodi tegumenta capitis Romæ in usu fuisse notum est. Juvenal. VI, 120; Martial. VIII, 33, 20; Id. XIV, 24; Plin. H. N. XXVIII, 12. — *Essedaque;* vehicula, quibus *Galli* et Belgæ utebantur. Virgil. Georg. III, 204:

Belgica vel molli melius feret *esseda* collo.

Cæsar, De Bell. Gall. IV et V. — *Ingentes Rhenos;* torquet se ad hunc locum Kœnig et velit aut lectionem immutari, aut agi certe de variis Rheni fluminis imaginibus, quæ in triumpho circa currum victoris traherentur. Sed optime monuit Casaubonus dici potuisse *Rhenos* pro *Rhenanos*, quemadmodum superius in hac eadem satira dixit *Ligus* pro *Ligusticus;* quemadmodum ejus rei alia sunt apud auctores exempla. Sueton. Caligul. 47: « Conversus hinc ad curam triumphi, præter captivos et transfugas barbaros, Galliarum quoque procerissimum quemque, et ut ipse dicebat, ἀξιοθριάμβευτον, ac nonnullos ex principibus legit ac seposuit ad pompam; coegitque non tantum *rutilare* et summittere comam, sed et sermonem Germanicum addiscere, et nomina barbarica ferre. » — *Locat;* jocatur in hac voce auctor, quæ non solum significat disponere, quod de alio, de justo ac vero triumpho dicendum foret, sed et conducere pretio, quod de falso ridendoque hoc triumpho dicendum fuit.

Not. 48, 49. *Dis igitur Genioque ducis centum paria, ob res Egregie gestas, induco. Quis vetat? aude.* — *Igitur;* hanc *igitur* victoriam et ego, pro virili parte, celebraturus sum. — *Dis;* vel magnis *Diis*, vel ejus victoriæ auspicibus et auctoribus. — *Genioque ducis;* i. e. impera-

toris Caligulæ. Per *Genium* sui principis quasi per numen jurabant Romani; et si quis pejerasset, pœnas dabat. Suetonius, De Calig. 27: « Multos honesti ordinis deformatos prius stigmatum notis, ad metalla munitiones viarum, aut ad bestias condemnavit, aut bestiarum more quadrupedes cavea coercuit, aut medios serra dissecuit; nec omnes gravibus ex causis, verum male de munere suo opinatos, vel quod nunquam per *Genium* suum dejerassent. » Tam boni *igitur ducis* genio libentissime se indulgere testatur satyrographus. — *Centum paria induco;* alii interpretantur de duplici hecatombe, alii, et quidem jure magis, de gladiatoribus, quorum paria populo edebant interdum et privati, vel sub imperatoribus, ut alia spectacula aut munera. — *Induco*, scil. in arenam. Juvenal. III, 34 sqq.; Martial. III, 16; Tacit. Annall. IV, 63; Sueton. Claud. 28. — *Ob res egregie gestas;* ironia acerbissima et in stolidum imperatorem, et in hominem avarum avidumve hæredem, qui necessaria tribui amico *inopi* vix concesserant. Concedant iidem nunc necesse est impendi rem in sumptus absurdissimos. Meminerimus propositam Persio in hoc omni sermone thesim : verum divitiarum usum positum esse in moderatione, quæ a sordibus æque ac insanis sumptibus recedat; in medio virtus erit. Omne hoc exemplum de celebranda falsa ista Caligulæ victoria retulit, ad silentium redacturus hæredem, qui nolit rem minui per sumptus legitimos. Nunc oportet concedat, minuatur per sumptus stolidos, qui non jam sunt pii et magni animi, sed ignavi et adulantis. — *Quis vetat?* ironice et hoc : quis neupe vetuerit optimi principis pulcherrimam victoriam magnifice me celebrare? — *Aude;* hæredi imponit durissimam necessitatem sumptus perferendi insanos, quoniam honestos ferre noluit.

Not. 50. *Væ, nisi connives! oleum artocreasque popello Largior.* Pergit avarum ridere hæredem. — *Væ, nisi connives;* majus etiam impendere malum hæredi comminatur, *nisi* ad concelebrandum præclarissimum illum Caligulæ triumphum ipse conspiret, *connivet.* Iratum enim experietur vel imperatorem, vel ipsum. — *Oleum artocreasque popello Largior;* ejusmodi impensa vix e se potuit esse privati hominis; non alii enim, præter ac imperatores et magistratus, populo congiarium et alia ejusmodi bona largiebantur. Potuit vero Caius similes impensas imperare privatis per triumphi sui procuratores, qui scripsit, ut constat e Suetonio, 47 : « triumphum appararent quam minima summa; sed quantus nunquam alius fuisset; quando in omnium hominum bona jus haberent. » — *Oleum;* distribuebantur populo cicer, frumentum, vinum, et *oleum*, et alia multa. — *Artocreas;* a vocc. græcc. ἄρτος (*panis*) et κρέας (*caro*); cibus igitur *artocreas* ex pane et carne fartus, quem fere nos Galli dicimus *pâté.* — *Popello;* non populo. Sola enim plebecula istis muneribus donari voluit. — *Largior;* vox generosa et magnanima.

Var. 51. *An prohibes? dic clare.* — *Non adeo, inquis.* — Ferunt MMS. multi Codices *non audeo*, quod etsi propter legem versus admitti non potest, recepere

tamen editorum nonnulli, propter *aude* positum versu superiore 49. Fert quidem MMS. Codex 8055 *haud* pro *non;* sed ne ea quidem correctio sufficiat; quum claudicet adhuc in quinto pede versus; raro enim *o* verborum finalis corripit, etiamsi vel ante vocalis occurrat; aut producit, aut eliditur. Censuerat vetus editor legendum, *ausim* pro *audeo,* ut sit versus spondaicus; non absurde profecto. Sed legendum videtur, uti primus omnium monuit Turnebus: *Non adeo, inquis.* Est vero quæstio interpungendumne sit: *non adeo, inquis; exossatus,* etc.; an: *non adeo, inquis, exossatus ager;* at prior lectio videtur ad sensum commodior.

Not. 51. *An prohibes? dic clare.* — *Non adeo, inquis.* — *An prohibes?* Hæc rursus ad hæredem. Num tu meam *prohibere* vis largitionem? — *Dic clare;* instat et quid sentiat, palam profiteatur, rogat. — *Non adeo, inquis;* multiplicem in modum hæc interpretantur. Alii: non *adeo* fertilis et opimus est fundus tuus, ut hæreditatis tuæ avidus sim, et vetare velim quin prorsus in largitiones effundas. Alii: non ita dives es, ut his sufficere possis. Alii: non *adeo* tuæ largitioni adversor; est enim juxta ager exossatus, qui mihi satis sit. Denique sunt qui *adeo* non adverbium putent, sed verbum, verbum juris, et subaudi velint: tuam hæreditatem; quasi secum immurmuret hæres se *adire* nolle istam hæreditatem. Quæ mihi magis placet interpretatio, propter ea quæ sequuntur: *age, si mihi nulla,* etc.

Not. 52. *Exossatus ager juxta est.* — Duplici et contrario sensu hæc accipi possunt. *Exossatus;* vel purgatus lapidibus, qui sunt *ossa* terræ, satis pinguis; vel ad *ossa* redactus, exhaustus, ut sit sensus in ore hæredis: ager satis pinguis et qui mihi sufficiat est *juxta,* h. e. prope, sub urbem, in loco ubi pluris valeat; aut: ager exhaustus et qui nihil reddat est juxta hæreditatem istam tuam; quasi dicat: nihil ego magis opto hæreditatem sic comminutam, quam agrum exhaustum ex quo nullus reditus sit. At si legitur ea pars versus in ore Persii, sensus sit: ager satis pinguis in suburbano mihi reliquus est, quem ad alium transferam hæredem, quoniam tu hæreditatem meam negligis. Non nihil habet iste locus ambiguitatis et obscuritatis: malo priorem interpretationem de hærede conquerente agrum esse exhaustum; melius ea convenire videtur cum omni tenore orationis, et cum vera latinitate vocis *juxta.* Sallust. Catil. Bell. capit. LVII: «*juxta* mecum omnes intelligitis.»

Not. 53, 54. *Age, si mihi nulla Jam reliqua ex amitis, patruelis nulla, proneptis Nulla manet; patrui sterilis matertera vixit, Deque avia nihilum superest.* — Fuit apud Romanos genus infamiæ carere hæredibus, qui funus curarent. Hanc ego mihi ignominiam nihil reformido, inquit Persius, quam tu mihi, meus hæres, quasi comminaris. Nam ut ego te unum habeam hæredem necessarium, non ideo ab intestato moriar. — *Age;* fac ut libet; Quid sequitur? quid postea? — *Mihi nulla jam reliqua ex amitis;* est *amita* patris soror: si mihi nulla reliqua est ex *amitis,* ad quam ipsam perveniat hæreditas, aut quæ susce-

perit liberos ad quos pervenire possit. — *Patruelis nulla;* est *patruelis* e duobus fratribus edita, quemadmodum e duobus sororibus consobrina. — *Proneptis nulla manet patrui;* est *proneptis* filia nepotis aut neptis est *patruus*, patris frater. — *Sterilis matertera vixit; matertera*, sororis mater. — *Deque avia nihilum superest;* exhaurit omnes cognationis gradus vel remotissimos, unde potuerit excitare hæredes. Vid. Heinecc. Antiq. Rom. lib. III, tit. 2, 5, 6.

Not. 55, 56. *Adcedo Bovillas Clivumque ad Virbî : præsto est mihi Manius hæres.* — *Bovillas;* vetus Scholiastes. « *Bovillæ* sunt vicus ad undecimum lapidem Appiæ viæ ; quia aliquando in Albano monte ab ara fugiens taurus, jam consecratus, ibi comprehensus est; inde *Bovillæ* dictæ. » Alia apud alios nominis origo est. — *Clivumque ad Virbî;* vet. Scholiastes. « Quatuor millibus ab Urbe est *Virbii Clivus*, qua iter est ad Ariciam et ad nemus Dianæ, ubi *Virbius* colitur, i. e. Hippolytus, quod bis in vitam prolatus sit, etc... « Conf. Virgil. Æneid. VII, 761 sqq. ubi omnis de *Virbio* fabula narratur, atque Heyn. Excurs. VIII, ad hunc Virgil. locum. — *Præsto est mihi Manius hæres;* testatur Erasmus, in Adag. Romæ fuisse proverbium : « *Multi Manii Ariciæ.* » Unde exstiterit non satis liquet; nam id esse nomen *Manii* ex illo *Manno*, Tuistonis filio, terra editi; de quo Tacit. German. cap. 2 nunquam crediderim. Constat certe multos Ariciæ pauperes fuisse; unde Juvenal. IV, 117 :

Dignus Aricinos qui mendicaret ad axes.

Not. 57. *Progenies terræ!* — Verba sunt legitimi hæredis indignantis acciri hæredem *Manium*, hominem nihili. Id enim significat *Progenies terræ*, aut, ut inferius posuit, *terræ filius*, aut, ut ait elegantius Juvenal. IV, 98 « fraterculus Gigantum. » Terræ filii dici solebant de quorum origine nihil liqueret; dii, αὐτόχθονες, i. e. indigetes, pauperes, ignobiles.

Not. 58. *Quære ex me quis mihi quartus Sit pater : haud prompte, dicam tamen.* — Reponit Persius se quoque terræ esse filium, si patrum paulo altius repetierit originem. — *Quære ex me quis mihi quartus Sit pater;* roga me quis mihi sit abavus. — *Haud prompte, dicam tamen;* non nescio quis mihi sit abavus dicturus; ita tamen non percalles, ut necesse sit cogitem.

Not. 59. *Adde etiam unum, Unum etiam : terræ est jam filius.* — *Adde etiam unum, unum etiam;* altiorem atavo me meum avum rogites, atque etiam hoc altiorem; jam me nescire fateri cogor; est obscurum nomen, est *terræ filius.*

Not. 60. *Et mihi ritu Manius hic generis prope major avunculus exit.* — *Et;* ista ratione, proinde. — *Ritu generis;* ordine stirpis, ex generis ordine, quoniam remotissimus ille avus meus, quem ignoro, *filius terræ* fuit, quemadmodum *Manius.* — *Manius hic;* quem ego

mihi hæredem instituo, quem tu dedignaris. — *Exit*, fit, probatur esse. — *Prope major avunculus;* scilicet quasi frater ejus proavi qui terræ filius ipse est, ergo et *major avunculus* mihi. *Major avunculus* est proprie apud Festum aliosque juris auctores avunculus, avi aut aviæ; apud Sueton. Aug. 7, matris avunculus.; h. l. quemdam in modum transfertur. Itaque dixit *prope:* sic ridet illam legitimi hæredis exclamationem : *Progenies terræ;* sic, eorum stultitiam qui nimis tument stemmate. Conf. Juvenal. VIII, 272.

VAR. 61. *Qui prior es, cur me in decursu lampada poscis?* — Sic ferunt MMS. mei Codices, 8070, 8273; sic legunt probatissimi editores, inter quos Kœnig, — Habent 8048 et 8055 *poscas*, quod magis placuit Casaubono aliisque; prior lectio probatæ magis est latinitatis. — Quidam Codices scripsere *lampade;* sed male.

NOT. 61. *Qui prior es, cur me in decursu lampada poscis?* — Hæc ad legitimum hæredem, quasi diceret : cur me vis tibi tradere victum meum, vitæ facem antequam vixerim; sed dixit per figuram apud antiquos usitatissimam, ductam a ludis, de quibus vetus Scholiastes : « Apud Athenas, quum juvenes ludos cursu celebrabant, qui victor esset, primus facem tollebat, deinde sequenti tradebat, et secundus tertio : similiter omnes, donec currentium numerus impleretur. » Alius modi fuisse illam decursionem ex hoc conjicias loco Ciceron. Ad Herenn. IV: « Non enim, quemadmodum in palæstra, qui tædas ardentes accipit, celerior est in cursu continuo, quam ille qui tradit; ita melior imperator novus qui accipit exercitum, quam ille qui decedit : propterea quod *defatigatus cursor dat integro facem;* at hic peritus imperator, imperito exercitum. » Unde colligas, non primum sustulisse facem qui victor esset, quem traderet insequenti, et, ut ait vetus Scholiastes, verum cursus tenuisse cum tæda ardenti cursorem, donec *defatigatus* traderet *integro*. Ex quo optime ducitur metaphora ad vitam hominum. Plato, De Legg. « γεννῶντας καὶ ἐκτρέφοντας παῖδας, καθάπερ λαμπάδα τὸν βίον παραδίδοντας ἄλλοις ἐξ ἄλλων (*Suscipientes et educantes liberos quemadmodum in ludis lampada, ita tradentes vitam in vicem aliis alios*). Lucret. II, 78 :

> Inque brevi spatio mutantes sæcla animantum
> Et, quasi *cursores*, *vitaï lampada* tradunt.

Qui prior es; varie interpretantur. Casaubonus et Kœnig intelligunt de gradu hæreditatis, quo *prior* sit Manio legitimus ille hæres avarissimus, quocum agit Persius. Pratæus vertit : tu vero, legitime hæres, quum senior me sis et natu major, cur a me hæreditatem speras, qui sum junior et in cursu posterior? Neque huic interpretationi repugnat ætas Persii, qui ante exactam juventutem est mortuus. Potuit igitur jure exprobrare avidis hæredibus, quod se bona sua rogarent ante tempus, antequam vitam omnem decurrerit : *cur me in decursu.* Sed ea potuit dicere in totum Persius, non proprie de se; ita ut id significet : omitto

Manium; nolim equidem istum potius habere hæredem quam te, quem mihi propiorem natura fecit, *qui prior es* Manio : sed hoc unum te attendere volo, me vivere adhuc, neque decere te mihi meam hanc vitam invidere, et poscere bona vel in ipso *decursu*.

Not. 62. *Sum tibi Mercurius : venio Deus huc ego, ut ille Pingitur.* — Dicendum fuit : bona ad te mea nihil redire debuerunt; ac si quid redeat, id pro lucro ac insperato habere debes. Dixit autem per figuram hanc : *Sum tibi Mercurius;* fuit ille Deus omnis lucri inopinati auctor, atque adeo inopinati, ut etiam Deus latronum haberetur. Horat. Sat. II, 3, 68. — *Venio Deus huc ego, ut ille Pingitur;* Mercurius κερδῶος, *pingebatur* crumenam tenens dextra. Vid. Suid. et Macrob. et Gregor. Nazianzenum. Loco proverbii fuit apud Græcos ἴρματον de bonis quibuslibet qui ex insperato advenirent : scatet hellenismis Persius.

Var. 63. *An renuis? Vin' tu gaudere relictis?* — Sic edit MMS. Codex 8070; alii ferunt *vis* aut *visn'*. Probatissimis editoribus receptus est *vin;* et quidem jure.

Not. 63. *An renuis? Vin' tu gaudere relictis?* — Interrogat hominem an recuset oblatum, contentusne esse velit *relicta* hæreditate, quantulacumque fuerit. Horat. Sat. II, 3, 68, loc. jam cit.

Not. 64. *« Deest aliquid summæ. » Minui mihi : sed tibi totum est, Quidquid id est.* — Objicis *deesse aliquid* huic *summæ*, quam a parentibus acceperam, quam tu præsumpseras animo. Ego vero respondeo, meam fuisse summam hanc, atque ergo me mihi minuisse, meo jure; quod vero tuum est, me mortuo, id *totum* tuum est, *quidquid id est.* Agit ac disserit cum hærede, æquo jure, ex iis quæ legibus constituta sunt.

Var. 65. *Legarat Stadius.* — Sic ferunt MMS. Codices plurimi; quidam *Tadius;* quod Prætæus recepit.

Not. 65. *Ubi sit, fuge quærere, quod mihi quondam Legarat Stadius.* — Noli exigere a me bonorum meorum rationem; neque enim jure tuo id facias, neque bono tuo. — *Fuge;* noli, parce, et alias sæpenumero. — *Legarat Stadius;* posuit *Stadii* nomen per metonymiam, pro testatoris cujuslibet nomine; nisi tamen, reipsa, *Stadius* ille aliquid Persio legavisset.

Not. 66. *Nec dicta repone paterna.* — Nec tu mihi opponere velis quæ præcipiat pater. Dicitur per metonymiam *paterna;* neque enim id de suo patre dicere voluit Persius propter pietatem, neque dixit propter ætatem, qui puer sexennis patrem Flaccum amisit. Hæc in Horatii modum, Art. Poet: 327 :

. . . . . dicat
Filius Albini : si de quincunce remota est
Uncia. . . . . .

Aut quemadmodum ipse dixit Persius in I, 79 :

> Hos pueris monitus patres infundere lippos
> Quum videas. . . . . .

Not. 67. *Fœnoris adcedat merces : hinc exime sumptus.* — Hæc monent solito Patres. Rem amplifica, et *fœnoribus* auge tuam sortem. *Fœnoris merces* periphrasis pro *fœnus*, est lucrum ex pecunia *fœnore* occupata. Horat. Sat. I, 2, 14 ; 3, 88. — *Hinc exime sumptus ;* ex fœnore, non ex fundo trahe, quod ad vitæ necessitates impendas. Vet. Scholiastes. « Hoc quod vobis lucri de fœnore accessit, ad usum vitæ vobis proficiat. »

Var. 68. « *Quid reliquum est?* » *Reliquum? nunc nunc impensius unge, Unge, puer, caules.* — Sic edunt plurimi MMS. Codices, sic optimi receperunt editores, atque recipiendum puto, ex tenore orationis. Habet vero MMS. Codex, 8273 lectionem, quæ et ipsa minime inepta est : *quod reliquum est, reliquum*, quasi totum id sit in ore possidentis, non partim sit interrogatio hæredis, partim responsio Persii.

Not. 68. « *Quid reliquum est?* » *Reliquum? Nunc nunc impensius unge, Unge, puer, caules.* — « Quid reliquum est? » — Sic hæres interrogat, quemadmodum superius querebatur : *Deest aliquid summæ.* — *Reliquum?* Repetit interrogationem poeta indignatus, subjicitque se hoc ipso lautius esse victurum, quod hæres avaram præ se ferat sollicitudinem de reliquo. — *Nunc, nunc;* dum vivo, dum licet : his verbis opponitur *olim*, quod infra recurrit. Vertit Casaubonus : « quoniam divitias meas pluris facit, quam amorem mei, vel certe modestiam. — *Impensius unge, Unge, puer, caules;* famule, lautiorem appara mensam, quod aiunt Græci λίπτυνειν ἰλαίῳ μᾶζαν. *Caules* posuit pro, quovis edulio; *Unge*, eodem sensu quo superius non semel posuit, *unctum.* Sequitur Horat. Sat. II, 3, 125 :

> *Ungere* si *caules* oleo meliore, caputque
> Cœperis. . . . . .

Var. 69. *Mihi festa luce coquatur Urtica.* — Sic ferunt MMS. Codices quam plurimi ; sic recepere editores fere omnes. Ferunt MMS. Codices 8055, 8070, 8273 : *coquatur*, quod et ipsum recipi potest, minus vero probæ est latinitatis.

Not. 69. *Mihi festa luce coquatur Urtica.* — Periphrasis poetica pro : ego parce et sordide vivam. — *Mihi;* opponitur his quæ sequuntur : *ut tuus iste nepos.* — *Festa luce ;* ut superius ad vers. 19 : *Solis natalibus.* — *Urtica ;* oleris genus durum et vile. Plin. H. N. XVI, 24.

Var. 70. *Et fissa fumosum sinciput aure.* — Sic edunt MMS. Codices fere omnes. Pro *fissa*, alii, *fixa* ; pro *fumosum* testatur legi Casaubonus, *spumosum*, pessime.

Not. 70. *Et fissa fumosum sinciput aure.* — Caput est porcinum *aure*

perforata suspensum in camino ad *fumum*. Ponitur hic pro vili et plebeio cibo; porcina tamen capita et lautiori mensæ apponebantur, ut testantur Plinius Maj. et Athenæus, lib. IX, cap. 8. Conf. Burman. ad Petron. 135; Horat. Sat. II, 2, 117; Juvenal. XI, 82.

Not. 71. *Ut tuus iste nepos olim satur anseris extis.* — *Ut tuus iste nepos;* ut ditatus quispiam e tuis nepotibus. Ludit in voce *nepos*, quæ est ambigui sensus, significatque et viventem nepotino more, hominem voracem et luxuriosum. — *Olim satur anseris extis;* erat apud Romanos, ut apud nostrates, in deliciis anserinum jecur. Plin. H. N. VIII, Sat. sect. 77; X, sect. 27; Horat. Sat. II, 8, 88; Martial. XIII, 58; Juvenal. Sat. V, 114; Athen. IX, 8. Conf. Heins. et Gonsal. ad Petron. 137. Ita dixit Noster *satur anseris extis* pro ingurgitatus cibis delicatissimis; et iis ad excitandam luxuriem aptissimis; idque opponitur iis quæ superius dicuntur, de cibis vilissimis quibus ipse ille utatur qui loquitur.

Not. 72. *Quum morosa vago singultiet inguine vena, Patriciæ immeiat vulvæ.* — *Venæ* libidine inflantur; unde *vena* ponitur, pro libidine, pro sede libidinis, pro ea parte, qua viri sumus; Horat. Sat. I, 2, 33; Nost. I, 103. — *Morosa*, fastidiosa, jungendum cum *singultiet.* — *Inguine vago;* qui huc et illuc præ libidine palpitat; quemadmodum *singultiet* est contra *immeiat.*

Not. 73. *Mihi trama figuræ Sit reliqua.* — Poetica periphrasis, pro : egone me fame conficiam? Ut ossa et nervi tantum ex corpore supersint. Est *trama*, proprie filum quod intra stamen currit, h. l. est nervorum textura.

Not. 74. *Ast illi tremat omento popa venter?* — Poetica periphrasis pro : iste vero turgescat pinguedine. — *Ast illi;* refertur ad *mihi.* — *Venter popa;* est proprie *popa* minister sacerdotis, victimarius; hic translate est venter helluo, gulosus, delicatissimis epulis saginatus; ut *popæ* solebant victimarum carnibus expleri : vel, qui tot pæne cædit pecudes ad mensam instruendam, quot *popæ*, sacrorum causa. — *Tremat omento;* subsiliat adipe et pingui. Respice ad Sat. II, not. 47.

Not. 75, 76. *Vende animam lucro, mercare, atque excute solers Omne latus mundi.* — Concludit sermonem de servando in usu divitiarum modo, invehiturque in avaros, quibus nihil affert boni suus furor, nunquam exsatiatus. — *Vende animam lucro;* Græcorum est dictum vulgatum : Θανάτου ἄνιον τὸ χέρδος, vel potius Gallica nostra locutio : *des âmes vendues à l'intérêt.* — *Mercare;* respice ad Sat. V, vs. 135. — *Solers;* callidus, ingeniosus in lucro faciendo? sic loc. cit. Sat. V, dixit *verte aliquid.* — *Excute Omne latus mundi;* totum orbem peragra, et scrutare omnes oras. Convenit *latus* cum *excute*, ne claudicet metaphora.

Var. 77. *Cappadocas rigida pingues pavisse catasta.* — Sic ferunt MMS Codices 8048 et 8273; sic vetus legisse videtur Scholiastes, qui monet et alteram esse

lectionem ; sic nonnulli receperunt editores. Ferunt 8055 et 8070 *plausisse ;* prior tamen suprascriptum habet *pavisse*. Edunt et quædam membranæ *clausisse*. Casaubonus, Prætæus, Kœnig et Franciscus Passow, editorum lectissimi, receperunt *plausisse ;* hoc ipso quod magis exquisitum sit atque adeo Persii convenientius ingenio ; et quidem, quod sensum efficiat probabilem, similem huic apud Virgil. Georg. III, 184 :

Tum *magis* atque magis blandis gaudere magistri
Laudibus, et *plausæ* sonitum cervicis amare.

Quia venditor, servos dum exponebat in catasta venales, attrectabat et palma *plaudebat*, ostentans *pinguedinem*. Verum *rigida catasta* non ea fuisse videtur in qua servi prostarent, sed ea qua interius asservarentur pulchriores, et *pingues pascerentur*. Martial. Epigram. IX, 60 :

Inspexit molles pueros, oculisque comedit ;
Non hos, quos primæ prostituere casæ ;
Sed quos *arcanæ servant tabulata catastæ*,
Et quos non populus, nec mea turba videt.

Sequitur Persius locutionem Virgilianam, Eclog. VI, 4 sqq. :

..... pastorem, Tytire, *pingues*
Pascere oportet oves.....

Not. 76, 77. *Ne sit præstantior alter Cappadocas rigida pingues pavisse catasta.* — Sensus : ne quis præstet in turpissimo exercendo mangonio. — *Cappadocas pingues ;* vetus Scholiastes explicat de gladiatoribus, sed in totum dictum videtur de venalitiis e Cappadocia servis, qui præter cæteros celebrabantur et ad turpissima ministeria alebantur. Horat. Epistol. I, 6, 39 :

Mancipiis locuples eget æris *Cappadocum* rex.

Conf. Cicer. post redit. in senatu ; Martial. VI, 77, 4 ; Lucian. in Asin. Tom. II, pag. 604, edit. Reiz ; Alexand. ab Alexand. II, 27 ; Suidas in proverb. « Τρία κάπηλα κάκιστα, Κρῆτες, Καππάδοκες, Κίλικες ; Interpp. ad Petron. 29 et 63. — *Rigida catasta ;* Romana vox est *catasta*, ait Casaub. Græcæ vel potius Siculæ originis, ut aliæ non paucæ, quæ ab istis ad Romanos corruptæ et semibarbaræ transierunt, reliquis Græcis omnino incognita ; a καθίστημι, colloco, statuo, unde κατάστασις, machina fuit lignea, editior, in qua servos venales exponerent vel reconderent. Q. Cicero, de Petit. Consul. de Catilina loquens : « Amicam, quam palam domi haberet de *machinis* emit. » Conf. Plin. H. N. XXXV, 18 ; Sueton. de Gramm. 13 ; Senec. Controv. lib. 1 ; Id. Epistol. LXXX ; Claud. XVIII, 35 ; Martial. loc. cit. et VI, 29 ; Tibull. Eleg. II, 6, 41. Est et alius *catastæ* sensus, quem sequi videtur vetus Scholiastes, sic commentatus ad vocem *Cappadocas :* « Qui nutriti a pueritia in tormentis equuleum sibi facere dicuntur, ut in eo se invicem torquerent, et quum in pœna perdurarent, ad falsa testimonia se bene venundarent. » Item in martyrologiis sæpius legas martyres fuisse impositos in catastam, h. e. in

equuleum. — *Pavisse;* invidiosa vox est, qua indignatur hominum esse pastionem, sicuti pecudum.

Not. 78. *Rem duplica : feci; jam triplex; jam mihi quarto, Jam decies redit in rugam.* — Pergit agitare avaros, monetque nunquam restingui posse sitim habendi. — *Rem duplica;* hoc sibi dictum fingit ab avaro hærede. — *Feci;* sic reponit adhortanti ut rem familiarem augeat.—*Redit in rugam;* pro multiplicatur, translatum a vestibus. — *Triplex, quarto, decies;* sic Horat. Epistol. I, 6, 34 sqq :

> Mille talenta rotundentur, totidem altera; porro
> Tertia succedant, et quæ pars quadret acervum.

De insatiabili ista avaritiæ natura Conf. Juvenal. XIV, 139 sqq et 323 sqq. Claud. III, 183 sqq; 196 sqq.

Var. 79. *Depunge, ubi sistam.* Sic fert MMS. Codex 8070, aliique; sic receperunt editorum laudatissimi. Cæteri ferunt MMS. Codices *Depinge*, quod minus probæ latinitatis videatur; quidam habent *sed scribe*, quod glossam redolet. Hæc verba *Depunge ubi sistam* nulla distinguunt quidam editores interpunctione ab insequentibus *Inventus, Chrysippe*, etc.; Distinguunt Casaubonus, Kœnig et Franc. Passow : recte, procul dubio.

Not. 79. *Depunge, ubi sistam.* — *Depunge;* ductum vel a libra, vel a mensura qualibet quæ *punctis* definiatur. Sat. V, vs. 100 : « Certo compescere *puncto* Nescius examen. » — *Ubi sistam;* quousque divitias accumulem. Senec. Epist. XVI, et Epist. XXXIX.

Not. 80. *Inventus, Chrysippe, tui finitor acervi!*— *Chrysippus,* Stoicus ille philosophus, Zenonis, vel, ut aliis placet, Cleanthis discipulus, vir ingenio celeberrimus, in dialectica excellens. Vid. Diogen. Laert. lib. VII, et Menag. not. tom. II, pag. 108; Cicer. de Nat. Deor. I. — *Tui acervi;* fuit *Chrysippus* vel ejusmodi argumentorum repertor, qui soriti dicuntur, vel in iis constituendis certe excelluit, et quædam excogitavit quæ in scholis celebrabantur, ut coma, *acervus*, etc. Sic constituebantur : faciunt ne *comam* tres capilli? Non. Quatuor? Non. Quinque? Non. Sex? Non. etc. etc. Faciunt ne *acervum* tria grana? Non. Quatuor? Non. Quinque? Non. Sex? Non. etc. etc. Certus *definiri* terminus non potest; *inveniri* non potest ejus *acervi* finitor. Ironica igitur est Persii exclamatio, quasi jam id factum esset, quod fieri omnino nequit. Sensus enim est : non magis definiri potest in acquirendis divitiis terminus, quam in constituendo *Chrysippi acervo.*

FINIS SATIRARUM PERSII.

CAII LUCILII

SUESSANI AURUNCANI

UNIUS E QUATUOR LATINIS SATIRICIS

SATIRARUM QUÆ SUPERSUNT

FRAGMENTA

COLLEGIT ET CUM NOTIS DISPOSUIT

FRANCISCUS DOUSA JANI FILIUS.

ACCEDIT VITA LUCILII ET INDEX IN EUMDEM,

ACCURANTE N. E. LEMAIRE.

PRÆMONITIO NOVI EDITORIS

DE FRAGMENTIS

LUCILII SATIRARUM.

En habes, candide Lector, C. Lucilii, eruditi et perurbani poetæ (si Ciceroni credimus) reliquias, quas solas, hercule, ex tanto librorum numero, grammaticorum industria nobis reliquas fecit, quasque post Franciscum Dousam, ex illius editione, et iisdem omnino verbis tibi offerimus.

Scilicet Vir doctissimus, quæ haberi possunt fragmenta Lucilii, nullos non tentans aditus, nullum non interrogans vel philosophum, vel poetam, vel oratorem, vel grammaticum, vel commentatorem, sicubi posset *disjecti membra poetæ* reperisse, ea summa cura conquisivit, collegit et disposuit. Conclamatam fere operam; sed quæ auctori feliciter, quantum poterat, successit, et inprimis merita cum laude. Quem nempe his versibus[1] laudat æqualis poeta:

> Qualiter in vitam quondam Latonia virgo
> Hippolytum a mortis limine restituit;
> Qualiter Alcides memoratur et Ismarus Orpheus
> Traxisse e Stygiis vallibus ad superos,
> Functorum ille animas, custode in vincla coacto,
> Hic caram infelix cantibus Eurydicem:
> Sic, *tu discerptum jam mille in frusta poetam*,
> Cujus scripta unum non nisi vulnus erant,

1 Sunt hi versus *Philiberti Borsali Mattiaci*, quos inter plures de eodem argumento, scil. Vulcanii Brugensis, G. F. P. N. Merulæ, Petri Bertii, Scriverii, Meursii, selectos referimus. Vid. Lucilium ipsius Dousæ, Ed. Patav. MDCCXXXV, quem excudeb. Joseph. Cominus.

Ire iter ad vitam, superasque evadere ad auras
Cogis, et hac nostra ponere valle pedem.
Magnæ molis opus tantum est audere, etc.

Quum ergo res posceret, ut Juvenali et Persio adjungeretur Lucilius, quibus si Horatium addideris, Latinos omnes satirarum scriptores habeas; nihil aptius fore credidimus, quam si laborem tam bonæ notæ, quam est Dousæ labor, repræsentaremus. Hanc operam haud inanem aut supervacuam nobis sumptam judicabunt ii, quos pasci juvabit urbanissimi poetæ salibus, quibusque non prorsus palatum obbrutuit, ut ait Dousa, ad hæc antiquitatis quasi dapatilia. Maximam profecto jacturam in illius operum interitu litteras Romanas fecisse, hæ ipsæ, quamvis turpiter laceræ fragmentorum reliquiæ quemvis satis commonefacere possint. Et quidem, V. C. *Bayle*, in Lexico, (*artic.* Lucilius), notat poetæ hujus fragmenta post Dousæ industriam etiamnum indigere, ut ab alio quodam viro docto plus lucis accipiant. Sed nescio an doctissimum virum deceperit nimius boni amor, et an impossibilia somniatus fuerit. Nam, ut ait ipse Dousa, censores prævertendo : « OEdipo aliquo, aut Sibylla opus fuerit, si te recte intelligere postules. Quis enim tam sagaci corde atque ingenio unico, qui se tam lacera atque concisa segmenta capere existimet? »

Lectionum autem pugnantium varietates, aut copiosiores doctorum virorum emendationes non semper retulimus; et quemadmodum siccam nimis et jejunam commentariorum parcimoniam, ita quoque plus æquo luxuriantem adnotationum farraginem vitare nobis in animo fuit. An bene cesserit talia meditantibus labor, tu velis humane judicare, et vale.

Scribebam Parisiis, anno c. MDCCCXXIX, mense Maio.

N. E. L.

DE CAII LUCILII

SUESSANI AURUNCANI

EQUITIS ROMANI

VITA ET SCRIPTIS

EX CASP. SAGITTARIO, FRANC. DOUSA, ET ALIIS.

Caius Lucilius, satirarum scriptor, cui ab aliis prænomen *Lucius* pro *Caius*, ab aliis nomen *Lucillius* pro *Lucilius*, perperam utrobique, adscribitur, natus est Sp. Posthumio Albino, L. Calpurnio Pisone coss. anno U. C. DCV, bello Punico tertio, olympiade CLVIII (scribit Casp. Sagittarius, CLIII). Suessa Aurunçorum hunc oriundum fuisse probatur ex eo, quod satiræ ejus *Camœna Suessa* ab Ausonio dicuntur, et *magnus Auruncæ alumnus* a Juvenale, v. 20, Sat. I, vocatur. Iisdem prope temporibus floruit quibus poeta Accius, Sextus Turpilius, et Statius Cæcilius in scena celebres habiti sunt. Sub Publio Scipione Africano minore, bello Numantino, quod incipit ann. U. C. DCXX, eques stipendia meruit; teste Velleio Paterculo, lib. II, cap. IX; quo quidem tempore, eum annos sexdecim natum fuisse aiunt.

Luciliam gentem duplicem fuisse, patriciam unam, alteram plebeiam ex diversis scriptoribus agnoscere est, præter eorum opinionem, qui plebeiæ ejus tantum meminerunt. At patriciæ quidem fuit Poeta Noster; et ejus nobilitas vel ex solo Paterculo plana est, qui eum, loco citato, *equitem* militavisse narrat; insuper accedant testimonia Horatii, quamvis ab invito expressa, et in eodem genere scribendi æmulo, hæc de semet,

Sat. lib. II, 1, vs. 28. Alterius sermonum libri, coram C. Trebatio jurisconsulto profitentis:

> ..... me pedibus delectat claudere verba
> Lucili ritu, *nostrum melioris utroque.*

Et infra, vs. 74:

> ..... Quidquid sum ego, quamvis
> Infra Lucili *censum*, ingeniumque.

Ad quæ Porphyrion, vetus interpres: Constat enim Lucilium *majorem avunculum Pompeii Magni fuisse; etenim avia Pompeii, soror Lucilii fuerat.* At Acron, alter interpres, eum *avum Magni Pompeii* facit: quorum utri potius accedas nescire licet, quum nihil ea de re certi legendo potuerit comperiri. Certe Velleius Paterculus eum magnum Pompeii avunculum, sed ex fratris filia, non sorore, ut vult Porphyrion, videtur agnoscere; ita enim capi debent verba ejus de Cn. Pompeio, qui postea Magni cognomen sortitus est: *Fuit hic genitus matre Lucilia, stirpis senatoriæ;* cui conjecturæ vir ampliss. Ant. Augustinus subscribere videtur; ille enim in libro de gentibus ac familiis Romanorum, matrem Cn. Pompeii Magni ex fratre C. Lucilii poetæ natam autumat. Nec enim, si ea filia Poetæ nostri fuisset, C. Velleium rem tam insignem silentio præteriturum fuisse verisimile existimo.

Ut ut sit, propriam omnino sibi laudem vindicavit Lucilius, quæ erat ingenii præstantia. Amici ac familiares illius fuerunt potissimum P. Scipio Africanus minor, C. Lælius, M. Licinius Crassus, Sp. Albinus, L. Ælius Stito, Q. Vectius, Archelaus, Philocomus (quem præter alios, ait Petrus Crinitus, familiarissime coluit), Lælius Decimus, Q. Granius Præco.

Amavit Lucilius Collyram puellam, ejusque nominis titulo decimum sextum librum inscripsit. Servum habuit nomine Metróphanem, cujus fidem ac probitatem publice epitaphio ei condito testatus est. Habitavit Romæ, in domo quæ Antiochi, regis filio, obsidi publice ædificata fuerat. Neapoli mortuum ac publico funere elatum ait Eusebius, eodem prope anno, quo Furius Bibaculus natalem habuit, anno ætatis suæ quadragesimo sexto: cui annorum ratione vide annon repugnet Horatius, qui eum senem facit illis versibus, loc. cit. vs. 32:

..... Quo fit, ut omnis
Votiva pateat veluti descripta tabella
Vita *senis*.

Quod quo pacto cum Eusebianis Chronicis conciliari possit nullo modo hercle videtur, nisi si solemnem illam *Servitulliani* lustri rationem sequendam ducamus, qua, ut lib. X, cap. 28, ex Tuberone docet A. Gell. *juniores* ad annum usque quadragesimum sextum, supraque eum *seniores* fuerint appellati.

Fuit Lucilius optimis moribus, ait etiam Petr. Crinitus, et alienæ iniquitatis acerrimus accusator.

Narratur quosdam Lucilii opera tanto coluisse studio, ut per vicos irent, flagellis sub pallio tectis, verberaturi, si quis veteris poetæ minus amans occurreret.

Præter satirica opera, Lucilius, plurimorum judicio, P. Scipionis *Africani minoris* vitam privatam descripsit, « in « quo, ait Franciscus Dousa, Pseudoporphyrionem manifesti « erroris convincit parens meus, Janus F. Dousa, qui *Lucilium* « *vitam privatam Scipionis*, Ennium vero *bella descripsisse* an- « notat: ubi male nomina Scipionum inter se confusa. Ennium « enim Scipionis majoris res gestas cecinisse constat; Lucilius « autem ut ejusdem vitam privatam descripserit, ratio tem- « porum plane vetat. »

Satiris autem præcipua, aut potius tota constat Lucilii gloria. Eum primum omnium se ac elegantissimum ingenium suum in hoc scribendi genere exercuisse, ac satirica carmina scribere cœpisse, ex Horatio plane apparet, qui modo illum *inventorem* ejus facit, modo, *ausum*, ait, *primum in hunc operis carmina morem*. Nam quod Ennium aut Pacuvium quis objiciat, quorum etiam Satirarum libri a grammaticis laudantur, minus nihilo est.

In satira scribenda laudem insignem meruisse Lucilium testantur plurima variorum scriptorum loca. Quintilianus, lib. X, cap. I, § 93 : « Satira quidem tota nostra est, in qua primus insignem laudem adeptus Lucilius qui quosdam ita deditos sibi adhuc habet amatores, ut eum non ejusdem modo operis auctoribus, sed omnibus poetis præferre non dubitent. »

Nominatim carpsit et exagitavit in satiris, quantum quidem ex pauculis his fragmentis odorari possumus, Mutium Scæ-

volam, T. Albutium, Q. Cæcilium Metellum, P. Rutilium Lupum, Torquatum, M. Carbonem, L. Tubulum, P. Gallonium, C. Cassium, L. Cottam, Claudium Asellum, Q. Opimium, Nomentanum; C. Cœlium Judicem, Trebellium, P. Pavum Tuditanum, alios; quin universum quoque populum Romanum tributim, ut inquit Horatius, arripiens, hoc est, omnes XXXV tribus urbis antiquæ, probrosis carminibus laceravit: ac, ne a poetis quidem mortuis Euripide, Ennio, Cæcilio, Pacuvio, Accio, aliisque item illustribus obtrectandis temperare potuit sibi, quominus scriptis uniuscujusque sæpius detraheret. Hinc ei libertatem et acerbitatem summam Quintilianus adscribit: qui locus non patitur nos oblivione præterire alium similem de Lucilio locum, sed corruptum, cujus auctor vetus Horatii interpres, apud quem ita legitur: *Satira Horatii inter Lucilii satiram et Juvenalis media est; nam et asperitatem habet, qualem Lucilius; et suavitatem qualem Juvenalis:* ubi audacter repono, ait Dousa, *acerbitatem*, quam apte suavitati opponi, quæ statim Juvenali tribuitur, nemo negabit; et acerbitas cæteroqui propria satirographorum. Sic enim Horatius de se, lib. II sermonum, Sat. I, v. 1:

Sunt quibus in satira videor nimis acer.....

Ergo quum satiræ Lucilii pro objecto suo habent vitia, eadem magna et fortassis nimia acerbitate insectatus est. Juvenal. Sat. I, vs. 165:

Ense velut stricto quoties Lucilius ardens
Infremuit, rubet auditor, cui frigida mens est
Criminibus; tacita sudant præcordia culpa.
Inde iræ et lacrymæ.

Horatius lib. II, Sat. I, v. 70, eum laudat, tanquam qui fuisset:

Scilicet uni æquus virtuti atque ejus amicis.

et lib. I, Sat. X, v. 11:

..... at idem, quod sale multo
Urbem defricuit, charta laudatur eadem.

Persius, Sat. I, v. 114:

..... secuit Lucilius Urbem;
Te, Lupe, te, Muti, et genuinum fregit in illis.

Ipse autem poeta Romanus Græcos sequutus est, potissimum Eupolin, Cratinum, Aristophanem; Horat. lib. I, Sat. IV, vs. 1:

> Eupolis, atque Cratinus, Aristophanesque, poetæ,
> Atque alii, quorum comœdia prisca virorum est,
> Si quis erat dignus describi, quod malus ac fur,
> Quod mœchus foret, aut sicarius, aut alioqui
> Famosus; multa cum libertate notabant.
> Hinc omnis pendet Lucilius, hosce secutus,
> Mutatis tantum pedibus numerisque, facetus.

Nec Græcos tantum imitatus est; sed et latina græcis admiscuit. Horat. lib. I, Sat. X, vs. 20:

> At magnum fecit, quod verbis Græca Latinis
> Miscuit. — O seri studiorum! quine putetis
> Difficile et mirum, Rhodio quod Pitholeonti
> Contigit? — At sermo lingua concinnus utraque
> Suavior, ut Chio nota si commixta Falerni est.

Talem autem Lucilium poetam græco-latinis versibus cinnum affectasse arguunt etiam A. Gellius, Nonius Marcellus, Priscianus Cæsariensis, alii. Immo et Cicero, lib. I de Finibus, ejus recitat versus de Albutio prætore græce Athenis salutato. Apponemus locum integrum. Res bonas verbis electis, graviter ornateque dictatas, quis non legat? nisi qui se plane Græcum dici velit: ut a Scævola est prætor salutatus Athenis Albutius. Quem quidem locum cum multa venustate, et omni sale idem Lucilius, apud quem præclare Scævola:

> Græcum te, Albuti, quam Romanum atque Sabinum,
> Municipem Ponti, Titii, Anni, centurionum,
> Præclarorum hominum, ac primorum; signiferumque
> Maluisti dici, Græce ergo, prætor Athenis,
> Id quod maluisti, te, quum ad me accedi', saluto:
> Χαῖρε (inquam) Tite: lictores, turma omni', cohorsque,
> Χαῖρε, hinc hostis muti Albutius, hinc inimicus.

Peregrinam vero laudem eo est commeritus, quod multos versus subito effuderit. Horatius, lib. I, Sat. IV, vs. 9:

> Nam fuit hoc vitiosus; in hora sæpe ducentos,
> Ut magnum, versus dictabat stans pede in uno:
> Quum flueret lutulentus, erat quod tollere velles:
> Garrulus, atque piger scribendi ferre laborem;
> Scribendi recte: nam ut multum, nil moror.

et Sat. X:

> ..... At si quis, pedibus quid claudere senis
> (Hoc tantum) contentus, amet scripsisse ducentos

Ante cibum versus, totidem cœnatus? Etrusci
Quale fuit Cassi rapido ferventius amni
Ingenium; capsis quem fama est esse librisque
Ambustum propriis.

Quod tamen Horatio Lucilius lutulentus fluere visus sit, in eo dissentit Quintilianus lib. X, cap. 1, loco jam citato, Institut. Orator: « Ego quantum ab illis (qui Lucilium omnibus poetis præferant) tantum ab Horatio dissentio qui Lucilium fluere lutuentum, et esse aliquid quod tollere possis, putat: nam et eruditio in eo mira, et libertas, atque inde acerbitas, et abunde salis. » Cicero etiam in Bruto vocat *hominem doctum, et perurbanum*, ubi scilicet scribit: C. Lucilius, homo doctus et perurbanus, dicere solebat, ea quæ scriberet, neque ab indoctissimis, neque ab doctissimis legi velle; quod alteri nihil intelligerent, alteri plus fortasse, quam ipse de se. »

Et sane nescio, subjicit Casp. Sagittarius, a quo hæc præcipue mutuamur, annon ad alteram classem referendus sit Horatius, qui contra cæterorum auctoritatem nunc hæc, nunc ista, in Lucilio carpit. Nam præter ea quæ jam tum vidimus, etiam in eo notat, quod nimis sit prolixus in sententiis; quod careat varietate in sermonibus et affectibus; quod scripta emendare ipsum tæduerit. Versus singulos non affero. Esset enim pæne tota decima libri primi satira describenda.

Nostrum vero auctorem rursus laudant alii bene multi quos citavimus: Cicero, alibi etiam, lib. I, de Oratore, lib. II, ibidem, Academ. Quæst. lib. II; Quintilianum, præter loc. cit. Instit. Orat. lib. I, cap. 6; Martial. Epigr. lib. XII, et alii.

Cæterum uti contra Horatium ex veteri ævo suos habuit præcones, ita nec inter recentiores desunt qui magnis laudibus ejus satiram efferant. Janus Guillielmius Lubecensis veterum de eo elogia in unum collegit, lib. II, c. 1: « Lucilii, inquit, majorum incuria pleraque omnia intercidisse, valde mihi indignum videri solet. Mitto, hominem fuisse eruditissimum, et linguæ latinæ scientissimum, quod Fabio et Gellio; primum styli nasum condidisse, quod Plinio majori; scripta ejus unicum apud Latinos χαρακτῆρος ἰχνοῦ exemplum esse, quod M. Varroni visum fuit: quanti tandem illud putandum, vitiorum insectatorem acerrimum fuisse? Quod uno omnes

ore loquuntur. Haberet in quo se tanquam in speculo contemplaretur hæc ætas, virtutum inanis, vitiorum fertilissima. »

Juvat etiam audire Turnebum Adversarior., lib. XXVIII, cap. 9, sic scribentem : « Versus Lucilii ipsa varietate et paucitate suavitatem consequuntur ; ut quum eos in grammaticis reperimus, libentissime cupidissimeque amplectamur. Etsi enim versibus aliorum poetarum contendendi comparandique non sunt : tamen quadam illecebra et invitatione nos capiunt et deliniunt.

Apud Gallicos scriptores, satirarum ipse scriptor, *Nic. Boileau* satis fuse loquitur de Lucilio, *Discours sur la Satire ;* et præterea, *Art poétique*, chant II, vs. 146 sq.

> Lucile le premier osa la faire voir, (*la satire.*)
> Aux vices des Romains présenta le miroir,
> Vengea l'humble vertu de la richesse altière,
> Et l'honnête homme à pied du faquin en litière.

E contrario, infensior Lucilio videtur Scaliger, qui lib. VI, Poetices, cap. 7, quum ex Horatio protulerat Lucilium *lutulentum fluere*, eum *ne fluere quidem* censet.

Claudent optime judiciorum de Lucilio latorum summam ea quæ scripsit Cl. V. Rupertius, de Satiris *Lucilii*, Horatii, Persii et Juvenalis, inter se comparatis. Vid. initio hujus voluminis.

Fortassis nec hoc prætermittendum est quod crebro Lucilius in scriptis suis tmesi fuerit gavisus : unde sic de eo Ausonius, Epist. V :

> Rescisso disce componere nomine versum :
> Lucilii vatis sic imitator eris.

Sane Lucilii inter alia est :

> Inluvies, scabies, oculos huic deque petigo ;

Neque enim dicitur *petigo*, sed *depetigo*. Quum autem sic in tmesi sibi Lucilius indulserit, jure tamen damnari posse videntur ii, qui poetam hunc iambicos et trochaicos heroicis versibus immiscuisse persuadere conati sunt nobis. Nec vero iambico ac trochaico carmine eum omnino usum fuisse negaverimus : nam id, præter ipsas Lucilii reliquias, Diomedis auctoritate confutare facillimum sit, qui eum cum Catullo,

Horatio, Bibaculo inter præcipuos iambici carminis scriptores recenset: sed, sicubi iis usus est, nullum præterea aliud metri genus ibidem usurpasse affirmare ausimus.

Sic igitur de scriptis ejus in universum habeto.

Triginta libros satirarum eum reliquisse, quorum XX priores hexametris totos constitisse ipsa fragmenta indicium pariter ac fidem faciunt; reliqui omnes, præter trigesimum (qui denuo ex heroicis compositus fuit), aut iambicis, aut trochaicis numeris constituti fuisse videntur. Si quos vero in iisdem libris aliquando versus heroicos offendas, eos ab aliis aberrasse putato incuria librariorum maxime: quam frequenter enim ab iis in numeris peccatum sit, ei qui aliquando veteres codices cum recentioribus contulerit liquido constare arbitramur. Idem erroris commissum scias, quoties fragmenta aliqua ex libris XXXVI, aut XXXIX apud Nonium citata invenias: illa enim in emendatioribus libris ad XXVI, aut XXIX referuntur, ac similis mendæ Charisium manifestum putamus, apud quem ex XLIII Lucilii vox *calx* adducitur. Quid enim? An verisimile sit ex tanto librorum numero, quot inter XXX et XLIII reliqui sunt, nullum ab ullo grammaticorum verbum productum? Existimamus proinde nota deceptos librarios pro XXIII nobis XLIII succidaneum fecisse.

Nominatur et *comœdia Lucilii* apud veterem interpretem Horatii, et *Lucilius comicus* apud Fulgentium de prisco sermone, quem non esse eumdem cum nostro poeta pene præstare ausimus; idque eo magis quod in veteri libro Fulgentii *Lucretii comici* nomen exstabat. Scaliger autem *Rutilium* reponendum putabat, quem citat item Planciades, et est ille, cujus meminerunt Cicero I de Finib. libro: item Velleius Paterculus. Dousa aut *Luscium*, aut *Licinium*, aut etiam *Turpilium* utrobique substituendum putabat, quorum omnium comœdiarum, præter alios, Volcatius Sedigitus apud A. Gellium meminit, et vicinitas litterarum facile imposuerit, non satis attento librario. Sed aberrant hæc a re nostra; et jam absolutum est quidquid de Lucilio præfandum habuimus. Ed.

CAII LUCILII

SATIRARUM QUÆ SUPERSUNT FRAGMENTA.

EX INCERTO LIBRO.[1]

I.

VIRTUS[2], Albine[3], est pretium persolvere verum,
Queis in versamur, queis vivimu' rebu', potesse:
Virtus est homini, scire id, quod quæque habeat res.
Virtus, scire homini rectum, utile, quid sit honestum;
Quæ bona, quæ mala item, quid inutile, turpe, inhonestum:
Virtus, quærendæ rei finem scire modumque:
Virtus, divitiis pretium persolvere posse:
Virtus, id dare, quod re ipsa debetur honori:
Hostem esse atque inimicum hominum morumque malorum,

1. In præfatione sua Dousa adnotat: « Ea quæ ex incertis satirarum libris adferebantur, ordine velut inverso, et quasi ὕστερον πρότερον primo loco posuimus, probabili sane argumento eo adducti, quod luculentissima virtutis definitio statim in oculos legentium incurreret; simul ut ex eo cognoscerent ii quibus minus notus Poeta Noster, quanti eum veteres æstimaverint, quem Lactantius disertissimus theologorum dignum habuerit, ut ejus potissimum de virtute versus ex tot præclarissimorum ingeniorum scriptis penitus excuteret. »

2. Fragmentum illud, ut jam diximus supra, excerpitur e Lactantio, divinarum Institutionum, lib. VI, cap. 5. Ibi fuse admodum theologus confutat poetam, ostenditque quam parum possit esse virtus, ea quam sic Lucilius nominat.

3. *Albine.* Ad Posthumium Albinum hos versus scriptos puto, qui consul cum L. Calpurnio Pisone fuerat, quemque orationes multas scriptas reliquisse testatur Cicero in Bruto. *Franc. Dousa.*

Contra defensorem hominum morumque bonorum,
Magnificare[1] hos, his bene velle, his vivere amicum:
Commoda præterea patriæ sibi prima putare,
Deinde parentum, tertia jam postremaque nostra.

II.

Nunc vero, a mane ad noctem, festo atque profesto,
Totus item pariterque dies, populusque patresque
Jactare indu foro se omnes, decedere nusquam,
Uni se atque eidem studio omnes dedere nusquam,
Uni se atque eidem studio omnes dedere et arti;
Verba dare ut caute possint, pugnare dolose,
Blanditia certare, bonum simulare virum se,
Insidias facere, ut si hostes sint omnibus omnes[2].

III.

Græcum te, Albuti[3], quam Romanum atque Sabinum,
Municipem Ponti, Titii, Anni Centurionum,
Præclarorum hominum, ac primorum; signiferumque
Maluisti dici: Græce ergo, Prætor Athenis,
Id quod maluisti, te, quum ad me accedi', saluto:
Χαῖρε (inquam) Tite: lictores, turma omni', cohorsque
Χαῖρε, hinc hostis Muti Albutius, hinc inimicus[4].

IV.

Quam lepide lexeis[5] compostæ? ut tesserulæ omnes,

1. *Magnificare.* Id. quod *magnifacere;* et eodem sensu usurpat *Plaut. Cistellar. et Stich.; Terent. Hecyr. vs.* 260. (Edit. Nost. vol. II, pag. 161.)

II. Lactant. Divin. Instit. V. IX.

2. Iniquorum tenebrosam vitam circumscripte breviterque depinxit his versibus Lucilius.

III. Cicero, de Finib. bon. et mal. lib. I. Hæc citavimus in prolegomenis de Lucilio.

3. De eodem Cic. de clar. Orat. loquitur tanquam de docto etiam Græcis, vel potius pæne Græco. Tangit et Varro, de R. Rust. lib. III, cap. 11, Albutium quemdam, cujus Luciliano charactere libelli erant.

4. Inter Mutium Scævolam et T. Albutium inimicitiæ erant. Vid. Cic. in Bruto.

IV. Cic. de Orator. lib. III.

5. *Lexeis*, a *lexis*, *lexeos;* vox græca; i. e. voces, verba — *compostæ*, compositæ.

Arte[1], pavimento, atque emblemate vermiculato[2]?

V.

Crassum habeo generum, ne rhetoricotero' tu sis.

VI.

. . . . . Corneliu' Pobliu' noster[3]
Scipiades dictus, tempusque intorquet in ipsum
Oti et deliciis, Luci effictæ, atque cinædo.
Et sectatori adeo ipsi suo[4], quo rectiu' dicas,
Ibat forte domum: sequimur multi atque frequentes.

VII.

Quo facetior videare, et scire plus quàm cæteri,
Pertisum hominem, non pertesum dicere ferunt[5]:
Nam genus. . . .

VIII.

Quid? Decius, Nuculam, an confixum vis facere? inquit.

IX.

Nam si tu fluctus undasque e gurgite salso
Tollere decreris, ventum prius Hæmatium tu
Ventum, inquam, tollas? t. c. q. i. l.

1. *Arte, pavimento*; etc. Est figura ἐν διὰ δυοῖν, i. e. arte pavimenti atque emblematis, quod vocet opus tessellatum, Gall. *fait de pièces de rapport.*

2. *Vermiculato*, minutis segmentis elaborato.

V. Cic. de Orator. lib. III; ubi vide, de hoc versu intelligendo.

VI. Festus: Scurræ vocabulum Verrius ineptissime aut ex græco tractum ait, quod est σκορακίζειν (lege συγκυρεῖν), aut a sequendo.

3. Versus corruptissimos Scaliger sic emendabat:

. . . . . Corneliu' Publiu' noster
Scipiades dicto, penitusque intervenit ipsi
Molli et deliciis Luci, effigiæ atque cinædo.
Et sectatori assiduo, quo rectiu' dicas
Ibat forte domum s. m. a f.

cum interpretatione hujusmodi: Facetus Poeta ait Scipionem intervenisse rixæ et dictis nescio cujus mollis cinædi, sectatoris cujusdam Lucii, atque adeo deliciarum et imaginis ac propemodum effigiæ ipsius.

4. Pater Dousa divinabat, *scurræ adeo ipsiusque suo.*

VII. Hæc citat Festus, quum *pertisum* non *pertesum* antiquis usurpatum fuisse dicit. — Versus sunt trochaici.

5. Inextricabilis sensus. Scaliger, *fortunam, genus.*

VIII. Cic. lib. II, de Oratore.

IX. Julius Rufinianus, de figuris.

X.

Armamenta tamen, malum, vela omnia servo;
Funis enim præcisu' cito atque anquina soluta est.

XI.

Hanc catapiratem [1] puer eodem deferat, uncum,
Plumbi paxillum rodus [2] linique metaxam [3].

XII.

Queis hunc currere equum nos atque equitare videmus;
His equitat, curritque : oculis equitare videmus :
Ergo oculis equitat.

XIII.

Pistricem validam si nummi suppeditabunt,
Addas empleuron, namphulas quæ sciat omnes.

XIV.

Et velut in fabricam fervens quum marculu' ferrum
Multorum magnis tuditantium [4] ictibu' tundit.

XV.

Quidni? Et scruta quidem ut vendat scrutarin' laudat,
Præfractam strigilem, soleam improbu' dimidiatam.

X. Nonius : *Anquinæ*, vincula quibus antennæ tenentur. Turnebus dubitat, an non potius *angina* reponendum sit, quia enim ille funis angit et astringit.

1. Isidorus, Orig. XIX, 4. *Catapirates*, linea cum massa plumbea, qua maris altitudo tentatur. — Variant hic lectiones : *Cataparatem*, *cataporatem*, *catafloratem*.

2. *Plumbi Paxillum rodus*. I. e. parvam massam plumbi.

3. *Metaxam*. Σειρὰν, a circuitu filorum; nam *meta* circuitus dicitur, vel quod transferatur. Hispani retinent hodie eamdem vocem.

XII. A. Gell. Noct. Att. XVIII, 6. — Dictum in Sophistas. « Tu vides currere equum tuis oculis : ergo equus currit tuis oculis. »

XIII. Festus : *Mamphula* appellatur panis Syriaci genus, quod, ut ait Verrius, in clibano, antequam percoquatur, decidit in carbones, cineremque. — *Empleuron*. Ἔμπλευρον, *validam*, latera plena habentem.

XIV. Isidorus, Orig. lib. XIX, cap. VII. *Marculus*, malleus pusillus.

4. *Tuditantium*. Supplevit vocem hanc Scaliger; et quidem, ut semel dicamus, nonne totum hoc inscriptionis genus, magnam partem, divinatorium est; numque severior criticorum austeritas non exarmanda?

XV. A. Gellius, lib. III, cap. 14.

XVI.

Aurum atque ambitio specimen virtutis utrique est:
Quantum habeas, tanti ipse sies, tantique habearis.

XVII.

Ante fores autem, et triclini limina quidam
Perditu' Tiresia tussi grandævu' gemebat. . . . . .

XVIII.

Querquera consequitur febris, capitisque dolores,
Infesti mihi, tanquam Rondes Icadionque.

XIX.

Tum laterali' dolor certissimu' nuntiu' mortis.

XX.

Nos esse arquatos? Surgamus, eamus, agamus.

XXI.

Inguen ne existat; papulæ, tama, ne boa noxit.

XXII.

Hæc odiosa mihi vitiligo est, non dolet, inquit.

XXIII.

. . . . . Nondum etiam hæc omnia habebit.
Formosus, dives, liber, rex solu' vocetur.

XVI. Vet. Schol. in Juven. Sat. III. — *Utrique*, candidato scilicet. — *Quantum habeas*, etc.; hinc Horatius, Sat. I, lib. I, vs. 62 : « Quia tanti, quantum habeas, sis. »

XVII. Donat. Eunuch. Act. II, sc. 3. — Ante fores autem collocabantur, ii quorum salus erat desperata. Cf. Infr. Frag. 24, lib. III.

XVIII. Festus : *Querqueram febrem*, gravem et magnam; Aurelius, frigidam. Santra e græco deducit χάρχαρον. — *Rondes Icadionque* : nomina sævissimorum piratarum.

XIX. Maximus Victorinus.

XX. Nonius : *Arquatus* morbus dictus est, qui regius dicitur, quasi qui corpora in arcum ducat.

XXI. Festus : *Tama* dicitur, quum labore viæ sanguis in crura descendit et tumorem facit. — *Inguen*, inguinis tumor. — *Boa*, serpens aquatilis. — *Noxit*, noceat.

XXII. Festus : *Vitiligo* in corpore hominis macula alba, quam Græci ἄλφον vocant, a quo nos album.

XXIII. Porphyrion, I, Sat. III. Horat. Corruptissima verba, quæ ita emendat Dousa : « *In mundo sapiens hæc omnia habebit.* » — *In mundo*, antiquitus usurpatum pro : *in promptu*.

XXIV.

Si me nescire hoc nescis, quod quærere dico,
Quare divinas quidquam, aut quare debes ipse.
Et si scis q. b. e. scire hoc d. te.

XXV.

. . . . . Ut me scire volo mihi conscius sum, ne damnum faciam : scire hoc se nescit, nisi alios id scire scierit.

XXVI.

. . . . . Sponte ipsa suapte
Adducta, ut tunicam et cætera rejiceret.

XXVII.

. . . . . Per mihi lectum
Imposuique pedem pellibus habes.

XXVIII.

. . . . . Quibu' mendæ
Omnibus in rebus fiunt, fierique potis sunt.

XXIX.

. . . . . Velut olli
Auceps ille facit, quum improviso, insidiisque....

XXX.

Luna alit ostrea, et implet echinos, muribu' fibras
Et pecui addit.

XXIV. Julius Rufin. Enthymema fit, quum periodus orationis ex contrariis sententiis adstringitur.

XXV. Vet. schol. Pers. Sat. I, v. 27, ad illa : « Usque adeone scire tuum nihil est. »

XXVI. Varro, lib. V, de Ling. Lat. scribere hæc dicit Lucilium de Cretea, quum ad se cubitum venerit.

XXVII. Porph. lib. I, Sat. VI. Janus Dousa legit :

..... Lectum Perminxi, imposuique pudendam pellibu' habem.

XXVIII. Nonius : *menda*, femineo genere.

XXIX. Servius Petri Danielis. Supplemento addito rescribit Jan. Dousa :

..... In retia aves velut olim Auceps illice agit, quum improviso insidiisque

XXX. Hæc citat A. Gellius, lib. XX, cap. 8; et hujus rei meminerunt Cic. de Divin. lib. II; Plin. Hist. Nat. IX, XXXI. — *Pecui*; lib. vett. *pecu*.

XXXI.

Uno oculo, pedibusque duobus, dimidiatus
Ut porcus.

XXXII.

Vis est vita, vides, quæ nos facere omnia cogit.

XXXIII.

Nequam et magnus homo, laniorum immani' canes ut.

XXXIV.

Nunc ad te redeo, ut quæ res me impendet agatur.

XXXV.

Hæc te imbubinat, et contra te imbulbitat ille.

XXXVI.

Quem præclarus helops, quem Ægypto sargu' movebit.

XXXVII.

Et pedibus læva Sicyonia demit honesta.

XXXVIII.

Suasa quoque omnino dirimit non solla dupondi.

XXXIX.

Nequam aurum est, auris quod vi vehementius ambit.

XXXI. Aul. Gell. III, 14.

XXXII. Varro, de Ling. Lat. IV. Inter sententias Græcorum refertur versiculus qui locum hunc non parum illustrat: Βίος καλεῖται δ' ὃς βίᾳ πορίζεται.

XXXIII. Varro, de Ling. Lat. VI. — *Magnus*, stolidus, ut μέγας apud Aristophanem. — *Canes* et *canis* idem.

XXXIV. Festus: *me*, pro: *mihi*.

XXXV. Festus: *Bubinare* est menstruo mulierum sanguine inquinare; *imbulbitare*, est puerili stercore inquinare.

XXXVI. Festus: *Sargus*, piscis genus, qui in Ægyptio mari fere nascitur. — *Præclarus*, luculentus ac splendidus.

XXXVII. Festus: *Sicyonia*, genus calceamenti.

XXXVIII. Festus: *Sollo* Osce dicitur id, quod nos totum vocamus. *Suasa quoque o. d. non solla d.* i. e. non tota.

XXXIX. Festus, in voce *nequam*: significare ait Sinnius Capito, nequam esse aurum, quod aures lædat, vel quum pondere inaurium mollissima pars cutis inciditur, vel ex auro intelligi pecuniam, cujus respectu et nimia cupiditate homines ad peccandum adducuntur. — *Auris*, pro: *aureis*, *aures*.

XL.

Sicuti mechanici, quum alto exsiluere petauro.

XLI.

Ut petimen naso, aut lumbos cervicibu' tangat.

XLII.

Tum spara, tum rumices portantur, tragula porro.

XLIII.

Varronum, ac rupicum squarrosa, incondita rostra.

XLIV.

Ut veles bonu', sub vitem qui sumicit hastas.

XLV.

Si vero das, quod rogat, et si suggeri' suppus.

XLVI.

Tapullam rident legem conceræ Opimi.

XLVII.

Nemo hic vindicias, numen, neque sacra veretur

XLVIII.

Pascali pecore ac montano, hirto atque soloce.

XL. Festus: *Petauristas* Lucilius a *petauro* appellatos existimare videtur. Vid. Juven. Sat. XIV, v. 265.

XLI. Festus: *Petimina* in humeris jumentorum ulcera et vulgus appellat.

XLII. Festus: *Spara*, minimi generis jacula, a spargendo dicta. — *Rumex*, genus teli, simile sparæ.

XLIII. Festus: *Squarrosi*, ab eadem squamarum piscium similitudine dicti, quorum cutis exsurgit, ob assiduam illuviem. — *Rupices*, duri et agrestes. — *Varronas*, item.

XLIV. Paulus ex Festo: *Sub vitem hastas jacere* dicitur veles, quum eas sub manu sursum mittit.

XLV. Festus: *Suppum* Antiqui dicebant, quem nunc supinum dicimus ex græco. Ad hunc versum Jos. Scaliger significatum proverbialem habet, inquit, hoc est, si illi ex sententia respondes; si, quod optat, facis. Suppus est pars tali lusorii, quæ græce ὕπτιος dicitur. Quum talus ita caderet, ut supina pars quæ vocabatur, superior esset, erat felix jactus.

XLVI. Festus: *Tapullam legem* convivialem ficto nomine conscripsit jocoso carmine Valerius Valentinus. Feliciter conjicit pro *conceræ* Dousa, *concœnæ*, σύνδειπνοι.

XLVII. Festus: *Vindiciæ* appellantur res eæ, de quibus controversia est.

XLVIII. Festus: *Solox*, lana crassa, vel pecus lana contectum. Scalig. interpretatur pascale pecus, τὸ σίκαῖον καὶ νομαδικὸν.

XLIX.

Uti esurienti leoni ex ore exsculpere prædam.

L.

Intereunt, labuntur, euntur omnia versum.

LI.

Velle tolutim hic semper incœpturu' videtur.

LII.

Hærebat mucro gladium in pectore totum.

LIII.

Saxa et stridor ubi atque erunt, dum sibilus institis.

LIV.

Durum, molle voras; fragmenta interfici' panis.

LV.

Concilio antiquo sapiens vir solu' fuisti.

LVI.

Qui campos, collesque gradu perlabitur uno.

LVII.

Non tango, quod avarus homo est; quodque improbu' mitto.

LVIII.

Vellem cum primis, heri si forte potisset.

XLIX. Non. *Exsculpere*, extorquere.

L. Nonius : *Interfici* et occidi ad inanimata Veteres vehementi auctoritate posuerunt.

LI. Nonius : *Tolutim* dicitur, quasi volutim, vel volubiliter. Commodius legi putat Dousa : « *Vele tolutim semper hic incessuru' videtur.* » Loquitur Lucilius de milite quopiam, qui magnifice et equi tolutarii in modum se inferat.

LII. Non. *Gladium* neutri generis, quamquam vetet. Quintil. I, IV.

LIII. Nonius : *Sibilus*, masculino genere. Vere et erudite emendavit Clarissimus Lipsius « *Saxa et stridor ubi acquierunt, tum sibilus instat :* » et arbitratur de populi theatrali tumultu, aut seditione forensi capiendum.

LIV. Nonius, ut supra, ad L.

LV. Servius Petri Danielis Aurelii. — *Concilio*. Forte, *consilio*.

LVI. L. Apuleius Florid. lib. IV.

LVII. Julius Rufinianus, qui dicit : « Antiphrasis est figura sententiæ, quum quædam negamus nos dicere, et tamen dicimus. »

LVIII. Asconius Pædianus in Divinat. Cicer. Putat Fr. Dousa hoc initium alicujus libri, aut satiræ Lucilianæ fuisse. — *Potisset*. Sic

LIX.

Vicimus, o socii, et magnam pugnavimu' pugnam.

LX.

Rhodos Carpathium in pelagus se inclinat apertum.

LXI.

Carpathium mare transvectus cœnabis Rhodi.

LXII.

Judicis Hortensi est ad eam rem nata palæstra.

LXIII.

Ut prætori' cohors, ut nostris dixit haruspex.

LXIV.

Principio exitu' dignus, exodiumque sequetur.

LXV.

Magna penus parvo spatio consumpta peribit.

LXVI.

Si tibi porro isthæc res idcirco est cordi, quod rere utilem.

LXVII.

Sanctum ego a Metello Romam repedabam munere.

legendum monuit Mercerus, pro vulg. *petisset*. Post hunc versum autem leguntur in Asconio hæ tres voces : *Vitiose ambo cola*, quæ quidem principium alterius versus constituisse videntur; sed quid sibi velint, consulendus, ut ait Dousa Λοξίας; i. e. Apollo divinator.

LIX. Donatus, in Eunuchum Terentii, act. V, sc. 2.

LX. Porphyrion, in Horat. carm. I, od. 7.

LXI. Junius Phylargyrius in IV, Georg. Virgil.

LXII. Porphyr. in Horat. carm. I, od. 27.

LXIII. Porph. in lib. I, Sat. 7 Horatii.

LXIV. Vetus schol. in Juven. Sat. III.

LXV. Priscian. lib. VI : *penus* quoque et masculini, et feminini, et neutri generis.

LXVI. Nonius : *Cordi est*, honeste dictum.

LXVII. Nonius : *Repedare*, pede iterare. Vocem hanc restituit Dousa in quodam Gellii loco, pro *repudiato*. Delectatum enim ait Gellium antiquitate, et lubenter verbis etiam uti paulo magis priscis. — *Munere*. Nove positum interpretatur Dousa, i. e. munere gladiatorio. Quamvis non incommode hoc loco pro *munere* etiam *numero* reponi posset, h. e. cito, celeriter.

LXVIII.

Caput collo sustentatur, truncus sustinetur a coxendicibus.

LXIX.

Quænam vox ex te resonans meo gradu remoram facit?

LXX.

Neque prodire in altum, præliari procul sub vite.

LXXI.

Quod mihi commodum est, aut uda vestimenta deposueram.

LXXII.

Mihi necesse est loqui : nam scio Amyclas tacendo periisse.

LXXIII.

Homini amico ac familiari non est mentiri meum.

LXXIV.

Quin amplexetur, qui velit, ego non sinam me amplectier.

LXXV.

Pro obtuso ore pugil, piscinensis res est.

LXXVI.

Tirei leontado et Pomani et thermo Parnime.

LXVIII. Nonius : *Coxendicas*, coxas.

LXIX. Festus : Remeligines et *remoræ*, a morando dictæ sunt.

LXX. Festus : *Sub vitem præliari* dicuntur milites, quum sub vinea militari pugnant. Trochaicus ita legendus.

LXXI. Donatus in Phorm. Terent. act. IV, sc. 3.

LXXII. Servius, in Æneid. X ad illud Virg. «Et tacitis regnavit Amyclis. » Auctor Pervigilii Veneris :

Perdidi musam tacendo, nec me Phœbus respicit :
Sic Amyclas, dum tacerent, perdidit silentium.

LXXIII. Lactantius, Instit. Divin. lib. VI, cap. 18.

LXXIV. Priscianus, lib. VIII : *Amplexetur*, περιπλεκέσθω.

LXXV. *Obtuso ore.* Pugiles enim sunt obtuso ore propter pugnos quos in os recipiunt, unde illud, *os nullum, vel potius pugilis.* — Festus : Piscinæ publicæ hodieque nomen manet.

LXXVI. Hic locus plane inextricabilis. Scil. Charisius Just. Gramm. lib. I : plus in hac observatione geminam *i* in masculinis animadvertimus... Nam si *Æmilii* et *Julii* dixeris, græce declinaveris ut Lucilius : *Tirei leontado, etc.* Ex verbis ergo Charisii videtur legendum, *Tirie.* Reliqua plane deposita, Dousam sequuti, existimamus, declarata ingenue nostra cæcitate. Ed.

LXXVII.

Qua facere id possis, nostram nunc accipe mentem.

LXXVIII.

Pulchre invitati sumus, acceptique benigne.

LXXIX.

. . . . . Et ventrem et gutturem eumdem.

LXXX.

Asparagi molles, sed viride cyma.

LXXXI.

Nam tam algu atque nigrore majus.

LXXXII.

Verna acer cupit hæc.

LXXXIII.

. . . . . Hippocampi elephanto camelos.

LXXXIV.

Si argenti indiges.

LXXXV.

Atque omnes mandonum gulæ.

LXXXVI.

Andronius Flacci teget utria.

LXXVII. Acron in Horat. lib. I, Sat. 4. Hunc elegantissimum versum vetustissimi manuscripti auctoritas manifesto Lucilio tribuit, cujus sententiam Virgilius expressisse videtur, Æncid. IV, vs. 115: « Nunc qua ratione, quod instat, Confieri possit, paucis, adverte, docebo. »

LXXVIII. Nonius: *Invitari*, pro: repleri.—*Sumus*, vox quam de suo Jan. Dousa addidit.

LXXIX. Nonius; *Guttur* masculini generis.

LXXX. Nonius: *Cyma*, neutro genere.

LXXXI. Nonius: *Algu* pro, algore.

LXXXII. Nonius: *Vernas* Veteres appellabant, qui vere sacro fuerant nati. Dousa Pater, *verna sacer* quod interpretatur ex illo Juvenalis, Sat. IX, vs. 80: « Quæ nunc Squalidus in magna fastidit compede fossor. »

LXXXIII. Nonius: *Hippocampi* equi marini a flexu caudarum, quæ piscosæ sunt. Lucilius *transverso ordine* posuit, addit Nonnius; et ideo putat Dousa pater legendum: *Camphippelephantocamelos.*

LXXXIV. Nonius: Genitivus casus positus pro accusativo.

LXXXV. Nonius: *Mandones*, edaces.

LXXXVI. Nonius: *Utria* generis

LXXXVII.

Impermistum lymphorem.

LXXXVIII.

. . . . . Palmisque misellam
Depuvit me.

LXXXIX.

. . . . . Non omnibu' dormio.

XC.

. . . . . Agipes vocem mittere cœpit.

XCI.

Jactans me ut febris querquera.

XCII.

. . . . . Mantisa opsonia vincit.

XCIII.

Equum pedibus stlembum.

neutri. P. Scriverius faciebat : *Androgynus Flacci leget utria;* et leget *accipit*, pro : *surripiet*, notione Priscis usitata.

LXXXVII. Nonius : *Lympha*, aqua genere fem. ut sæpe masculino. Quemadmodum *liquidus* a *liquore*, sic *limpidum* a *limpore*.

LXXXVIII. Festus : *Depuvere* : cædere : græce, παίειν. Rectam esse hanc etymologiam testantur Isidor. lib. X, Origin; Plin. lib. XXXVI, cap. XXV; Cato de Re Rust. XVII; quorum textus profert Dousa ; quem vide, si placet.

LXXXIX. *Non omnibu' dormio.* Festus : Proverbium natum a Cipio quodam, qui Pararhenchon dictus est, quod simularet dormientem, quo impunitius uxor ipsius mœcharetur.

XC. Festus : Pedarium senatorem significat Lucilius, quum ait : *Agipes vocem*, etc. *Agipedem*, quasi *pedibus agentem ;* i. e. orantem et sententiam dicentem ; non vero ore et lingua, accipit pater Dousa ; putatque Festi verba eo pertinere, quod in duas partes cedebant qui sententias dicebant, ut : « Qui ita censetis ; transite in hanc, alii in alteram partem. »

XCI. Paulus ex Festo : *Querqueram*, frigidam cum tremore, a Græco κόρκηρα, certum est dici. In fragmentis Festi a Fulvio Ursino editis, legebatur locus hic una voce auctior, hoc exemplo : « Jactans me, ut febris querquera terret. » Vid. sup. Fragm. XVIII, pag. 305.

XCII. Festus : *Mantisa*, additamentum dicitur lingua Tusca, quod ponderi adjicitur. In quibusdam vett. Festi edit. exstat *Mantissa*.

XCIII. Festus : *Stlembus*, gravis, tardus. Vereor, ait Scaliger, ne Lucilius scripserit *stlentum*, ut stlites.

XCIV.

Vinum crucium.

XCV.

Qui schedium facit inconditum et inelaboratum.

XCVI.

Terra abiit in nimbos, imbresque.

XCVII.

. . . . . Cæcilius Prætor ne rusticu' fias.

XCVIII.

Ergo Prætorum est ante præire.

XCIX.

. . . . . Quantum hinnitum atque equitatum.

C.

. . . . . Quadranti' ratiti.

CI.

Persium non curo legere hæc : Lælium Decimum volo.

XCIV. *Crucium*, vinum insuave. Existimat commentator quidam doctissimus, et (nobis tamen, fatemur, ignotissimus, Yvo Williomarus in Rob. Titium Britonem!) hæc restituenda in illis versibus ex Sat. lib. XVIII.... « Nam vel regionibus illis Incrustatu' calix, ruta, caulique bibetur, » de quo vide locum illum. Eadem vero mente a Tertulliano dictum de Præscr. adversus hæreses : « Febris per cruciarios et mortiferos exitus erogat hominem ; » i. e. cruciantes.

XCV. Festus : *Schedia*, genus navigii inconditi, trabibus tantum inter se connexis facti, quo mercimonia circumferunt post amissam navem.

XCVI. Varro, de Ling. Lat. lib. IV.

XCVII. Varro, de Ling. Lat. lib. VI. Forsan hæc in Q. Cæcilium Metellum dicta sunt. Illum enim, ut ait Dousa, a Lucilio famosis versibus proscissum fuisse, Horatii indicio manifestum est.

XCVIII. Varro, de Ling. Lat. lib. IV.

XCIX. Varro, de Ling. Lat. lib. VI.

C. Varro, de Ling. Lat. lib. IV. Opilius Aurelius dictum putat, quod in quadrante et in triente *ratis* fuerit effigies, ut navis in asse.

CI. Cicero, de Oratore, lib. II. Ejusdem Persii, hominis literati, ita Cicero in Bruto meminit, et eum citat, utpote quem significat valde doctum esse Lucilium. — *Lælium Decimum volo.* Hæc excerpta sunt e Plin. Nat. Hist. lib. I, Epist. ad Vespas. Omnes autem antiquitus cusi aut manuscripti codices Pli-

CII.

Priusquam Theognis nasceretur.

CIII.

Lactentia coacla cum melle bibi.

CIV.

Huic Terentiæ Orbiliæ.

CV.

Mænius columnam quum peteret.....

CVI.

. . . . . Valeri sententia dia.

CVII.

. . . . . Murexque marinus.

CVIII.

. . . . . Echinus
Cinnabari infectus.

nii, ut monet Hermol. Barbarus, aut *Junium Congium*, aut *Lælium Congrum* habent. Fui vero, ait Franc. Dousa, quum pro *Lælium* reponendum putavi *Lucium Ælium*, confisus maxime ipsius Lucilii auctoritate, cujus hunc versum ex lib. I, Sat. auctor Rhetor. ad Herennium adducit : « Has res ad te scriptas, Luci, misimus, Æli. » Cæterum lex trochaici carminis nihil mutandum clamat.

CII. A. Gellius, lib. I, cap. 3. Eumdem adagionem aperte extulit Plutarchus, περὶ τοῦ, ὅτι μάλιστα τοῖς ἡγεμόσι δεῖ τὸν φιλόσοφον διαλέγεσθαι· « Τοῦτὶ μὲν ἥδειν πρὶν Θέογνιν γενέσθαι. » Quod tamen a nemine usque adhuc proverbiorum concinnatore observatum, demirari satis non possum.

CIII. *Coacla*. Forte, *Coa clam*.

CIV. Martianus Capella, lib. III : Lucilius in dativo *a* et *e* conjungit.

CV. Porphyr. in Horat. lib. I, Sat. 3. Asconius in Verrem : Mænius quum domum suam venderet, Catone et Flacco censoribus, ut ibi basilica ædificaretur, exceperat jus sibi unius columnæ, super qua tectum projiceret ex provolantibus tabulatis, unde ipse et posteri ejus spectare munus gladiatorium possent, quod etiam tum in foro dabatur. Ex illo igitur columna Mænia vocitata est.

CVI. Idem, in Horat. lib. I, Sat. 6.

CVII. Acron, in Horat. lib. II, Sat. 4.

CVIII. Acron, in Horat. lib. I, Sat. 6. Confundunt sæpius scriptores minium cum cinnabari ; de quo abunde Plinius Nat. Hist. lib. XXXVIII, cap. 7.

CIX.

. . . . . Gustavi crustula solus.

CX.

. . . . . Brutace bilingui.

CXI.

. . . . . Efflantque elatis naribu' lucem.

CXII.

Gnatis parce tuis.

CXIII.

. . . . . Horret et alget.

CXIV.

. . . . . Et vellit mappas, mantella, merumque.

CXV.

At quidem te senium, atque insulse sophista.

CXVI.

Tuam ut memoriam retineas.

CIX. Acron, in Horat. lib. I, Sat. 1. Vide quoque Juven. Sat. IX, v. 5.

CX. Porphyr. in Horat. lib. I, Sat. 10. — *Brutace*, pro : Brutiate. Festus : Bilingues Brutates (Scal. Brutiales) Ennius dixit, quod Brutii et Osce et Græce loqui soliti sint. Sunt autem Italiæ populi vicini Lucanis. Jacobus Crugius, diligens Horatii interpres, putat a commentatore veteri hoc loco citatum fuisse versum, ex antiquo aliquo poeta in Canusium aliquem detortum, ita enim in veteribus libris legimus : « *Ideo ergo Brunius brichace bilingui ;* » quæ hoc modo sanare conatur : *Brutius ergo ideo στόματι βρύχασι bilingui.* Hac sententia : *Brutius*, id est Canusinus : nam Brutii populi supra Lucaniam incoluerunt, teste Strabone, lib. VI. *Ergo ideo*, id est, *tum*. Festus in *igitur στόματι βρύχασι*, pro *ἰβρίχασι*, hoc est, ore infremuit bilingui, hoc est, Græco et Latino seu Osco, ut Festus docet.

CXI. Marius Victorinus, lib. de Syllabis. Illud imitatur Ennii : « Funduntque elatis naribu' lucem. » Unde quoque Virg. Æn. XII, vs. 115 : « Solis equi, lucemque elatis naribus efflant. »

CXII. Servius, in X Æneidos.

CXIII. Servius, in XI Æneidos.

CXIV. Servius, in lib. IV Georg.

CXV. Donatus, in Eunuch. act. II, sc. 3. Legebat pater Dousa : « *At Dii te senium.* » Ut subaudiatur *perdant*. Vocem potius interponendam judicamus, ut ita constituatur totus versus : « *At Dii te perdant, senium, atque insulse sophista.* »

CXVI. Donatus, in And. act. V, sc. 4. Lacuna hoc loco : quæ tamen videtur ex Donato pulchre expleri

CXVII.

. . . . . Myconi calva omni' juventus.

CXVIII.

. . . . . Carcer vix carcere dignus.

CXIX.

. . . . . Lecti omnes : Atticon hoc est.

CXX.

. . . . . Animo ac virtutibus.

CXXI.

Centum genera solœcismorum.

CXXII.

A me auxiliatus si est.

posse, addita voce *metuo*, aut *vereor*, aut certe simili aliqua.

CXVII. Donatus, in Hecyr. act. III, sc. 4. Consulendi Strabo, Stephanus, et Plinius lib. XI, cap. XXVVII, Nat. Hist.

CXVIII. Donat. in Adelph. act. III, sc. 2. Vid. edit. nostr. vol. II, pag. 333. Doctissimus vir Paullus G. F. P. N. Merula in suo commentario ad Ennii Annales fragmentum hoc altero hemistichio auctius producit ex Calpurnii Pisonis lib. I, de Continentia veterum poetarum, cujus verba hic inserenda duximus : « Iteratio, quam Græci ἀναδίπλωσιν vocant, si dextre collocatur, magnum ornatum adfert orationi. Omnis ætas hic excellit. Non male Livius Andronicus in Odyssea : « Ah vestros, vestros, dum hic mactatis, irruet nervos perduelles. » Melius Ennius in Annal. III : « O Romule, Romule, dico. » Optime Lucilius Satira XXVIII, de Gallonio : « *Hic scurra, hic carcer, carcer vix carcere lignus.* » Hactenus; ubi vere legendum conjicit P. Merula : de jure Gallonio. Ut intelligatur P. Gallonius gurges, cujus gulam et luxuriem insectatur lib. IV Lucilius : nec male idem annectit huic versui quæ apud Nonium ex eadem Satira insumere et legere est, hoc exemplo :

Hic scurra, hic carcer; carcer vix carcere dignus,
Omnia viscatis manibus leget, omnia sumet,
Crede mihi, presse auferet omnia....

CXIX. Donat. in Phorm. act. I, sc. 2. Scilicet nummi, ut interpretatur pater Dousa. Plautus Pseud. IV, 7, 50 : « Accipe : hic sunt quinque argenti lectæ numeratæ minæ. »

CXX. Donat. in Adelph. act. II, sc. 1.

CXXI. Isidorus, Orig. lib. I, cap. 32. — *Solœcismorum.* Hinc apparet recte et latine dici solœcismum, adversante alii Capitonis sententia, qui negat apud antiquiores et idoneos scriptores illud vocabulum reperiri. Vide A. Gellium, lib. V, cap. 20. Noct. Attic.

CXXII. Priscianus, lib. II et VIII.

CXXIII.

. . . . . Anseris herbili' virus.

CXXIV.

. . . . . Stat sentibu' fundus.

CXXV.

Ex facie florem delegeris.

CXXVI.

Pedetentim hunc resalutem.

CXXVII.

. . . . . Fici comeduntur et uvæ.

CXXVIII.

. . . . . Exta acceptoris et unguis.

CXXIX.

. . . . . Gibbere magno.

CXXX.

Quum illa fora itant.

CXXXI.

Plure foras vendunt.

CXXXII.

Assiduas ficos.

CXXIII. Servius Petri Danielis : *Virus*, id est fœtor.

CXXIV. Donat in Andr. act. IV, sc. 2. Hoc hemistichium ex libro V, Sat. Lucili adducunt Aul. Gellius et Nonius : « *Interea stat sentibu' pectus.* » Quod diversum ab hoc fuisse, satis ex interpretatione grammaticorum patet.

CXXV. Donat. in Eunuch. act. IV, sc. 4. In Donato asterici alicujus defectus indicia sunt. Liber manuscriptus, qui servabatur in libraria Rodolphi Snellii, habebat : « *Athimudi Sacci ex facie florem delegeris.* »

CXXVI. Charisius, lib. II.

CXXVII. Charisius, lib. I.

CXXVIII. Charisius, lib. I. *Acceptor*, et accipiter idem. Hoc fragmentum, permulta ut alia hujus auctoris, debemus libro veteri Charisio : in vulgatis tantum modo vox *acceptor* legitur, quam etiam agnoscit auctor glossarii : acceptor, ἵεραξ, ὀρχεύς.

CXXIX. Charisius lib. I. *Gibber*, ut tuber.

CXXX. Charisius, lib. I.

CXXXI. Charisius, ibid. *Plure* aut minore emptum Antiqui dicebant.

CXXXII. Charisius, lib. I. Vix affirmare dubitemus, quin hario-

CXXXIII.

. . . . . Legem
Vitemus Licini.

CXXXIV.

. . . . . Fanni centussisque misellos.

CXXXV.

Anu noceo.

CXXXVI.

. . . . . Prodes amicis

CXXXVII.

. . . . . Primum facie quod honestas
Accedit.

CXXXVIII.

Scinde, puer, calam, ut caleas.

CXXXIX.

. . . . . Resultantes ædesque lacusque.

CXL.

Ecquem Pamphilum quæris?

latio nostra vera sit : « *Asse duas ficos;* » sic Martialis lib. IX, Epigr. 60, vs. ult. : « Asse duos calices emit, et ipse tulit. » Videtur autem Lucilius caritatem ficuum voluisse innuere, ac eodem pertinuisse credimus fragmentum proxime præcedens : *plure foras vendunt*, ubi etiam legendum putamus, *foris.*

CXXXIII. A. Gellius, lib. II, cap. 24. Centenariæ cœnæ dicebantur in quas lege Licinia, non plus centussibus, præter terra nata, impendenbantur.

CXXXIV. A. Gellius, lib. II, cap. 24. Sic Martialis, Epigr. 7, v. 1, lib. III: « Centum miselli jam valete quadrantes. » Legis autem Fanniæ meminit et Plin. lib. X, cap. 11. H. N.

CXXXV. A Gellius, lib. IV, cap. 16. Lucilius in dativo casu *anu* dicit, non anui.

CXXXVI. Macr. de Different. et Societ. Græci Latinique verbi.

CXXXVII. A Gellius, lib. I, cap. 14. Ita legendum cum Josepho Scaligero, non cum vulgo : « *Primum facie quod honestatis accedit;* » nulla carminis habita ratione.

CXXXVIII. *Calas* Veteres dicebant fustes.

CXXXIX. *Lacus*, idem ac laquear. Ita est in veteribus libris : vulgo, *resultant.* Male autem apud Isidorum Lucio pro Lucilio hoc hemistichium adscriptum legitur. — *Ædæsque lacusque;* id est ædes laqueatas, ἐν διὰ δυοῖν, ut monuit Jos. Scaliger.

CXL. Servius, in I Æneid.

CXLI.

. . . . . Χῖος δυνάστης.

Οἶνος.

CXLII.

Uxori legata penus.

CXLIII.

Apollo Pulcher dici non vult.

CXLIV.

Scorta Pyrgentia.

CXLV.

Vultis? empta est: noltis? non empta est.

CXLVI.

Et suffocare conatur.

CXLVII.

. . . . . Pergit capulare cadaver.

CXLVIII.

Serenu' fuit.

CXLIX.

Subulo, pullipremo.

CXLI. Servius, in II Georg.

CXLII. Servius: Hic, hæc et hoc *penus*. Lib. XVI. Legavit quidam uxori mundum omne penumque; quod ad eamdem rem pertinuisse putemus.

CXLIII. Servius P. Danielis Aurelii. Virgilius III Æneid. vers. 119. « Taurum Neptuno, taurum tibi, pulcher Apollo. »

CXLIV. Servius ejusdem.

CXLV. Diomedes: *Noltis* pro: non vultis.

CXLVI. Diomedes, lib. I.

CXLVII. Fulgentius Planciades de Prisco sermone: *Capularem* nominari volunt senem jam morti contiguum; quin et reos capulares dicebant, quī capulo digni fuerant.

CXLVIII. Quintil. Instit. Orat. IX, 4.

CXLIX. *Subulones*, prædicones dicti. — *Pullipremo*. Puerorum plagiarius. Jos. Scaliger in conjectaneis Latinos veteres *mullare*, et *mulleos* calceos a mullando dixisse autumat; itaque Theocrito τὸ μυλλᾶν, quod usitatius παραίγειν, unde subulones Lucilius prædicones vocarit. Sed in veteribus libris *suppilo* legitur, quod Baptista pius hoc Laberii exemplo firmabat: « Quænam mens, quæ deliritas vos suppilatores facit cum cano eugio velitari? » ubi obiter immissa voce

CL.

. . . . . Viscus aprinum.

CLI.

. . . . . Agrariu' mergus.

CLII.

Oleum Cassinas.

CLIII.

Carissam.

CLIV.

Ἄλγη ἔθηκεν.

CLV.

Ninguis.

CLVI.

Strigilim.

CLVII.

Jugerum.

CLVIII.

Εὔφωνα.

restituimus: « Quænam mala mens, quæ deliritas. » Ex Catullo, Carm. XL, vs. 1:

Quænam te mala mens, miselle Ravide,
Agit præcipitem in meos iambos?

CL. Charisius, lib. I. Ita ex veteri Charisii codice restituimus, nam in vulgatis *aprugnum* legitur, contra mentem grammatici.

CLI. Jul. Capitol. Vit. Pertinacis. Hoc tantum adagio videtur Lucilius hominem rapacem et lucri avidum designare voluisse; ut enim mergus (Gallice, *le plongeon.*) avis voracissima. Simile apud Græcos exstat proverbium Αἰθυιῶν τρόπον; quod interpretatur Had. Junius, in modum mergorum, de nunquam satiata edacitate.

CLII. Priscianus, lib. VII: *Oleum Cassinas*, neutrum pro *Cassinate*. Cassinatis agri in ferendo oleo præstantia commendatur a Varrone, de R. R. lib. XI: « Ad victum optima fert; ager Campanus frumentum, Falernus vinum, Cassinas oleum, Tusculanus ficum vel Tarentinus, piscem Tiberis. »

CLIII. Festus: *Carissam* apud Lucilium, vafram significat.

CLIV. Servius: in Virg. Æn. X Εθηκεν, id est, fecit. Homer. Iliad. I, vs. 2, ἡ μυρί' Ἀχαιοῖς ἄλγε' ἔθηκεν... Reponendum ergo in textu videretur ἄλγε'.

CLV. *Ninguis.* Vetus vox pro: nivis, a *nix*.

CLVI. Charisius, lib. I.

CLVII. Charisius, lib. I.

CLVIII. Consultus Chirius Fortunatianus, Rhetor. lib. III. Εὔφωνα, id est, vocalia verba.

CLIX.

Canaliculam.

CLX.

Corolla.

CLXI.

Vappones.

CLXII.

Aquilum.

CLXIII.

Gulioca καρυοτόμια Gulliocæ.

CLXIV*.

Fornicem.

CLXV.

Vim vomuisse.

CLXVI.

Semel in vita Crassus risit.

CLXVII.

Crebræ papaveratæ.

CLIX. Non. *Canalis* femin. gen.. Lucil. ὑποχορωτικῶς *canaliculam* dicit. Varro de Re Rustica, lib. III, cap. 5 : « Intra retem aves sunt omne genus, maxime cantrices, ut lusciniolæ et merulæ, quibus aqua ministratur per canaliculam, cibus objicitur sub retem. »

CLX. Isidor. Orig. lib. XIX, cap. 32. — *Corolla*, id est Corona, primum ornamentum insignæ victoriæ. Hæc a Lucilio, *Corolla*, ab Homero στεφάνη dicta est.

CLXI. Probus in Catholicis nominum. Perperam Lucretio vocem hanc adscribi multi monuerunt.

CLXII. Glossarium : Aquilum μέλαν, ὡς Δουκίλλιος.

CLXIII. Glossarium : Gulliocæ καρυοτόμια ; Gulliocæ κάρυα μακρὰ παρὰ Δουκιλλίῳ.

CLXIV. Lucilianam esse hanc vocem monet Arnob. advers. Gent. lib. II.

CLXV. Idem, lib. V, loc. cit. refert hæc, tanquam Lucilii.

CLXVI. Hieronym. ad Chromat. hæc adscribit Lucilio. Et, revera, Plin. Hist. Nat. lib. VII, cap. 19, refert eumdem *Agelastum* vocatum fuisse.

CLXVII. Plin. Nat. Hist. VIII, 48, antiquiorem habere originem *crebras papaveratas* dicit, jam sub Lucilio poeta, in Torquato notatas.

* Fragmenta quæ sequuntur, usque ad fragm. CLXXVIII, etsi omnino mutila, referenda censuimus; dum ea omisit V. D. *Achaintre*, in sua editione.

CLXVIII.

Gratiosiores versus, si in monosyllabum finiuntur.

CLXIX.

In tribunatu cœnavit L. Crassus apud Præconem Granium.

CLXX.

Tusco et Sabino et Prænestino utitur (malum!) Vectius.

CLXXI.

. . . . . .

CLXXII.

. . . . . .

CLXXIII.

. . . . . p. . . . . i. . . . . i. . . . . .

CLXXIV.

Rabula.

CLXXV.

Suda. . . . . remilium.

CLXXVI.

. . . . . ti hibernaculum.

CLXVIII. Citat sententiam hanc, Serv. ad lib. VIII, Æn. Virg. in hoc loco:

..... Viridique in litore conspicitur sus.'

CLXIX. Refert hæc Cic. in Bruto, de Crasso.

CLXX. Quintil. Inst. Orat. I, cap. 5, dicit se ea de causa insectari Lucilium.

CLXXI. Comment. Vet. Horat. lib. II, Sat. 1: dicit Lucilium, *vitam suam scripsisse, et non sibi pepercisse.* Nullum autem exstat ipsius Lucilii fragmentum. Fragmenti locus tamen adsit.

CLXXII. Locus omnino conclamatus, nec ullo modo cuiquam resarciendus. Etenim, habe quæ dicit Porphyr. in Hor. lib. II, Sat. 2, ad illud: « Primum nam inquiram, quid sit furere. » Ostendit quid sit furor, ut Lucilius... Reliqua, immo et prima, desiderantur.

CLXXIII. Citat Donat. Lucilium; et visne scire quid citet: accipe, nec rideas temporum injuriam: p...i...i... Ubi erit Œdipus alter? Ed.

CLXXIV. Vocem hanc esse Lucilii testatur Festus, ex Verrio.

CLXXV. Hæc verba item Lucilio Festus adscribit.

CLXXVI. Eadem, pariter invidia temporis vastata reperies apud Festum, ubi loquitur de *suberie*.

CLXXVII.

Mutonium.

VERSUS

Aliquot citati, quidem omisso auctoris nomine, aut perperam adscripto, a doctis tamen Lucilii *esse existimati.*

CLXXVIII.

. . . . . Cujus non audeo dicere nomen?
Quid refert, dictis ignoscat Mutius, an non?

CLXXIX.

. . . . . Granius autem
Non contemnere se, et reges odisse superbos.

CLXXVII. Glossarium : *Mutonium προβασκάντιον, ὡς Λουκίλιος.*

CLXXVIII. Juvenalis, lib. I, Sat. 1. Ita geminos hos versus Lucilio ex Juvenale redonavit Dousa pater, admonente se ipsius antiquitatis poetæ sententia. Per priores enim Lucilium ipsum designari arbitratur : cujus tanta fuit in scribendo acrimonia ac libertas; (quam satirice Juvenalis simplicitatem appellat) ut nominibus non modo veris, sed etiam magnis ausus fuerit abuti. Hanc sententiam confirmat veteris commentarii auctoritas, ubi ad vocem *priorum* annotatum legitur « Lucilii et cæterorum, » et duobus post versibus : « Pone Tigillum nunc sicut olim Mutium Lucilius, ut Persius : » « .... Secuit Lucilius urbem, te Lupe, te Muti, et genuinum fregit in illis ; » ad quæ item glossæ ineditæ : « Mutius fortiter, et sapienter tulit quidquid in ipsum a Lucilio dictum est. »

CLXXIX. Cic. ad Attic. lib. VI, Ep. 3. Hæc est sententia Simeonis Bosii. « Granius, inquit, quem potentiores despiciebant, ipse se non contemnebat ; idem oderat reges superbos, id est, magnates qui ipsum despectui habebant. » Confirmat Bosii sententiam *Lucilianissimus* iste Granius, quem familiarem admodum poetæ nostro fuisse constat. Lucilius ipse, lib. XI, Sat.

Conjicere in versum dictum præconi volebam.

De Granio ita dicit, Cicero in Bruto : « Ego memini T. Tincam Placentinum, hominem facetissimum, cum familiari nostro Q. Granio præcone dicacitate certare. Eone, inquit, Brutus de quo multa Lucilius ? Isto ipso : sed Tincam non minus multa ridicule dicentem Gra-

CLXXX.

Quid? Puto te in hoc aut risisse, aut ingemuisse,
Ut frontem ferias.

CLXXXI.

Displiceo mihi, nec sine summo scribo dolore.

CLXXXII.

O domus antiqua! heu quam dispari dominare domino!

CLXXXIII.

Sustineat currum, ut bonu' sæpe agitator, equosque.

CLXXXIV.

Atque aliquos ibus ab rebus clepsere foroque.

CLXXXV.

Tantidem quasi feta canes sine dentibu' latrat.

CLXXXVI.

Non frustillatim, nec minutatim dari.

CLXXXVII.

Priverno Oufentina venit, fluvioque Oufente.

nius obruebat nescio quo sapore vernaculo. »

CLXXX. Cic. ad Attic. lib. I, Ep. 1.

CLXXXI. Cic. ad Attic. lib. II, Ep. 18.

CLXXXII. Cicero, de Officiis, lib. I. Hic versus, Jos. Scaligeri judicio, Lucilio adscribendus est, quem versum idem putat ex iis libris fuisse quos iambico aut trochaico carmine scripserat Lucilius; alii cum Ennio tribuunt, sed nullis certis rationibus innixi.

CLXXXIII. Cic. ad Attic. lib. XIII, Ep. 21. Etiam hunc versum Lucilianum esse existimamus, quantumvis in Cicerone sit legendum: « Nec est melius quidquam, quam ut Lucullus Sustineat currum, ut bonu' sæpe agitator, equosque. »

CLXXXIV. Varro, lib. VI, de Ling. Lat. *Clepsere* dixit, unde etiam alii *clepere*, id est, *corripere*.

CLXXXV. Varro, lib. IV, de Ling. Lat. Utrum primum *una canis*, an canes sit appellata.

CLXXXVI. Nonius: *Frustatim* et *frustillatim*, per frusta, ut *minutatim*. Cohærent hæc apud Nonium cum Pomponii fragmento, sic: « Verum illi valent, qui luctantur cum leonibus, ut te objectis frustatim passerinum prandium saturarum non frustillatim, nec minutatim dari. » Quæ male coalescentia commode divisit, ac distraxit Had. Junius nomine Lucilii interposito: « Lucilius satirarum: non frustillatim nec minutatim dari. »

CLXXXVII. Festus: *Oufentinæ tribus*, initio causa fuit nomen flu-

CLXXXVIII.

Græcia Sulpicio sorti data, Gallia Cottæ.

CLXXXIX.

Ructantur juvenes, et sputis omnia fœdant.

CXC.

. . . . . Ore salem exspiravit amarum.

CXCI.

. . . . . Quanquam fuit ipse.

CXCII.

. . . . . Clopo
Subsidio occurrat.

CXCIII.

. . . . . Næ ridicule mihi cillus.

minis *Oufens*, quod est in agro Privernate, inter mare et Terracinam. Postea deinde a Censoribus alii quoque diversarum civitatum eidem tribui sunt adscripti.

CLXXXVIII. Isidorus, Orig. lib. I, cap. 35. Videtur hic versus detortus acerbe in Sulpitium et Cottam. Quum enim uterque contenderent, ut in Hispaniam adversus Viriatum mitterentur, cujus potentia Romanis tum formidabilis erat, neuter eorum obtinere id potuit. Quam rem refert Valer. Maximus, lib. VI, cap. 4. « P. Scipio Æmilianus, quum Ser. Sulpicius Galba, et Aurelius Cotta consules in senatu contenderent, uter adversus Viriatum in Hispaniam mitterentur; ac magna inter patres conscriptos dissensio esset, omnibus, quonam ejus sententia inclinaretur, exspectantibus : neutrum, inquit, mihi mitti placet, quia alter nihil habet, alteri nihil satis est. Æque malam licentis imperii magistram judicans inopiam, atque avaritiam. Quo dicto, ut neuter in provinciam mitteretur, obtinuit. »

CLXXXIX. Nicol. Perottus in Martialem, ad epigr. 116 in Fescenniam.

CXC. Hieron. Columna in explicationibus fragmentorum Ennii.

CXCI. Cic. ad Attic. lib. IV, Ep. 7.

CXCII. *Clopo*, vel *cloppo* pro *clippo*, quod in MSS. legitur διὰ συγκοπῆς, pro *claudipus*, ut *clausus pede*, appellatur *claudus*. Forte quoque ex Græco, χωλὸς τοὺς πόδας, claudus secundum pedes.

CXCIII. *Cillus*. Idem ac cilium. Hunc versum Lucilianum esse putat Junius, et addit : est *Cillus* a *Cinno* dictus, quomodo et *Cirrus; Cinnus* autem modo pro *capillo cirrato* sumitur, et ab eo *cinnæ* Βοστρυχωτοί, modo, pro : cilio.

CXCIV*.

. . . . . Sanctu' Serapis,
Isis et Harpocrates, digito qui significat ST.

CXCV.

At magnum fecit, quod verbis Græca Latinis
Miscuit.

CXCVI.

Cretatumque bovem duci ad Capitolia magna.

CXCVII.

. . . . . Vidimus vinctum thomicæ cabina.

CXCVIII.

A. Gellius, Noct. Attic. lib. VII, cap. 3 : Recte, inquit (Tiro Tullius M. Ciceronis Libertus), hoc vitio dat Lucilius poeta Euripidi, quod quum Polyphontes rex propterea se interfecisse fratrem diceret, quod ipse ante consilium de nece ejus cepisset, Ærope fratris uxor hisce eum versibus eluserit :

Εἰ γάρ σε ἔμελλεν, ὡς σὺ φῄς, κτείνειν πόσις
Χρὴ καί σε μέλλειν, ὡς χρόνος παρήν δηθεν.

At hoc enim, inquit, plane stultitiæ plenum est, eo con-

*Pauca quæ sequuntur fragmenta, et quæ finem absolvunt incertorum Lucilii locorum huc reponere operæ pretium esse credidimus, potius quam si ea relinqueremus in ultima libri calce, ut fit in Dousiana editione. Ed.

CXCIV. Varro de Ling. Lat. lib. IV, principes Dei, Cælum et Terra : hi dii iidem qui in Ægypto *Serapis et Isis ; et ST Harpocrates digitus significat.*

CXCV. Vers. est Horatii loquentis de Lucilio. Julius Rufinianus de Schemate Dian. Exuthenismos : figura hæc fit quum rem aliquam extenuamus, et contemptam facimus, ut apud Lucilium : « *At magnum fecit*, etc. etc. »

CXCVI. Commentarius in Juvenalem : Sat. X ad illa :

Pone domi lauros, duc in Capitolia magnum
Cretatumque bovem.

Credit Dousa hunc versum Lucretio pro Lucilio perperam, ob nominis vicinitatem, transcriptum : neque enim eum in Lucretio, quamvis diligentissime pervolutato, reperire potuit Dousa. Ed.

CXCVII. Festus : *Thomices*, Græco nomine appellantur canabi impositi et sparto leviter tortæ restes, ex quibus funes fiunt.

silio atque ea fini facere nolle aliquid, uti nunquam id facias, quod velis.

CXCXIX.

Decuis, sive decussis est.

CC.

Servius, ad illa Virgilii, lib. IX, Æneid. vers. 571.

Emathiona Liger, Corinæum sternit Asylas;
Hic jaculo bonus, hic longe fallente sagitta:
Ortygium Cæneus, victorem Cænea Turnus;
Turnus Itym.

Ut ait Lucilius, *bonum schema est quoties sensus variatur iteratione verborum.*

EX LIBRO I SATIRARUM.

Servius in X Æneid. Virgilii, ad illum locum:

Accipite ergo, animis, atque hæc mea figite dicta.

« Totus hic locus de Primo Lucilii translatus est, ubi « inducuntur Dii habere concilium, et agere primo de « interitu Lupi cujusdam judicis rei, postea sententias « dicere. » Sed hoc, quia indignum erat heroico carmine, mutavit Virgilius, et induxit primo Jovem loquentem de interruptis fœderibus, cujus orationem interrupit Venus: post sequuta Junonis verba sunt, quibus redarguit Venerem.

CXCXIX. Varro de Ling. Lat. lib. VIII: et illud putant esse causæ cur non sit analogia, quod Lucilius scribit: *Decuis, sive decussis est;* qui errant: quod Lucilius non debuit dubitare quod utrumque: nam in ære, usque ab asse ad centussis, numerus æs adsignificat, et ejus numero finiti casus omnes a dupondio sunt.

CC. Ut ait Lucilius, etc. — Appareret inde Lucilium fortasse aliquid scripsisse de Arte Poetica vel de quapiam re simili. Ed.

I.

Concilium summis hominum de rebus habebant.

II.

Vellem concilio vestrum, quod dicitis, olim
Cælicolæ; vellem, inquam, adfuvissemu' priore
Concilio.

III.

Ut nemo sit nostrum, quin Pater optimu' Divum,
Ut Neptunu' Pater, Liber, Saturnu' Pater, Mars,
Janu', Quirinu' Pater, nomen dicatur ad unum.

IV.

. . . . . Tubulus si Lucius unquam,
Si Lupus, aut Carbo Neptuni filiu' Divos
Esse putasset, tam impius, aut perjuru' fuisset?

I. Servius in IX Æn. ad hunc versum 227

Consilium summis regni de rebus habebant.

II. Jul. Rufinianus de Figuris sententiarum et elocutionis. Et hos versus ita sensui et numeris a se restitutos ad librum hunc pertinuisse non vane hariolatur Dousa pater, censetque a Jove ipso productos, ut reliqui Dii de concilio prius a se solis, Jove absente, habito mentionem fecisse a poeta inducti fuerint. Josephus Scaliger, addito præterea tertio versu ex incerto satirarum libro ab Asconio allato, ita totos constituendos putat:

Vellem cum primis, fieri si fors potuisset,
Vellem concilio vestrum, quod dicitis, olim,
Vellem, cælicolæ, vestrum adfuisse priore
Concilio.

III. Lact. lib. IV, cap. 3, Div. Inst. Hæc ad idem Deorum concilium referenda, si non res ipsa, certe Lactantii verba manifesto nos arguerent, qui Lucilium ea in Deorum concilio irrisisse scribit; et videntur etiam ex Jovis persona accipienda.

IV. Cicero de Nat. Deorum lib. I: Ut hæc quoque ad hunc librum pertinere putaremus (nam apud Ciceronem nullus libri numerus agnoscitur) persuadebat Lupus iste, cujus impietatis commeminit obsequens. «Rutilius Lupus', inquit, spretis religionibus, quum in extis caput non invenisset jecineris, amisso exercitu, in prælio occisus est.» — Lucius vero Tubulus iste quis fuerit, licet penitus ex Cicerone cognoscere, ita eum describente in oratione pro Scauro: «Si mehercule, judices, pro Lucio Tubulo dicerem, quem unum ex omni memoria sceleratissimum et audacissimum fuisse accepimus, tamen non timerem venenum hospiti aut convivæ si diceretur cœnanti ab illo datum, cui neque hæres neque iratus fuisset.» Quem locum exponens Asconius: «Lucius hic Tubulus, inquit, prætorius fuit ætate patrum Ciceronis;

V.

Quo pacto populum atque urbem servare potissit
Ampliu' Romanam.

VI.

. . . . . Ut multos menseeque diesque,
Non tamen ætatem tempestate hac scelerosi
Lætentur.

VII.

Hæc ubi dicta dedit, pausam facit ore loquendi.

VIII.

Nec si Carneaden ipsum ad nos Orcu' remittat.

IX.

Per satiram, Ædilem factum qui legibu' solvat.

X.

Cui, si conjuret, populus vix totu' satis sit.

XI.

Munu' tamen fungi, et muros servare potissent.

is propter multa flagitia, quum de exsilio accersitus esset, ne in carcere necaretur, venenum bibit. » De eod Cic. lib. II et V de Finib. mal. et bon. — *Aut Carbo Nept. fil.*, etc. Neptuni filius, id est, ferus. Aul. Gell. lib. XV, 21. Quem vero Carbonum hoc loco tangat Lucilius, pro certo affirmare non ausimus; nam Cicero, Ep. ad fam. lib. IX, tres fratres improbissimos hoc nomine recenset. Illius verba hæc sunt : « Cognovimus Cn. Carbonem, et ejus fratrem Scurram. Quid his improbius? De hoc amico meo, Rubriæ filio, nihil dico. Tres illi fratres fuerunt, C. Cn. M. Carbones. Marcus, P. Flacco accusante, condemnatus fur magnus ex Sicilia: Caius, accusante L. Crasso, cantharidas sumpsisse dicitur; is tribunus plebis seditiosus, et P. Africano vim attulisse existimatus est. »

V. Charisius, lib. XI. Amplius. *Potis sit*, id est, possible sit. Ita Plautus.

VI. Donatus, in Eun. act. V, sc. 5.

VII. Nonius : *Pausa* est quies alicujus rei. Nobis sententia est hoc esse intelligendum de Jove aut alio Deorum dicendi finem faciente.

VIII. Lactantius, lib. V, cap. 15, Divin. Inst. Carneades, Academiæ philosophus, cujus de ingenii celeritate, de vi et acumine in disserendo, magna valde miratione loquitur Cicero in libris Philosophicis.

IX. *Satira.* Hoc loco, lex, quæ uno rogatu multa comprehendit.

X. Charisius, lib. II.

XI. Nonius : Accusat. pro ablat. *Potissent*, id est, potuissent.

XII.

Si non amplius, ad lustrum hoc protolleret unum.

XIII.

Ad cœnam adducam, et primum hisce abdomina thynni
Advenientibu' priva dabo, cephaleaque atarnæ.

XIV.

Porro quæcumque, et cuicumque, ut diximus ante,
Obstiterit, primo hoc minuendi refert res.

XV.

. . . . . Ut contendere possem
Thestiadas Ledæ, atque Ixionas Archilochio.

XVI.

Has res ad te scriptas, Luci, misimus, Æli.

XVII.

Quis leget hæc? Min' tu istud ais? Nemo, hercule, nemo.

XVIII.

Serpere uti gangræna mala, atque herpestica posset.

XIX.

Vultus item ut facies, mors, icteru' morbu', venenum.

XII. Nonius : *Protollere* est differre.

XIII. A Gellius, liv. X, cap. 20 : Veteres *priva* dixerunt, quæ nos singula dicimus. — *Atarne*, piscis genus. Putat Dousa pater melius esse dicendum *abducam*, quam adducam ; ita Plautus in Milite act. III, sc. 1, vs. 117 : « Abducunt ad exta, me ad se ad prandium, ad cœnam vocant. »

XIV. Non. : Ablat. pro genitivo.

XV. Nonius : *Contendere* significat comparare. — *Archilochio*, genitiv. ut est græce Ἀρχιλοχοῦ.

XVI. Auctor Rhetoricæ ad Herennium, lib. IV, de Ornamentis. Eo loco citatus Ælius est incertus ; multos diversos eo nomine fuisse legimus ; L. Ælii Lanuvini ; L. Ælii Stilonis, etc. Suet. de Illust. Gramm. in mentione.

XVII. Veter. Gloss. in Persium, Sat. I.

XVIII. Nonius : *Gangræna* est cancer. — *Herpestica*. Forsan, *herpes ita*.

XIX. Nonius : Vultus et facies hoc distant : *vultus* est voluntas quæ pro motu animi in facie ostenditur ; *facies* ipsa oris species. — *Icterus*, morbus est dictus a volucri galbula concolore. (Gallice, *la jaunisse*.) Ed.

XX.

Infamem, honestam, turpemque odisse popinam.

XXI.

Prætextæ, ac tunicæ Lydorum opu' sordidum omne.

XXII.

Siplæ atque amphitapæ villis ingentibu' molles.

XXIII.

Irritata canes quod, homo quam, planiu' dicit.

XXIV.

Nodum in scirpo insane facere vulgus.

XXV.

Et mercede meret relligiones.

XXVI.

. . . . . Miracla cient elephantes.

XXVII.

. . . . . Arutænas et aquales.

XX. Nonius : Popinones, vel hi quos nunc dicimus tabernarios, a popinis; vel luxuriosos qui se popinis dedunt.

XXI. Nonius : *Tunica* est vestimentum sine manicis. Aristænetus lib. Ep. XV : Σὲ δὲ ὦ πασῶν ὑπερφέρουσα γυναικῶν καὶ κάλλει καὶ γνώμῃ τῆς εὔφρονος οὐ παρήγαγεν εὐβουλίας, οὐχ δρμος, οὐχ ελικτῆρες, οὐ πόλεων τὸ πολύτιμον, οὐ περιδέρραιον, οὐ Λύδιος τε καὶ ποδήρης χιτὼν, οὐ πορφυρίδες, οὐ Θεράπαιναι τῆς Καρίας, οὐδὲ Λυδῶν ὑπερφυῶς ἱστουργοῦσαι γυναῖκες. Lydii vero quondam ex Asia, duce Tyrrheno, profecti, in Tuscia sive Etruria consederunt; ut docet Strabo. Dion. Halicarn. lib. I. Ant. Rom. et Plinius Hist. Nat. lib. VIII, cap. 48.

XXII. Nonius : *Amphitapæ* vestes dicuntur utrimque habentes villos. *Sipla, tapeta est ex una parte villosa.*

XXIII. Nonius : *Irritare* dictum est proprie provocare : tractum a canibus, qui, quum provocantur, irriunt.

XXIV. Donatus : in Andr. Terent. act. V, sc. 4. Ita reformandum hunc versum putat Dousa : « *In scirpo nodum tum insane quærere vulgus*, » ut sententiæ pariter et versui consulatur. — Scirpus, res palustris et levissima, et nodi omnius inscia : unde dictum, *nodum in scirpo quærere*. Eo.

XXV. Nonius : *Meret* humillimum et sordidissimum quæstum capit.

XXVI. Nonius : Mira et *miracula* Veteres pro monstris et horrendis ponebant, et generaliter pro iis quæ omne genus admirationis excitarent.

XXVII. Charisius, lib. I.

XXVIII.

Vulturius.

EX LIBRO II SATIRARUM.

I.

Quem quum vidissent Hortensiu', Posthumiusque,
Cæteri item in capulo hunc non esse, aliumque cubare.

II.

. . . . . Hostilibu' contra
Pestem perniciemque, catax quam et Manliu' nobis.

III.

. . . . . Quæ horis sublata duabus
Omnia sunt, sole occaso, ductoque.

IV.

Injuriatum hunc in fauces invasse, animamque
Elisisse illi.

V.

Nunc Nomentani quæ ex testibus ipse rogando
Exsculpo, hæc dicam.

XXVIII. Charisius, lib. I: Vultur dixit Virgilius in VI; sed et *vulturius* Lucilius in primo.

I. Nonius: *Capulum* dicitur quidquid aliquam rem intra se capit.

II. Nonius: *Catax* dicitur, quem nunc coxonem vocant. Catax a verbo cadere; Catull. Carm. LXXVI, vs. 20: « Eripite hanc pestem perniciemque mihi. » Vid. edit. nostr. Catulli, pag. 355.

III. Priscianus, lib. IX: Ab occido *occasus* pro: ὁ δύνας. In XII tabulis, verbum hoc ita scriptum est: « Sol occasus suprema tempestas esto. » Vide A. Gellium, lib. XVII, cap. 2. Noct. Att.

IV. Nonius: *Elidere*, *excludere* significat. — *Invasse* pro: *invasisse*; sic apud Horatium, lib. II, Sat. III, *evasti* legitur.

V. Nonius: *Exsculpere* est extorquere. Jos. Scaliger totum versum ita constituit:

Nunc Nomentani quæ ex testibus ipse rogando
Exsculpi, hæc dicam.
Satis feliciter, ni fallimur.

VI.

Quæ nunc Æmilio præcanto, atque exigo, quæque
Excanto.

VII.

Non dico, vincat licet et vagus exsulet, erret
Exlex.

VIII.

Nunc Prætor tuus est meu', si discesserit horno,
Gentilis.

IX.

Si natibus natricem impressit crassam et capitatam.

X.

Stulte saltatum te inter venisse cinædos.

XI.

Succussatoris tetri, tardique caballi.

XII.

Homo impudicus et impune est rapinator.

VI. Nonius : *Excantare* significat excludere. — *Æmilio*, etc. Publius Æmilianus Scipio a Paulo Emilio natus, adoptivus autem filius Scipionis, cui Africanus patet erat; sui seculi vir clarissimus exstitit: Romanis in Africa consul præfuit, anno 147 ante J. C.; anno sequenti ab illo incensa et diruta fuit Carthago, tertio bello punico finem dedit. In litterarum studio versabatur; sibi amicitia devinxit Polybium, Panætium et Lucilium nostrum. Ed.

VII. Nonius : *Illex* et *exlex* est qui sine lege vivit.

VIII. Donatus, in And. act. V, sc. 6. Forte an huc pertinuerint illa Apulei ex Apologia, emendante Casaubono : « Equidem C. Lucilius, quanquam sit satiricus, tamen improbarim, quod Gentilem et Macedonem pueros directis nominibus carmine suo prostituerit : » nam vulgares editiones habent : « C. Lucullus quanquam sit Iambicus » ; ubi Iambicus etiam retineri posse crediderimus; eo enim genere carminis Lucilium quoque scripsisse satis alibi, ostendimus : et Macedonis etiam meminisse videtur; quamvis locus sit corruptissimus, lib. VIII. « *Hic est Macedo si agron longiu' flaccet.* »

IX. Nonius : *Natrices* dicuntur angues natantes.

X. Nonius : *Cinædi* dicti sunt apud Veteres saltatores, vel pantomim ἀπὸ τοῦ κινεῖν τὸ σῶμα.

XI. Nonius, *Caballus*. Idem : *succussare* est sursum frequenter excutere.

XII. Nonius : *Impune* quod est impudenter. Idem : *rapinatores*, pro : raptoribus.

XIII.

Ricini et aurati, ricæ et oraria mitræ.

XIV.

Quid dicis? Cur est factum, quod conjicis istuc?

XV.

Qui te, Nomentane, malum, jam cætera perdat.

XVI.

Tum ferto omnia sunt circumlata.

XVII.

. . . . . In vulgam penetrare pilosam.

XVIII.

. . . . . Vix vivo homine ac monogrammo.

XIX.

Duceret has greges.

XX.

. . . . . Ut jure peritus.

XXI.

. . . . . Lustratu', piatus.

XIII. Nonius : *Ricinum*, genus vestis. — *Rica* est quod sudarium dicimus. — *Oraria*, quibus sudorem abstergebant.

XIV. Nonius : *Conjicere*, furari.

XV. Donat. in Phorm. act. I, sc. 2. Aliquid mendum latet, quod tollere non possumus; suspicabamur tamen : *jam querquera perdat:* dicente Dousa.

XVI. Festus : « *Fertum* genus cibi dictum est, quod crebrius ad sacra ferebatur, nec sine strue, altero genere *libi :* quæ qui adferebant Struferctarii appellabantur. » Idem dicit : « Struferctarios dicebant, qui quædam sacrificia ad arbores *fulguritas faciebant*, a ferto scilicet quodam sacrificii genere. » — *Sunt circumlata.* Non *circumferre*, lustrare : Virg. Æneid. VI, 229. « Idem ter socios pura circumtulit unda. »

XVII. Nonius : *Vulga* capacitas, vel sinus cum laxitate. — Forte, *vulvam.*

XVIII. Nonius : *Monogrammi* dicti sunt homines macie pertenues ac decolores : tractum a pictura quæ priusquam coloribus corporatur, umbra fingitur. Sic Ovid. lib. II de Arte Amat., lib. II, 660 : « Sit gracilis, macie quæ male viva sua est. »

XIX. Charisius, lib. I : Feminina omnia monosyllaba sunt, excepto *grege*, *rege*, quorum alterum ex diverso genere constat.

XX. Charis. lib. I : Jurisconsultus dici debet, non jureconsultus.

XXI. Nonius : *Lustrare*, expiare.

XXII.

. . . . . Noctiluca : medica.

EX LIBRO III SATIRARUM.

Porphyrion in Horat. lib. I, sat. 5 : « Lucilius, lib. III, « descripsit iter suum, quod Roma fecit Capuam, et inde « ad fretum usque Siciliense. » Hunc imitatus Horatius, iter suum ab urbe Roma descripsit Brundusium usque, commemorans ejus itineris incommoda.

I.

Millia porro bis quina octoginta videbis
Commoda de Capua. Hinc quinquaginta atque bis octo.

II.

Ad portam mille, a porta est sex inde Salernum.

III.

Inde Dicæarchum populos, Delumque minorem.

IV.

Campana Capua.

V.

. . . . . Longe tria millia passuum.

XXII. *Noctiluca* : hanc vocem usurpavit Lucilius pro obscœno, id est mali ominis, quales sunt bubones, aut similes aves noctu concinentes ; quarum scilicet oculorum aciem hebetante solis splendore, noctu tantum externa possunt distinguere ; et *nox* illis *lux* est. Ed.

I. Nonius : *Commodum*, integrum, totum.

II. A. Gellius, lib. I, cap. 16 : *Mille* numero singulari dictum est. — *Salernum* (hodie *Salerni*, in Neapolitano regno ; in hac urbe mortuus est dictator Sylla, ann. 78 ante J. C. nat.) Ed.

III. Festus : *Minorem Delum* Puteolos (hodie *Pouzzol* in Neapolitano regno) esse dixerunt, quod Delus aliquando maximum emporium fuerit totius orbis terrarum.

IV. Porphyr. in Horat. lib. I, Sat. 6.

V. Charisius, lib. II : *Longe*, pro : præcipue, maxime.

VI.

Verum hæc ludus ibi, susque omnia deque fuerunt,
Susque et deque fuere, inquam, omnia, ludu' jocusque:
Illud opus durum ut Setinum accessimu' finem;
Αἰγίλιπτοι montes Ætnæ omnes, asperi Athones.

VII.

Præterea omne iter hoc est labosum atque lutosum.

VIII.

Porro homines nequam malus ut quartariu' cippos
Colligere omnes.

IX.

Mantica cantheri costas gravitate premebat.

X.

Promontorium remis superamu' Minervæ.

XI.

Quattuor hinc Silari ad flumen, portumque Alburnum.

VI. Gellius, lib. XVI, cap. 9: Significat autem *susque deque ferre* animo æquo esse, et, quod accidit, non magni pendere, atque interdum negligere et contemnere. — *Setinum* (hodie *Sezza*, urbs Italiæ, in regione dicta *la Romagne.*) Ed. — Αἰγίλιπτοι *montes Ætnæ*, etc. Hæc vera est hujus versus scriptura, ut docuit ex Homero Theod. Canterus, apud quem sæpius legitur: ἥτε κατ' αἰγίλιπος πέθρης, quum loquitur de scopulo aliquo prærupto, et rupe adeo alta ut præ altitudine a capreis relinquatur.

VII. Nonius: Ab eo quod est *labos*, *labosum* facit, non laboriosum.

VIII. Festus: *Quartarios* appellabant Antiqui muliones mercenarios, quod quartam partem quæstus capiebant; et, quia mali muliones sua jumenta in cippos eminentes, non per rectam viam ducebant, unde ea vel caderent, vel everterent vehicula, ideo dicuntur *colligere cippos.*

IX. Porphyrion, in Horat. lib. I, Sat. 6. *Mantica*, pera est. Videtur autem de se ac suo vectore fabulari Lucilius, cui hippoperæ utrimque dependentes (id enim *mantica* est) tergaque et costas pressatas ulcerabant onere sarcinarum multo infestissimo.

X. Servius P. Danielis Aurelii. Emendandum proponit Doct. Scaliger: « *Promontori imum.* »

XI. Probus, in IV Georg. Virg. *Silarum* (hodie *la Séla*) flumen Lucaniæ; portus Alburnus, et ejus nominis mons ad Sextum a primis tabernis.

XII.

Hinc media remis Palinurum pervenio nox.

XIII.

. . . . . Et sæpe quod ante
Optasti, freta Messanæ, et Rhegina videbis
Mœnia, tum Liparam, et Fasceliti' templa Dianæ.

XIV.

Hic. . . . summi superat carchesia mali.

XV.

. . . . . Viamque
Vis degrumari, ut castris mensor facit olim.

XVI.

. . . . . Et spatium curando corpori honestum
Sumemus.

XVII.

Ostrea nulla fuit, non purpura, nulla peloris.

XII. *Nox*, ἀρχαϊκῶς dictum, pro : noctu. — *Palinurum*, promontorium in Lucania : quod habet nomen a Palinuro, Æneæ classis gubernatore. Cf. Virg. Æneid. lib. V, vers. 840 et sq. Ed.

XIII. Probus, de vita Virgilii et bucolici carminis ratione : « Orestes post parricidium furens, responso didicit quod deponeret furorem ita demum si, recuperata sorore Iphigenia, ablueretur fluvio, qui septem fluminibus confunderetur. Diu vexatus, quum in Taurica Iphigeniam reperisset, venit ad fines Rheginorum ; ibique invento flumine elutus, trajecit in Siciliam, et juxta Syracusas a somnio admonitus, simulacrum Deæ, quod secum de Taurico advexerat, templo posito consecravit, quam appellavit *Fascelitim* : sive quod fasce lignorum tectum de Taurica simulacrum extulisset. » — *Messana* (hodie *Messine*), Siciliæ urbs clarissima, in Messinæ freto (olim fretum Siculum) sita. — *Rhegina mœnia* ; Rhegium (hodie *Reggio*), Italiæ oppidum, in freto Siculo, ex adverso Messanæ, situm. — *Lipara* (hodie *Lipari*), parva insula prope Siciliam. Ed.

XIV. Nonius : *Carchesia* alias summa pars mali. Item foramina quæ summo mali funes recipiunt. Ita prima parte mutilum in veteri codice reperit Dousa : « *Tertius hic mali superat carchesia summa.* » Ubi vocem *tertius* pro *libro tertio* in contextum irrepsisse nemo non videt.

XV. Nonius : *Grumæ* sunt loca media, in quæ directæ quatuor congregantur et conveniunt viæ.

XVI. Nonius : *Sumere* etiam significat eligere.

XVII. Nonius : *Ostrea* generis feminini.

XVIII.

Asparagi nulli.

XIX.

. . . . . Ergo,
E somno pueros cum mane expergitu' clamo.

XX.

Cernuus extemplo plantas convestit honestas.

XXI.

Broncus novit lanius, dente adverso, eminulo, hic est Rhinoceros velut Æthiopus.

XXII.

. . . . . Ille alter abundans,
Cum septem incolumis pinnis redit, ac recipit se.

XXIII.

Romanis ludis forus olim ornatu' lacernis.

XXIV.

Symmachu' præterea jam tum depostu' bubulcus
Exspirans animam pulmonibus æger agebat.

XVIII. Charisius; lib. I. Sicut et fasces dicuntur *asparagi*, quamvis *asparagos* pluraliter dicamus.

XIX. Diomedes, lib. I : *Expergor, expergitus.*

XX. Nonius : *Cernuus* dicitur proprie inclinatus, quasi quod terram cernat. Festus et Isidorus volunt *cernuum* esse genus calceamenti, decepti hoc versu Lucilii, ex incerto libro satirarum a Festo allatum : « *Et pedibus læva Sicyonia demit honesta.* »

XXI. Nonius : *Bronci* sunt producto ore, et dentibus prominentibus. Glossarium : *Brochus ὁ τὸ ἄνω χεῖλος ὀδοντώδης.* Lege *Bronchus.* — *Æthiopus* pro : Æthiops.

XXII. Donatus, in Phorm. Terent. *Abundare* dicitur, qui successu prospero affluit. Gladiatores ornari solebant pinnis pavonum si quando ad pompam descenderent. — *Pinnæ*, Varro lib. IV de Ling. Lat. quas insigniti milites in galero habere solent, et in gladiatoribus Samnites. — Apud Romanos, gladiatores qui vicerant, ostendebant populo *Pinnam* quam e victi capite evellerant. Ed.

XXIII. Nonius : *Forus* generis masculini : Sed tum de tabulatis navium, et pluraliter, ut ait Charisius lib. I.

XXIV. Nonius : *Deponere* est desperare, unde et *depositi* desperati dicuntur.

XXV.

Crebræ ut scintillæ; in stricturis quod genus olim
Ferventi ferro.

XXVI.

Non peperit, verum postica parte protundit.

XXVII.

Conturbare animam potis est, quicumque adoritur.

XXVIII.

. . . . . Labosas
Tantalu' qui pœnas ob facta nefantia luvit.

XXIX.

Vertitur œnophoris fundus, sententia nobis.

XXX.

Illud ad incita quum redit, atque internecionem.

XXXI.

Exhalat placidos tum demum pectore ructus.

XXXII.

Mallas tollimu' nos atque utimur rictu.

XXXIII.

. . . , ... Caupona hic tamen una
Syra.

XXV. Nonius : *Strieturæ* dicuntur proprie scintillæ, quæ de ferro ferventi exeunt et suo fulgore oculos perstringunt.

XXVI. Nonius : *Posticam* feminino genere consuetudine appellamus. — *Protundit* alii, *profudit*, ut illud Sulpitiæ de Domitiano : « Non trabe, sed tergo prolapsus. »

XXVII. Priscianus : *Adoriri.*

XXVIII. Nonius : *Nefantia*, pro : nefanda. — *Labosas*, pro : laboriosas. — *Tantalus*, adeo poetis decantatus. Vid. supra Fragm. VII.

XXIX. Nonius : *Œnophorum* vas vinum ferens : οἶνος enim vinum est, de quo est illud ; *vertitur œnophoris*, etc. — *Sententia*, sensibilitas.

XXX. Nonius : *Incita* dicitur egestas.

XXXI. Nonius : *Ructus* a ructando dictus. Quem versum restituit Dousa, nam vulgo legebatur : « *Exhalas tum acidos ex pectore ructus.* »

XXXII. Nonius : *Rictum* ferarum dici volunt, quum Lucilius etiam auctor sit hominis dici debere.

XXXIII. Priscianus, lib. VI : *Caupona* feminini generis a *caupo*, ut a leo, leæna.

XXXIV.

Student hi ligna videre.

XXXV.

Et pulvino fultus.

XXXVI.

Ut pote.

EX LIBRO IV SATIRARUM.

Veteres glossæ in Persii satir. lib. III : « Hanc satiram « poeta ex Lucilii libro quarto transtulit, castigantis divi- « tum luxuriam et vitia. »

I.

O lapathe, ut jactare necesse est, cognitu' cui sis?
In quo Læliu' clamores sophos ille solebat
Edere, compellans gumias ex ordine nostros!
O Publi! o gurges Galloni! es homo miser, inquit.
Cœnasti in vita numquam bene, quum omnia in ista
Consumis squilla, atque acipensere cum decumano
Læliu' præclare et recte sophos, illaque vere.

XXXIV. Charisius, lib. I: *Ligna* pluraliter dicit.

XXXV. Servius P. Danielis.

XXXVI. Charisius, lib. II.

I. Hos versus, licet non apposito alicujus libri numero citentur, huc tamen referendos putat Dousa, quoniam diserte in homines ingluviosos ac tantum non abdomini deditos viderentur. Petri autem Crinitii turpem hallucinationem, qui ex lapatho herba nomen viri hic constituerit, satis castigat P. Victorius Variar. lib. XXIII, cap. 13. Nam poeta, converso sermone, herbæ utilitatem commendat; unde paulo post in Cicerone sequitur : « Non igitur lapathi suavitatem aciperensi Gallonii Lælius anteponebat. » — *In quo Læliu' clamores sophos*, etc. Cognomentum sapientis C. Lælio ex re adhæsit; quod cum Tiberii partes adversus optimates tueri cœpisset, discordiam civitatis metuens ab incepto desisterit. — *Compellans gumias*, etc. Sic Scaliger : gumiæ vocabantur antiquitus gulosi; vid. conjectanea ejusdem. — *O Publi! o gurges, Galloni!* Ejusdem et rei et hominis meminit Horatius in Sat. lib. II, Sat. 2, vs. 47 : « Haud ita

II.

Quod sumptum atque epulas victu præponis honesto.

III.

Nam quid mutino subrectoque huic opu' signo?
Ut lurcaretur lardum, et carnaria furtim
Parum conficeret.

IV.

Fingere præterea adferri quod quisque volebat,
Illum sumina ducebant, atque altilium lanx,
Hunc pontes Tiberinu' duo inter captu' catillo.

V.

Illi præciso, atque epulis capiuntur opimis.

VI.

Thynnos captato, cordulum exclude : minores
Occidunt, Lupe, saperdæ te, et jura siluri;
Sumen te, atque amia.

pridem Galloni præconis erat aciperense mensa infamis. » Ubi vetus interpres : « Gallonis præco, inquit, primus aciperensem piscem suæ mensæ apposuit, quare ejus mensa etiam a Lucilio taxatur. » Cf. Cic. de Finibus, lib. II, de eod. Gallonio dicentem.

II. A. Gellius, lib. IV, cap. 16. Lucilius in dativo casu *victu* dicit non victui.

III. Nonius : *Lurcare* est cum aviditate cibum sumere. — *Mutinum*, ut docet Scaliger ad Priapeia, est σφαγίς, vel φυλακτήριον : nam pudenda pro amuletis suspendi e collo pueris, auctor est Varro.

IV. *Hunc pontes Tiberinu' duo*, etc. Sic restituit Dousa pater, quum in omnibus libris perperam legeretur, *Tiberinos*. Catillonem Tiberinum inter duos pontes captum dicit lupum piscem qui Romanis in summis deliciis erat. Horat. lib. II, Sat. II, vs. 31 : « Unde datum sentis, Lupus hic, Tiberinus, an alto Captus licet? » Plinius, lib. IX, cap. 54, Nat. Hist. : « Eadem aquatilium genera aliubi atque aliubi meliora: sicuti lupi pisces in Tiberi amne inter duos pontes. Columella de Re Rust. lib. VIII, cap. 16 : « Hoc igitur perjurium multorum subtiliorem fecit gulam, etc. »

V. Nonius : *Præcisum* et omasum partes cornis et viscerum.

VI. Varro, de Ling. Lat. lib. VI : Piscium nomina sunt, eorumque in Græcia origo. His versibus Lupum hortatur Lucilius ut, relictis minoribus pisciculis illis, ut sunt cordilæ et saperdæ, thynnos, siluros et amias; immanes pisces, consectetur : irridens gulam illius ac rapacitatem.

VII.

. . . . . Vinum
Defusum quibus e pleno fiet œnophoro, cui
Nil dempsit hir, et cui sacculus abstulerit nil.

VIII.

. . . . . Editque bibitque
Jucunde atque ἀδέως; nec solum id, sed bene cocto, et
Condito sermone bono, et, si quæri', libenter.

IX.

Vivite lurcones, comedones, vivite ventres.

X.

Æserninu' fuit, Flaccorum munere, quidam
Samnis, spurcus homo, vita illa dignu' locoque;
Cum Placideiano hic componitur, optumu' longe
Post homines natos gladiator qui fuit unus.

VII. *Hir*, siphon, vel *Ir*, vola manus, et sumitur pro haustu. Verba hæc aliquantum a Cicerone more suo immutata, qui sæpissime ita poetarum versus dissolvere solet, ut eorum structura haud facile dignosci possit; hos ita restituendos putabat Dousa pater:

..... Sit quibu' vinum
Defusum e pleno, hir, siphon cui neque dempsit,
Vim nec sacculus abstulerit, ludos adhibeatis.

— *Cui sacculus*, etc. Emendandum putat Scaliger: « *Vires sacculus abstulerit.* »

VIII. Cic. ad Att. lib. XIII, Ep. 50.

IX. Nonius: *Lurcones* a lurcando. — *Vivite ventres.* Juvenalis, Sat. IV, vs. 107: « Montani quoque venter adest abdomine tardus. » Epimenides apud D. Paulum: « Κρῆτες ἀεὶ ψεῦσται, κακὰ θηρία, γαστέρες ἀργοί. »

X. Nonius: *Spurcum*, sævum vel sanguinarium. — *Cum Placideiano hic componitur*, etc. Eodem allusum a Cicerone lib. III, Epist. IV, ad Q. fratr.: « Non putasset sibi Pompeius de illius salute, sed de sua dignitate mecum esse certamen; in urbem introivisset, ad inimicitias res venisset, cum Æsernino Samnite Placideianus comparatus viderer. » Placideiani gladiatoris etiam Horatius meminit, lib. II, Sat. VII, vs. 96: « Cum Fulvi Rutubæque Aut Placideiani contento poplite miror Prælia, rubrica picta aut carbone. » — *Optumu' longe Post homines natos*, etc. Genus loquendi Tullio oppido quam familiare, ut pro Milone: « Unius post homines natos fortissimi viri. » Idem de Cl. Orat.: « Longe autem post natos homines improbissimus C. Serv. Glaucia. »

XI.

Occidam illum equidem, et vincam, si id quæritis, inquit.
Verum illud credo fore, in os prius accipiam ipse
Quam gladium in stomacho; sura ac pulmonibu' sisto.
Odi hominem; iratus pugno; nec longiu' quidquam
Nobis, quam dextræ gladium dum accommodat alter
Usque adeo studio, atque odio illius efferor ira.

XII.

. . . . . Quamvis bonus ipse
Samnis in ludo, ac rudibus cuivis satis asper.

XIII.

Quod si nulla potest mulier tam corpore duro
Esse, tamen tenero maneat succussa lacerto,
Et manus uberior lactanti in sumine sidat.

XIV.

Tisiphone residet pulmonibus, atque ad id unguen
Excoctum attulit Eumenidum sanctissima Erinnys.

XV.

Assequitur nec opinantem, in caput insilit, ipsum
Commanducatur totum complexa, comestque.

XI. J. Scaliger totum hunc locum ita refingendum nobis indicavit:

. . . . . In os prius occipiam ipse
Quam gladium stomacho, sicam pulmonibu' sisto.

Non dubitandum quin vera ea sit lectio. « Prius, inquit, occipiam sistere gladium in os, quam ipsum sisto in pulmones. » Hoc enim plane gladiatorium, prius os petere quam corpus; quare dicebant: *non te peto, piscem peto;* qui piscis erat sculptus in galea adversarii. Hoc præceptum dedit militibus Cæsar in Pharsalica pugna, ut prius ora hostium peterent, quam reliquum corpus. Sica autem erat gladiatorum. Suetonius apud Isid. lib. XVII, cap. 6. Origin.: « Dum cujusdam gladiatoris in ludum emissi gladius curvatus fuisset ex acie recta: procurrit unus ad eum corrigendum, tumque a pugnante responsum est, *Sica pugnabo*, inde sicæ nomen datum est. »

XII. Cicero, de Oratore, lib. III.

XIII. Nonius: *Sumen*, proprie a sugendo dictum. Nam et mulieris mammam *sumen* Veteres dicebant.

XIV. Nonius: Sebum et *unguentum* habent hanc diversitatem. Sebum fit ex adipe ruminantium.

XV. Nonius: *Commanducatur.* Idem: *Comest* pro: comedit.

XVI.

Hæret verticulis adfixum in posteriore
Parte, atque articulis, ut nobis talu' genusque.

XVII.

Hi præ se portant ingentes munere pisces
Triginta numero.

XVIII.

Tu partem laudis caperes, tu gaudia mecum
Partisses.

XIX.

. . . . . Ne agitarem,
Nam tu pessulus, hunc vectem, possis cuneo ipso.

XX.

Longior hic quam grus, grue tota quum volat olim.

XXI.

Concursaret agros, catulos, fetumque ferarum.

XXII.

Quumque hic tam formosus homo, ac te dignu' puellus.

XXIII.

Sufficit huic : clavis fulmentas quattuor addet.

XVI. Nonius : *Genu* masculini generis. Festus: —*Verticulas* quum dixit Lucilius, articulos intelligi voluit.

XVII. Servius P. Danielis. Sic Varro Manio : « Lecto strato matellam, lucernam, cæteras res hujus modi præ se portant. Plautus dandi casu dixit in Pœnulo : « Trecentos nummos Philippos portat præ sibi. »

XVIII. Nonius : *Partiret*, pro : partiretur.

XIX. Nonius : *Vectis* generis masculini.

XX. Nonius : *Grues*, genere feminino. J. Guilelmius homines longos παροιμιωδῶς *graves* dictos hoc Lucilii et illo Laberii versu ex Fullonicis probare nititur : « Utrum tu hunc gruem balearicum an hominem putas esse? »

XXI. Nonius : *Catuli*, non solum canum diminutive, verum omnium animalium appellantur.

XXII. Festus : *Puelli*, per diminutionem a pueris dicti sunt. Nonius : *Puellos*, pueros. Priscianus, lib. VI, *puellus* et puella.

XXIII. Nonius : *Fulmenta*, feminine ; Varro neutrum. Fulmenta sunt καττύματα. Id est, quatuor clavis fulmentas addet.

XXIV.

Nam omnibus unus. . . . . dolor receptu' labosque.

XXV.

Qui edit se, hic comedit me.

XXVI.

Obtursi ebrius.

EX LIBRO V SATIRARUM.

I.

Quo me habeam pacto, tamen etsi haud quæri' docebo.
Quando in eo numero mansti, quo maxima nunc est
Pars hominum, ut periisse velis, quem nolueris, quum
Visere debueris. Hoc nolueris, et debueris te
Si minu' delectat, quod ἄτεχνον Isocration est
Ὀχληρῶδεςque simul totum ac συμμειρακιῶδες;
Non operam perdo. Si tu hic. . . . .

II.

Nam si, quod satis est homini, id satis esse potisset,
Hoc sat erat: nunc quum hoc non est, qui credimu' porro
Divitias ullas animum mi explere potisse?

III.

Sicuti quum primos ficos propala recenteis
Protulit, et pretio ingenti dat primitu' paucos.

XXIV. Servius P. Danielis.

XXV. Priscianus, lib. X: Vetustissimi, *edo, edis, edit*, dicebant, correpta prima syllaba.

XXVI. Priscianus, lib. IX: *Turgeo.*

I. A. Gellius, lib. XVIII, cap. 8. — *Tamen etsi* pro: tametsi; sic Catullus carm. LXVIII, vs. 135: « Quæ tamen etsi uno non est contenta Catullo. » — *Quod ἄτεχνον Isocration est*, etc. Donatus ad Adelph. Terentii: Argumentorum genera duo sunt ἔντεχνον καὶ ἄτεχνον.

II. Nonius: Multum et *satis* distant; quod multum infinitum est, satis finitum. Hoc est applicandum avaris.

III. Nonius: *Dare*, petere. *Propalas* putat fuisse Turnebus quæ merces palam et velum ante palum, seu de palo pendentes vendiderint.

IV.

Si tam corpu' loco validum, ac regione maneret
Scriptores quam vera manet sententia cordi.

V.

. . . . Dic, quam cogitat, vis ire minutim
Per commissuras rimarum nocti' nigrore?

VI.

Sanute soli mihi in magno mœrore,
Tristitia in summa, creperaque inventu' salutis.

VII.

. . . . . Hic solus vigilavit, opinor,
Et quum id mi visus facere est, tum retia nexit.

VIII.

. . . . . Et Divos thure precemur,
Consilium facsint placeat; tu impune luperis.

IX.

. . . . . Cecidisse senem veterum tamen unum
Tiresiam æqualem constat.

X.

Nec designati rostrum Prætori', pedesque
Spectet.

XI.

Liviu' pauperem ait se ingentia munera fungi.

IV. Nonius : *Sententia*, sensibilitas.

V. Nonius : *Minutim*, pro : minute.

VI. Nonius : *Crepera*, res dubia. — Ex F. Dousa lege :

Sane tu solus magno in mœrore metuque.

VII. Priscianus, lib. I et lib. IX. A *necto*, *nexui*, protulerunt plerique. Dousa pater putat versum secundum restituendum ita :

Et quum id mihi visus est facere tum retia nexit.

VIII. Nonius : *Lupari*, ut scortari, vel prostitui. Alii, *superbis*, male.

IX. Nonius : *Æquales* sunt similes, et ex æquo.

X. Nonius : *Rostrum* hominis dici non debere consuetudo præsumpsit.

XI. Nonius : Accusativus positus pro ablativo. Conjiciebat Dousa pater : *Liviu' pauperie hac se ingentia munera fungi*. Id est in hac pauperie sua quasi dicat nihil

XII.

Lippus edenda acri assiduo cepariu' cepa.

XIII.

Intybu' præterea pedibus perserpsit equinis.

XIV.

Flebile cepe simul, lacrymosæque ordine tallæ.

XV.

Urceus, et gemina longus mistarius ansa.

XVI.

Macte, inquam, virtute simulque his versibus esto.

XVII.

Deficit alma Ceres, nec plebes pane potitur.

XVIII.

Lascivire pecus jussit rostrique repandum.

XIX.

Postquam præsidium castris educere crevi.

XX.

Major erat natu; non omnia possumus omnes.

obesse pauperiem Livio quo minus ingentia munia defungi possit.

XII. Nonius : *Cepe* feminini generis. Priscianus, lib. VI : Quamvis antiquissimi *cepa* in *a* quoque singulari feminino genere recte protulisse inveniuntur.

XIII. Nonius : *Intybus* generis masculini. Charisius, lib. I, *intyba*, neutro genere. Quemadmodum divitum luxuriem et vitia libro priore castigarat Lucilius, ita hoc libro de vita ac victu rusticorum egisse videtur; nam Charisius auctor est eum deridentem cœnam rusticam multis herbis enumeratis hunc versum tandem addidisse.

XIV. *Talla*, allii folliculum, vel cepe. Sic emendavit Scaliger pro quod *talpæ* apud Nonium corrupte legitur; nam interiores tunicas cæparum, unde *tunicatum cæpe* Horatio, *tallas* vocabant.

XV. Nonius : *Mistarium*, quo miscemus.

XVI. Nonius : *Mactare*, magis augere. Hinc Horatius, lib. I, Sat. 2, vs. 32 : « Macte Virtute esto, inquit sententia dia Catonis. »

XVII. Priscianus : *Potior*.

XVIII. Nonius : *Pecus*, non solum quadrupes animal, verum omnia animalia pecudes vocantur. Ibi Lucilius designare vult delphinem.

XIX. Nonius : *Cernere*, rursum disponere.

XX. Macrobius, libro VI, cap. 1, Saturn. ad illud Virgil. Ecl. VIII, vs. 63 :

Dicite, Pierides; non omnia possumus omnes.

XXI.

Custodem classis catapulta instila sarissas.

XXII.

Possitne elabi, an porro prodenda dies sit.

XXIII.

Scutam ligneolam cerebro infixit.

XXIV.

. . . . . Interea stat sentibu' pectus.

XXV.

. . . . . Et cruribu' crura
Dilaxat.

XXVI.

Adipatam pultem.

XXVII.

Fiscina fallaci cumulo.

XXI. Nonius : *Catapulta*, jaculum celer, vel sagitta.

XXII. Nonius : *Prodere*, differre, vel excludere. Ita apud Nonium ex Donato corrigendum, pro quod exstat : *An prodenda dies?*

XXIII. Priscianus, lib. III : Hoc *scutum*, vel hæc *scuta*, id est, forma rotunda *scutula* et *scutella*.

XXIV. Nonius : *Stat* etiam quod plenum est dicitur.

XXV. Porphyrion in Horat., lib. I, Sat. II : Hoc est, quod Lucilius ait in quinto : *Et cruribus crura dilaxat.*

XXVI. Charisius, lib. I : Similiter et opus pistorium, quod adipe conficitur, omni genere dici potest, et hic *adipatus*, quo intelligitur panis, aut aliud aliquid, hæc *adipata*, hoc est, pars, et hoc *adipatum*, opus scilicet. Putat Dousa et hoc ad cœnam rusticam pertinuisse, de qua paulo ante Charisius.

XXVII. Servius P. Danielis.

EX LIBRO VI SATIRARUM.

I.

Cui neque jumentum est, nec servus, nec comes ullus.
Bulgam, et quidquid habet nummorum, secum habet ipse:
Cum bulga cœnat, dormit, lavit: omnis in una
Spes hominis bulga, hac devincta est cætera vita.

II.

Quem neque Lucanis oriundi montibu' tauri
Ducere protelo validis cervicibu' possent.

III.

Hic, inquam, rudet e rostris atque ejulabit
Concursans, uti arenarius, clareque quiritans.

IV.

. . . . . Peccare impune rati sunt
Posse, et nobilitate facul propellere iniquos.

V.

. . . . . Thaunomeno, inquit, valva sororem
Lanificam dici siccam atque abstemiam ubi audit.

VI.

. . . . . Si hic vestimenta elevit luto,
Ab eo risum magnum ad cachinnum imprudens subjicis.

I. Nonius : *Bulga* est folliculus omnis, quam et *crumenam* Veteres appellarunt : et est sacculus ad brachium pendens. — *Secum habet ipse*, etc. Cf. Martial. lib. IX, Epigram. LX, vs. ult. : « Asse duos cales emit, et ipse tulit. »

II. Nonius : *Protelare*, rursus adjuvare. Quum equi continuant actum, dicuntur protelo ducere : *Protelum* est continuatio vel tenor.

III. Nonius : *Quiritare*, est clamare, tractum ab iis, qui Quirites invocant.

IV. Nonius : *Facul*, pro faciliter.

V. Nonius : *Abstemius*, qui vino abstinet.

VI. Nonius : *Elevit*, maculavit. Scaliger hos trochaicos esse monuit ex XXVI non ex VI libro, atque ita constituendos dedit : « *Si hic vestimenta elevit luto*, *Ab eo*

VII.

. . . . . Qui te bonu' Juppiter, inquit
Crasso Mutium quum cœnabat dominum fortem.

VIII.

Verum et mercaturæ omnes, et quæsticuli insti-
Tuti.

IX.

Nequitia occupat os, petulantia, prodigitasque.

X.

Si nosti, non magnus homo est, nasutu', macellus.

XI.

Id solum adversæ fortunæ, reique resistit.

XII.

Hortare illorum si possim capi sortiri.

risum magnum ac cachinnum imprudens subjicit. » Quod imitatus est Horatius in Epist. I, lib. 1, vs. 95 : « Si forte subucula pexæ Trita subest tunicæ. »

VII. Nonius : *Dominus* rursus appellatur convivii exhibitor.

VIII. Nonius : *Mercatura* feminini generis habetur. Hunc versum scribendum ita : « *Quæsticuli Intuti,* » autumat Scaliger et, ut dicat poeta, hoc genus nundinationis est omne σφαλερον. Vulgo legitur : *quæsticuli instituti.* Quod si alicui mordicus retinere placuerit, necesse est ut sciat tmesin Lucilio familiarem fieri, ac hoc pacto dividi verbum, quod lex carminis alioqui admissura non erat. — *Et quæsticuli insti-Tuti :* ut τὸ *Tuti* principium alterius hexametri constituatur.

IX. Nonius : *Prodigitas*, dicta profusio. — *Os* recte in contextu legi probat Virgilianum istud, Æneid. lib. XII, vs. 279 : « Et venienti Ebuso plagamque ferenti Occupat os. »

X. Nonius : *Macellum*, dictum pro macilentum, Lucilius probat.

XI. Nonius : Ablativum pro genitivo. Jos. Mercerus legi posse arbitratur : « *Eid solum adversæ fortunæ reque resistit.* » *Eid* pro : *id; re* pro : *rei. Resistit* vero pro : *restat* accipit, ut hæc sit sententia : « Unum id adversæ fortunæ et rei superesse. »

XII. Nonius : Genitivus pro ablativo. Ingeniose V. C. Scaliger hunc versum ita emendandum proponit : *Hortare illorsum, si possim captus oriri.* Capit *oriri* pro : *surgere;* ut in Commentariis Consularibus : CONSOL ORIENS MACISTROM POPLEI DEICAT. *Oriens*, ibi pro *surgens* sumitur.

XIII.

Tres a Deucalione grabati restibu' tenti.

XIV.

Pluma atque Amphitapæ, et si aliud quid deliciarum.

XV.

Zonatim circa impluvium cinerari' cluebat.

XVI.

Hoc tu apte, credit quanquam latrina petisse.

XVII.

Pretium emit, qui vendit equum musimonem.

XVIII.

Suam enim invadere atque innubere censent.

XIX.

. . . . . Non te porro procedere porcent.

XX.

. . . . . Salvere jubere.

XXI.

Date bibere ab summo.

XIII. Nonius : *Tenta* dictum pro extensa. Glossæ Isidori : institæ, grabati resticulæ.

XIV. Nonius : *Amphitapæ* vestes dicuntur utrimque habentes villos.

XV. Nonius : *Zonatim*, per gyrum. — *Cinerari'*, etc. Legit J. Lipsius *Cinenarios cludebat*, et hoc intelligit de puero, qui jam tondendus in gyrum currens effugere volebat cinerarios, ut plane sit illud Catulli, Carm. LXI, vs. 139. « Nunc tuum cinerarius Tondet os. »

XVI. Nonius : *Latrina*, genere feminino. Et est *lavatrina*, quod nunc balneum dicitur.

XVII. Nonius : *Pretium emit.* Ita legendum putat Dousa pater : « *Prædium emit* » et *emit* pro *emat* positum interpretatur ἀρχαικῶς. *Musimones*, asini, muli, aut equi breves.

XVIII. Nonius : *Innubere* positum pro transire, quod hæ, quæ nubunt, ad domos maritorum transeant.

XIX. Nonius : *Porcere*, prohibere sæpius legimus. Festus : *Porcet* quoque dictum ab Antiquis quasi *porro arcet.*

XX. Nonius : *Jubere* est velle. Nonius post hæc verba Lucilii addit statim : *jubere salutem mittere amico ;* quæ an Lucilii an a Glossa sint dubitat Dousa ; certe, si ea ad Nostrum volumus altero τὸ *jubere* inducto, ut in veteri Codice erat, ita rescribendum fuerit : Salvere jubere, salutem mittere amico.

XXI. Donatus, in Andr. act. III, sc. 11 : Consuetudine magis quam ratione dixit ; pro date ei potionem.

XXII.

Sardinensem terram.

EX LIBRO VII SATIRARUM.

I.

Hanc ubi vult male habere, ulcisci pro scelere ejus,
Testam sumit homo Samiam, sibique illico telo
Præcidit caulem, testesque una amputat ambo.

II.

Dixi, ad principium venio, vetulam atque virosam
Uxorem cædam potius, quam castrem egomet me.

III.

Qui te diligit, ætati facieque tuæ se
Fautorem ostendat, fore amicum polliceatur.

IV.

Aptari caput, atque comas fluitare capronas
Altas, frontibus immissas, ut mos fuit illis.

XXII. Porphyrion in Horat. lib. I, Sat. 5 : Annotandum *Sardum* et *Sardinensem* dici posse.

I. Nonius : *Samium* acutum, unde et *samiare* dicitur acuere, quod in Samo hoc genus artis polleat. Ite Martial. lib. III, Epig. LXXI, vs. 3 : « Abscissa est quare Samia tibi mentula testa. » Quid si autem pro *homo humo* reponamus?

II. Nonius : *Virosæ* mulieres, dicuntur virorum appetentes. Hi versus parvo intervallo a superioribus dissiti videntur fuisse, nam ex diversis libris perperam citantur.

III. A. Gellius, lib. IX, cap. 14 : In casu autem dandi, qui purissime loquuti sunt, non *faciei*, uti nunc dicitur, sed *facie* dixerunt.

IV. Nonius : *Capronæ* dicuntur comæ, quæ ante frontem sunt, quasi a capite pronæ. — *Aptari caput, atque comas.* Videtur innuere formam et venustatem mulieris optimam esse conciliatricem virilis libidinis. — *Fluitare capronas altas.* Ibi *altas* pro *promissas* videtur interpretandum, eadem nempe ratione, qua *alere capillum* dicitur pro : *promittere.*

V.

. . . . . Servorum est festu' dies hic,
Quem plane hexametro versu non dicere possis.

VI.

Rador, subvellor, desquamor, pumicor, ornor,
Expilor, pingor.

VII.

Hunccine ego unquam Hyacintho hominem Cortinipotentis
Deliciis contendi?

VIII.

Quinque hastæ, aureolo cinctu rorariu' velox.

IX.

Primum fulgit, uti caldum ex fornacibu' ferrum.

X.

Simavit taxim ad nares, delphinus ut olim.

V. Porphyrion in Horat. Sat. V, lib. I : Equotutium significat. Sigillaria erant duo dies festorum, concessa servis, quæ celebrabantur post Saturnalia, ut docet Scaliger ad Festum. Lex hexametri non admittit Sigillaria.

VI. Nonius : *Desquamat*, squamis exspoliat. — *Sador*, *subvellor*, sunt voces latinæ quibus usus est Tertullianus adversus Valentinianos : « Alioquin tantum se huic hæresi sadere permissum est, quantum lupæ feminæ formam quotidie supparare solenne est. » — *Expilor*, *pingor*, putat rescribendum Dousa et apposite : *Expolior*, *Pingor*; sic Plaut. in Pœn. de ornatu muliebri agens : « Lavari aut fricari, aut tergeri aut ornari, Poliri, expoliri, pingi, fingi. » Seneca quoque in Controvers. : « Ite nunc et in illis vulsis, atque expolitis, et nusquam nisi in libidine viris quærite oratores. »

VII. Nonius : *Contendere* significat comparare. — *Cortinipotentem* videtur appellare Apollinem cui Hyacinthus in deliciis erat. — Credimus melius esse rescribendum *Gortinipotentis*; hoc cognomen Apollini erat attributum a Gortyna, insulæ Cretæ urbi : hanc prope Apollini templum erat consecratum. Ed.

VIII. Nonius : *Rorarii* appellantur milites, qui antequam congressæ essent acies, primo non multis jaculis inibant prælium : tractum quod ante maximas pluvias cælum rorare incipiat.

IX. Nonius : *Fulgit* pro : fulget. Ita legendum versu postulante, male vulgo : *Et fornace ferrum*.

X. Nonius : *Simat*, deprimit. Lupercus Servatus Junior : « Simatæque jacent curvo sinnamine naves. »

XI.

Hunc molere, illam autem ut frumentum vannere cunnis.

XII.

Ætatem et faciem, ut saga et bona conciliatrix.

XIII.

Phryne nobilis illa ubi amatorem improbius quem.

XIV.

Ne auriculam obsidat caries, ne vermiculique.

XV.

Queis oculi non sunt, neque nasum, equalia sunto.

XVI.

Tristes, difficiles sumu', fastidimu' bonorum.

XVII.

Solam auram adversam segetem immutasse, statumque.

XVIII.

Caldissima, ac bene plena jam solorum, atque anseri' collus.

XIX.

. . . . . Rate ad catulos accedere inultum.

XX.

Muginamur, molimur, subducimur.

XI. Nonius : *Evannetur* dictum est ventiletur, vel moveatur, a *vanno*, in qua legumina ventilantur.

XII. Nonius : Sagæ mulieres dicuntur feminæ ad libidinem virorum indagatrices, unde et *sagaces* canes dicuntur ferarum vel animalium quæsitores.

XIII. Nonius : *Nobilis* dicitur est notus.

XIV. Nonius : *Caries* est vetustas, vel putrilago. Hoc enim morbo maxime infestantur pusilli pueri.

XV. Nonius : *Nasum* genere neutro.

XVI. Nonius : Genitivus casus positus pro accusativo.

XVII. Nonius : *Segetem* etiam ipsam terram dicimus. Pro : *statumque*, melius forsan esset *satumque*.

XVIII. Nonius : *Collus*, masculini generis.

XIX. Nonius : *Catuli*, non solum canum diminutive, verum omnium animalium appellantur.

XX. Nonius : *Muginari*, murmurare. — *Moliri*, retinere, morari ac repigrare. Ridicula vero ad hunc locum Crinitii erat conjectura qui nomen Attæ Atellanarii poetæ versui huic appenderat, hoc exemplo : « *Muginamur, molimur, subducimur Atta.* » Ac hinc probare annitebatur Attam familiarem Lucilio no-

XXI.

Eodem pactolo gannis.

EX LIBRO VIII SATIRARUM.

I.

Gallinaceu' quum victor se gallus honeste
Sustulit in digitos, primoresque erigit ungues.

II.

Cum poclo bibo eodem, amplector, labra labellis
Fingens compono, hoc est, quum ψωλοκοποῦμαι.

III.

Verum flumen uti, atque ipso divortio aquarum
Ilignis pedibus cercurum concinit æquis.

IV.

. . . . . Quod gracila est, pernix, quod pectore puro,
Quod puero similis.

V.

Quarum et abundemus rerum, et quarum indigeamus.

stro fuisse, contra mentem Grammatici, qui Attæ poetæ simile exemplum ex Aquis Caldis producit hoc: « Atque ea muginantur hodie, atque ego occlusero fonte me; » ubi forte *fore* pro *fonte* reponendum. — *Molimur;* Plautus in Curcul.: « Viden' ut misere moliuntur, neque queunt complecti satis? »

XXI. Nonius: Etiam humanam vocem nonnulli *gannitum* vocaverunt.

I. Nonius: Priores et *primores* hanc habent diversitatem: priores enim comparativi sunt gradus; *primores*, summæ quæque res.

II. Nonius: *Fingere* est jungere. Idem: *Componere* est conjungere. Hos delicatissimos Lucilii versus Had. Junius restituit ad hanc faciem:

Cum poclo bibo eodem, amplector labra, labellas
Fictrices compono, hoc est, tum ψωλοκοπούμαι.

III. Nonius: *Cercurus* navis est Asiana prægrandis.

IV. Nonius: *Gracila* pro: gracilis.

V. Nonius: *Genitivus* positus pro ablativo.

VI.

Tum componè latus lateri, et cum pectore pectus.

VII.

Si omne iter evadit, stadiumque acclive tolutim.

VIII.

Sallere murænas, mercem in frigdaria ferre.

IX.

Inde parectato chlamydes, ac barbula prima.

X.

Hiberam insulam fomento omnicolore colustra.

XI.

Pistrinum appositum, posticum, sella, culina.

XII.

A læva lacrymas mutoni absterget amica.

VI. Nonius : *Componere*, conjungere. Hunc versum ita restituit Dousa pater, pro quod legebatur : *Tuum latus compone lateri;* videtur autem non longe disjunctus fuisse ab illis : « *Cum poclo bibo*, etc. »

VII. Nonius : *Tolutim* dicitur quasi volutim et volubiliter. Melius forsan esset pro : *stadiumque* dicere *spatiumque*.

VIII. Priscianus, lib. X : *Sallere*, non a salio, sed *sallo*. — *Frigdaria*, pro frigidaria. Putat Dousa melius esset substituere pro : *fridgaria* has voces *cetaria* vel etiam *vivaria;* nam quid commune inter frigidaria et pisces ? Horatius, lib. II, Sat. V, vs. 44 ; dixit : « Plures adnabunt thynni, et cetaria crescent. » Ad hæc verba vetus Scholiastes : « Cetaria, inquit, officina, in qua liquamen conficitur ; alias loca in quibus salsamenta fiunt cetaria dicuntur. »

IX. Nonius : *Parectati* hi sunt, qui de pueritia veniunt ad pubertatem.

X. Nonius : *Colustra*, lac novum in mammis.

XI. Nonius : *Posticum*, neutro genere. Placet ex parte emendatio J. Guilelmii ; nam ut tota, Nonius clare vetat, qui observat *posticum* neutro genere positum hoc versu, quod neutiquam ex eo elici possit, si ejus sententiam sequamur ; vide num sic melius scribi queat : « *Pistrino appositum posticum, cella, culina.* » *Cella* autem sive cellarium a reponendis celandisque rebus esculentis et poculentis dicitur, ut docet Donatus ad Terentium. Glossarium : « Cellarium et cellaromarium, ταμεῖον, emenda : cellarium, et cella, promarium, vel certe promtuarium. »

XII. Porphyrion, in Horatius lib. I, Sat. 2 : *Muto*, membrum virile.

XIII.

Intu' vero modo stet rectus subtegmine panus.

XIV.

Hic est Macedo, si agron longiu' flaccet.

XV.

Anicula aspera atque præcox est fuga.

XVI.

. . . . . Gigeriæ sunt,
Sive adeo hepatia.

XVII.

Lentet opus.

XVIII.

Vinibuæ.

EX LIBRO IX SATIRARUM.

Isidorus : Orthographiam, id est, scripturam rectam contra imperitiam librariorum Lucilius poeta primum scripsit. Terent. Scaurus : Lucilius in IX satirarum de Orthographia præcipiens. Velius Longus : Lucilius in IX de literis disputat.

XIII. Priscianus, lib. III : *Panus*, a quo panula, vel panicula.

XIV. Nonius : *Flaccet*, languet, deficit. Hunc versum ita jungit cum Fragm. XII, sup. cit. :

Hic est Macedo. Si lorum longiu' flaccet,
Læna manu lacrymas mutoni abstergit amica.

XV. Nonius : *Præcox* et præcoqua, quod est immatura.

XVI. Ita interpunxit et correxit Scaliger ; est autem *gigerium* ventriculus gallinarum, quod verbum apud nos hodie servatur (*le gésier.*) — *Sive adeo hepatia* Dousa pater ita legendum proponit : *Sive adeo issiciæ.*

XVII. Priscianus, lib. VIII : Nam a *lenteo*, *lentesco*, derivatur, quum a dureo, duresco, et a vireo, viresco. Sic lentum negotium, apud Cic. ; et lenta materies, apud Plautum ; quæ caveas ne confundantur : cum *lentus*, id est tardus ; aut *lentus*, quod est flexilis.

XVIII. Nonius : *Buas* potionem positam parvulorum. Lucil. lib. VIII, quum vinolentas diceret, *vinibuas* designavit.

I.

A primum est; hinc incipiam, et quæ nomina ab hoc sunt.
A, primum longa et brevi syllaba : nos tamen unum
Hoc faciemus, et uno eodem, ut diximu', pacto
Scribemus *Pacem*, *Placide*, *Janum*, *Aridum*, *Acetum*,
Ἄρες, Ἄρες Græci ut faciunt.

II.

At non multum abit hoc cacosyntheton, atque canina
Si lingua dico, nihil *ar* me; nomen hoc illi est.

III. . . . . AI. . . . .

IV.

. . . . . Atque *Accurrere* scribas,
D ne, an T, non est quod quæras atque labores.

V.

Abbire multum est D sive, an B habet.

I. Q. Terentius Scaurus, de Orthographia : « Singulares vocales et produci et corripi possunt ; unde etiam Lucilius, IX lib. satir., de orthographia præcipiens, ait : *A primum est*, etc. — *Uno eodem, ut diximu', pacto*, etc. Sic lib. XX, Noster : « *Atque eodem uno tempore et horæ dimidio ;* » Et in libro XXIX : « *Eodem uno hi modo rationes subducent suas ;* » nec ab hac elegantia alienus rex poetarum, Virgilius, in Ecl. VIII, vs. 80 : « Et hæc ut certa liquescit Uno eodemque igni. » — Ἄρες, Ἄρες, *Græci ut faciunt.* Notum illud Martialis Epigr. XII, vs. 14 : « Sed Græci, quibus est nihil negatum, Et quos Ἄρες, Ἄρες decet sonare. »

II. Velius Longus, de Orthographia : « Inventi sunt tamen, qui et sine vocali putent posse syllabam fieri. »

III. Quintilianus, lib. I, cap. 7, § 18 : « *AI* syllabam, cujus secundam nunc *E* literam ponimus, varie per *A* et *I* efferebant, quidam semper ut Græci, quidam singulariter tantum, quum in dativum vel genitivum casum incidissent ; unde, *pictai vestis*, et *aulai*, Virgilius amantissimus vetustatis carminibus inseruit.

IV. Velius Longus, de Orthogr. Videmus autem prope in omnibus verbis quæ a *P* litera incipiant, hanc præpositionem cogi ut, *B* litera omissa, *P* geminent, ut ab eo quod est paret, apparet ; et in eo quod est ponit, opponit ; et in pungit, oppungit : sic in his partibus orationis, quæ incipiunt a *C* litera, non facile potest hæc, præpositione admota, sonare *D* litera, hæc similiter litera geminatur, in eo quod est *capio*, *accipio* : itaque Lucilius : .... *Atque accurrere scribas D ne, an T*, etc.

V. Velius Longus : *Abbire* etiam quidam, geminata *B*, maluerunt

VI.

Jam *puerei* venere : E postremum facito, atque I.
Ut plures puerei fiant. I si faci' solum
PUPILI, PUERI, LUCILLI : hoc uniu' fiet.
Hoc *illi* factum est uni : tenue hoc facies I.
Hæc *illei* fecere : addes E, ut pinguiu' fiat.
Meile hominum, duo *meillia*, item huic utroque opu', *meiles*,
Meilitiam, tenues I, *pilam* qua ludimu' : *pilum*
Quo pinso, tenues I; plura hæc feceri', *peila*
Quæ jacimus, addes E, *peila*, ut pleniu' fiat.
Mendacei fureique addes E, quum dare *furei*
Jusseris.

VII.

Quare servandi numeri, et versus faciendi,

et dicere et scribere, ut intermissa *D;* et in hoc nullam differentiam putat esse Lucilius, qui ait : « *Abbire multum est,* » etc. Ibi dicit poeta multum interesse an *Abbire* duplici *BB*, an vero *Adbire* scribamus. Unde putat V. C. Dousa in verbis Velii, pro : *Et in hoc nullam differentiam putat esse Lucilius*, corrigendum, *non nullam differentiam.* Alioqui diserte repugnant versui Luciliano.

VI. Quintilianus, lib. I, cap. 7. Hæc ita plusculis versibus fœdata constituit Scaliger. Postremum versum addidit ex Fabio J. Lipsius, qui aperte videtur pugnare in priores. Nam ibi *illi* dandi casu vetat cum *E* scribi, hic eumdem casum jubet; sed purgat idem J. Lipsius, quod confusionis non hic metus : quoniam plurales *Mendaces*, *fures.* Itaque lapides ad Lucilium apte : — EIQVE. OPEREI. DIEM. DEICITO. item : QVANTA. EI. PRÆCONEI. VIATOREI. DARE. OPORTEBIT. — *Pilum quod pinso*, *tenues* I, etc. Tangit hos versus Marius Victorinus lib. I, de Ortographia : « De nulla scriptura diutius, inquit, inter ortographos quæsitum est, quam de ista. Pilum aiunt militare telum, et vinea subterquam (ita corrigit et explet J. Lipsius,) milites aggerem instituunt per *EI* scribenda. Atsi pilum sit quo pinsitores utuntur, et vinea, quæ ruri colitur, per *I.* »

VII. Charisius, lib. I : Lucius, Æmilius et cætera nomina, quæ ante *U* habent *I*, duplici *II* genitivos singulares finire debent, ut necesse sit adversus observationem nominativo non minorem fieri genitivum, idque Varro tradens adjecit vocativum singularem quoque talium nominum per duplex *II* scribi debere, sed propter differentiam casuum corripi. Lucilius tamen et per unum *I* in genitivo

Nos CAELI, NUMERI, numerum ut servemu' modumque.
. . . . . Porro hoc si filiu' LUCI.
. . . . . Ferit collum ut CORNELI, COBNIFICIque.

VIII.

S nostrum et semi-Græce quod dicimu' sigma
Nil erroris habet.

IX.

. . . . . L liciendo congeminat L.

X.

Quid tibi ego ambages *ambivi* scribere coner.

XI.

Ut perhibetur *iners*, ars in quo non est ulla.

scribi posse existimat. — *Quare servandi numeri*, etc. Hos optimos versus ex Charisii veteri Codice eruit Dousa pater, qui præpostero ordine hic collocati sunt : præponi enim debebant illis proxime præcedentibus : *Jam Puerei venere*, etc. Nam Charisius ubi eos adduxit, addit continuo : *Et paulo post, Pupilli, pueri, Luci hoc uniu' fieri;* ubi manifesto vestigia istius versus : *Pupilli, Pueri, Luceili, hoc uniu 'fiet;* quod breviter admonere visum fuit. — *Nos Cæli, Numeri*, etc. Hic locus Cæcilio Vindici in mentem fuit, cum scriberet : « Si Lucus, Magnus, Magus sunt nominativi eorum : unum *I* genitivo habebant, plurali quoque nominativo et vocativo, sed et dativo et ablativo similiter scribentur : si autem Lucius, Magnius, Magius proferantur, duo *II* in genitivo habebunt : ut Lucii Magnii, Manii : quod ipsum Lucilius annotavit, quum a numero numerius discerneret.

VIII. Velius Longus : Sed scilicet si hoc sectentur, possent etiam plærasque consonantes, et omnes semivocales pro syllabis ponere; nam apud Lucilium in IX (in quo de literis disputat) omnes vicem syllabarum implent, cum dicit : *S nostrum et semi-Græce*, etc.

IX. Velius Longus : *Per*, præpositio omnibus integra præponitur, nisi quum incidit in *L* literam, ad finem consonantem, quam elegantis sermonis viri geminare magis voluerunt, quam *R* literam exprimere, ut *compellabor* malim dicere quam *comperlabor*, nec aliter apud Lucilium legitur in præpositione *per : L liciendo* (quod est inducendo) *congeminat L. Pellicere* malunt quam *perlicere*. Ita de Sententia Fr. Junii hæc rescribenda, vulgo depravata, ac male quædam vario characterum genere distincta, quum verba Lucilii non sint.

X. Varro de Ling. Lat. lib. VI. Profectum a verbo *ambio*, quod est in *ambitu* et *ambitioso*. hunc versum hac pertinuisse putat Dousa, est enim in grammaticos.

XI. Servius, in IV Georg. Virg. *Iners* ponitur et pro eo qui sine

XII.

Nam velut *intro* aliud longe esse atque *intu'* videmus :
Sic et *apud te*, longe alid est, neque idem valet *ad te* :
Intro nos vocat ad sese, tenet intus apud se.

XIII.

Porro *Chenopodas*, sic *Clinopodas lychnos*que
Diximu' σεμνῶς ante *pedes lecti* atque *lucernas.*

XIV.

Fervit aqua, *et fervet, fervit nunc, fervet ad annum.*

XV.

Fervere ne longum vero hoc lectoribu' tradam.

XVI.

Nunc hæc quid valeat, quidve huic intersiet illud
Cognosces : primum hoc quod dicimus esse poema,
Cujusvis operis pars est non magna, poema,

arte sit. Junius Philargyr. ibidem. Huc pertinet locus Ciceronis, lib. II de Finibus : « Sed lustremus animo non has maximas artes, quibus qui carebant, *inertes* a majoribus nominabantur. » — *Ars in quo non est ulla.* Ita legendum versu spondaico, male mutant alii : *Ars in quo non est ulla :* in hujus significatu vocis festus consentit cum Lucilio *iners*, *ignavus*, *vel sine arte.* Et liber Gloss. Ατεχνὴς, *iners*, sine arte ; item Ατεχνία, inertia.

XII. Charisius, lib. I : *Intro* est in locum, *intus* in loco dicimus : ut etiam apud Græcos ἴσω, εἴσω, καὶ ἔνδον ; ideoque Lucilius ait : *Nam velut intro aliud*, etc.

XIII. Macrobius, Saturn. lib. VI, cap. IV : « Inseruit operi suo Virgilius et græca verba : sed non primus hoc ausus : auctorum enim veterum audaciam sequutus, Æneid. lib. I, vs. 726 : « Dependent lychni laquearibus aureis. » — *Ante pedes lecti*, etc. Lectionem Dousæ patris sequimur : *ἀντὶ pedes lecti. Pedes lecti* per metathesim dixit, quos lectipedes voce unica dicebant. Gloss. : *lectipedes*, κλινόποδες.

XIV. Quintilianus, lib. cap. X. Glossarium : *ad annum*, εἰς ἄραν.

XV. Nonius : ab eo quod est *fervit*, breviato accentu, *fervere* facit. — *Lectoribu' tradam.* Ita rescribendum ex sententia Dousæ patris, pro quod vulgatur in omnibus : *littoribu' tradam*, unde Had. Junius *lictoribus* faciebat. Sed nihil ad rem ; dicit enim poeta se *vocem fervere* contra receptam consuetudinem non producturum, sed vero correptam lectoribus traditurum.

XVI. Nonius : *Poesis* et *poema* hanc habent distantiam. *Poesis* est textus scriptorum ; *poema*, inventio parva, quæ paucis verbis expeditur. Hos versus sic constituen-

Pars est parva poema, proinde ut epistola quævis:
Illa poesis opus totum, ut tota Ilias, una
Est ϑίσις, Annalesque Enni, atque istoc opus unum,
Est majus multo, quam quod dixi ante poema.
Quapropter dico: Nemo qui culpat Homerum
Perpetuo culpat, neque, quod dixi ante poesin
Versum unum culpat, verum enthymema malignum.

XVII.

Quod deformi' senex, ac pædidus, ac podagrosus;
Quod mancus, miser, exilis, ramice magno.

XVIII.

Arripio rostrum, labiasque hujus Zephyri, atque im
Percutio, denteisque adversos excutio omnes.

XIX.

Nam laterem qui ducit, habet nihil amplius unquam,
Quam commune lutum e paleis, cœnumque aceratum.

dos autumat Dousa pater; qui quantum ab excusis libris mutent, ex collatione poterit cognosci, ita enim scriptum est in illis:

Non hæc quid valeat, quidve hoc intersiet illud
Cognoscis primum, hoc quod dicimus esse poema,
Pars est parva poema, etc.

Iliadis autem Homericæ nomen in hisce corruptissimis versibus desiderari argumento est glossema illud Nonianum, quod iisdem blennus ille subjecit: « Poesis est perpetuum argumentum et rhythmis (corrigente Dousa patre, *ex rhytmis*) ut Ilias Homeri et Annales Ennii. »

XVII. *Ramices* dicuntur pulmones, vel herniæ. — *Quod manus*, etc. Dousa ita constituendum versum putat: *Quod mancus, macer, exilis cum ramice magno.* Sic Glossarium: λεπτὸς, *exilis*, *gracilis*, *macer*, tenuis. — *Exilis*, *ramice magno.* Ex disciplina medicorum, qui dicunt homines macilentos ac tenues herniæ periculo magis obnoxios.

XVIII. Nonius: *Rostrum* hominis dici. — *Im*, id est, eum. Sic vetus Codex: *Labe, atque hoc referiat im.* Jacobus quidam Scbegkius (nobis omnino ignotus, sed referente Dousa, juvenis politissimi ingenii. Ed.) legebat: *Labiasque hasce feriatim percutio*: aut legendum est cum amico quodam ejusdem: *Labiasque hujusce viri, atque imperçutio. Im* est *eum.*

XIX. Nonius: *Acerosum* et *aceratum* utrumque nove positum, sed distante proprietate signatum. *Acerosum* namque panem farre mi-

XX.

Si nihil ad faciem, et solum lupa, prostibulumque
Nummi opus atque assis.

XXI.

. . . . . Quid ego, si cerno ostrea,
Cognorim fluvium, limum ac cœnum sapere ipsum?

XXII.

Frumentarius est, modium hic secum atque rutellum
Una affert.

XXIII.

. . . . . Labora
Discere, ne te res ipsa, ac ratio ipsa refellat.

XXIV.

Rugosi passique senes eadem omnia quærunt.

nus purgato, nec sordibus a candido separato dicendum Veteres putaverunt. *Aceratum* vero est lutum paleis mistum, ut laterarii usus est. Prius scriptum erat *acerosum* pro *aceratum*; hunc versum ita scribendum dedit laboriosus et doctissimus Dousa.

XX. Nonius : Genitiv. positus pro ablat. — *Si nihil ad faciem, et solum lupa*, etc. *Ad hanc faciem* rescribendum monet Cl. Lipsius, tali mente : si non queritur, inquit Lucilius, eximia facie scortum, sed tantum vile aliquod et e numero togatarum; nummo uno et asse res confiet. Vulgo autem legitur : *etsi olim lupa*.

XXI. Nonius : *Ostrea*, generis neutri. Juvenal. Sat. VIII, vs. 85 :

Dignus morte perit, cœnet licet ostrea centum.

Pro : *Quid ego, si cerno ostrea*, reponendum esse putat Dousa : *Quid ego simul ostrea cœno?* — *Cognorim fluvium, limum*, etc. Dousa pater autumat scribendum *non norim fluvium*. — Probe in eamdem sententiam. Vide Juvenal. sat. IV, vs. 139 :

..... Nulli major fuit usus edendi
Tempestate mea. Circeis nata forent, an
Lucrinum ad saxum, Rutupinove edita fundo
Ostrea, callebat primo deprendere morsu;
Et semel adspecti litus dicebat echini.

XXII. Nonius : *Rutrum*, dictum a radendo. — *Frumentarius est*, etc. Mensores frumentarii apud jurisconsultos sunt ii qui annonam publicam admetiuntur. — *Rutellum* Nonius a *radendo*; Turnebus vero a *ruendo* habere nomen existimant. Rutellum sumitur quasi instrumentum ad æquandam mensuram et radendam; significare quoque possit instrumentum quo fruges corruuntur congerunturque in culleum aut modium.

XXIII. Nonius : *Discere* est ignotam rem meditando assequi.

XXIV. Nonius : *Passum*, est proprie rugosum vel siccum.

XXV.

Tu milli nummum potes uno quærere centum.

XXVI.

Scaberat ut porcus contritis arbore costis.

XXVII.

Hinc ancilia, ab hoc apices, capidasque repertas.

XXVIII.

Præsul ut amptruat, inde et volgu' redamptruat olli.

XXV. A. Gellius, lib. I, cap. 16: *Ullo milli nummum*, pro : unis mille nummis : aperteque ostendit *mille* et vocabulum esse, et singulari numero dici, ejusque plurativum esse *millia*, et casum etiam capere ablativum ; neque cæteros casus requiri oportere, quum sint alia pleraque vocabula, quæ in singulos tantum casus, quædam etiam, quæ in nullum declinentur.

XXVI. Priscian. lib. X, *scabo, scabi.*

XXVII. Priscianus, lib. VI : *Capis, capidis*, unde diminutivum *capidula*, vasis genus pontificale. — More Græco, in *as* protulit accusativum pluralem. — *Hinc ancilia*, etc. De Numæ regis institutis poetam loqui jampridem notarunt Viri Docti, eodem pertinere arbitantes versus illos Ennii :

Mensas constituit, idemque ancilia primus,
Libaque, fictores Argeos et Tutulatos.

XXVIII. Festus : *Redamptruare* dicitur in Saliorum exsultationibus, quum *præsul amptruavit*, quod est, motus edidit, et referuntur invicem iidem motus. Scaliger in Conjectaneis hunc versum ita constituit : « *Præsul ut amburuat, sic volgu' redandruat inde.* » Et amburnare ait dici Salios, qui corpora saltu reciprocabant, a simplici *uruare*, quod si ita se jactare ut sursum denuo excitet se. Cæterum huic conjecturæ suæ alteram præfert, quam in Festo posuit, quomodo et nos excudi curavimus ; ubi se veterem scripturam sequutum monet : *amptruare* pro : *antruare*, ut *temptare* pro : *tentare*, *sumptus* pro : *sumtus*, et similia. Præterea a *trua* dictum *amtruare*, hoc est, *circumvolvere.* Vulgo Lucilii verba corruptissima leguntur apud Festum. « *Præsul ut ampiruet inde vulgus redamplavit.* » At apud Nonium tantum posterius hemistichium, sed aliquanto emendatius ita exstat. « *Ut vulgu' redandruet inde. Præsulem* vero interpretatur Dousa pater quasi *præsultorem*, a *præsidio*, idque ex Nonio : putatque ad Ludios Præsules referendum, de quibus ita Nonius : « Ludius quod ludis pueri Præsules essent glabri ac depiles propter ætatem quos antiqui Lydios appellabant. » Paulus Merula animadvertit hunc versum cum proxime præcedenti haud incommode combinari posse, ac proinde ita constituendum : « *Præsul ut amptruet hinc et vulgu' redamptruet inde.* »

XXIX.

. . . . . Ipsa si se corio omnia lora.

XXX.

Ut discrepat hac quem rapuit Apollo fiat ergo.

EX LIBRO X SATIRARUM.

Veteres glossæ in vita A. Persii : Sed mox ut a schola et magistris diverterat, lecto libro Lucilii decimo, vehementer satiras componere studuit, cujus libri principium imitatus est, sibi primo, mox omnibus detractatis, cum tanta recentium poetarum et oratorum insectatione, ut etiam Neronem culpaverit.

I.

. . . . . Honorum est
Judicium Crassis, ut nos describimus ante.
Hoc est, quid sumam, quid non, in quoque locemus.

II.

Pone : paludatus stabat rorariu' velox.

III.

Quamvis desubito trinis deducere scalis.

XXIX. Charisius, lib. I : *Lora*, correpta prima syllaba, et feminino genere dicenda est; producta autem neutraliter e corio vincula, ut et Lucilius in IX..... *Ipsa si se*, etc.

XXX. Porphyrion, lib. I, Sat. 9. Ita in Homero τὸν δ' ἐξήρπαξεν Ἀπόλλων : Lucilius hoc dicens : *Ut discrepat*, etc. Significat sic liberatum se ac recreatum dum illum molestum adversarius suus rapit, Apollinem imitatus.

I. Nonius : *Sumere*, eligere.

II. Nonius : *Rorarii* appellantur milites, qui antequam congressæ essent acies, primo non multis jaculis inibant prælium : tractum quod ante maximas pugnas cælum rorare incipiat.

III. Nonius : *Desubito*, pro : subito.

IV.

Tonsillas quoque prævalidis in funibus aptas.

V.

Fluctibus a ventisque adversis firmiter essent.

VI.

Languor et oppressit, pigror, torporque quietis.

VII.

Næ in arce bovem discerpsi magnifice, inquit.

VIII.

Improbu', confidens, malus et nequam videatur.

EX LIBRO XI SATIRARUM.

I.

Quintus Opimius ille Jugurthini pater hujus,
Et formosus homo fuit, et famosus, utrumque
Primo adolescens, posterius directiu' sese.

IV. Nonius : *Aptum*, connexum et colligatum significat. Ita legendum cum libro vetere, non cum vulgo, *validis in funibus*, labante versu.

V. Nonius : *Firmiter*, pro : firme.

VI. Nonius : *Pigror*, generis masculini. Merula ita totum versum constituendum dabat : « *Languor eum oppressit, pigror torporque quietem ;* censetque τὸ *quies* Lucilianum rarenter alibi obvium pro *quieto* et *tranquillo* accipiendum : cui sit contrarium *inquies.*

VII. Donat. in Andr. act. II, sc. 1. — *Næ*, valde, aut, ut quidam volunt, o quam !

VIII. Nonius : *Confidentia*, rursum temeritas, audacia.

I. Nonius : *Famosum*, infamem. Unice huc facit locus Ciceronis libro II, de Oratore : « Est bellum illud quoque ex quo is qui dixit irridetur in eo ipso genere quod dixit : ut quum Q. Opimius Consularis, qui adolescentulus male audisset, festivo homini Egilio, qui videretur mollior, nec esset, dixisset : Quid tu Egilia mea ? Quando ad me venis cum tua colu et lana ? Non pol, inquit, audeo : nam me ad famosas vetuit mater accedere. » Ubi Opimium hunc Consularem vocari vides, vere atque ex sententia historicorum, nam T. Livius in Epitome eum Consulem de Liguribus triumphasse testatur.

II.

Cassiu' Caius hic operariu', quem Cephalonem
Dicimu' sectorem, Furiumque, hunc Tulliu' quidam
Judex hæredem facit, et damnati alii omnes.

III.

Luciu' Cotta senex Crassi pater huju' Panæti
Magnus trico fuit nummariu', solvere nulli
Lentus.

IV.

Prætor noster adhuc quam spurcu' st ore, quod omnes
Extra castra, ut stercu', foras ejecit ad unum.

V.

Scipiadæ magno improbus objiciebat Asellus,
Lustrum, illo censore, malum infelixque fuisse.

II. Nonius : *Damnare*, est exhæredare.

III. Nonius : *Tricones*, morosi et ad reddendum duri. — *Lentum*, facile. — *Lentus solvere nulli*, etc. Autumat et ingeniose Cl. V. Williomarus hoc esse ἀρχαικῶς dictum, nam locus profert duas negationes pro una. — *Lucius Cotta*, etc. Ejusdem meminit Cicero in Bruto : « Q. Metellus is cujus quatuor filii consulares fuerunt, inprimis habitus est eloquens, qui pro L. Cotta dixit, accusante Africano ; cujus et aliæ sunt orationes et contra T. Gracchum exposita est in C. Fannii Annalibus. Tum ipse L. Cotta veterator habitus. » — *Pater huju' Panæti*, etc. Had Junius legit græca voce παναθθου, hoc est *splendidi* ut hoc opponat epitheton in filio, vitio quo pater laborabat in reddendo difficilis. — *Solvere nulli lentus.* Lentum solvere, pro eo qui facile solveret, bonumque nomen esset, positum accepit Muretus Variar. lect. lib. III, cap. 18; et ante eam Turnebus Advers. lib. XVII, cap. ult. credentes quod, quæ lenta sunt, ut vimina etiam, ad opus facilitatem habeant, facileque sequantur quo velis.

IV. Nonius : *Spurcum*, etiam fœtidum.

V. A. Gellius, lib. IV, cap. 17 : — *Objiciebat*, *O* litera producta multos legere audio ; idque eo facere dicunt, ut ratio numeri salva sit. — *Scipiadæ magno improbus objiciebat Asellus*, etc. De eadem re in secundo lib. de Oratore : « Asello, Africanus objicienti lustrum illud infelix : Noli inquit, mirari ; is enim qui te ex ærariis exemit, lustrum condidit, et taurum immolavit. » Quod responsum Scipionis a Lucilio postea quoque perscriptum fuisse arbitrari possumus. Ejusdem vero Scipionis alterum dictum in eumdem Asellum paulo prius sic

VI.

. . . . . Et jam
Conjicere in versus dictum præconi' volebam
Grani.

VII.

Conventus pulcher, bracæ, saga, fulgere torques
Magni.

VIII.

. . . . . Viamque
Sternendam et jaciendum huc aggerem, et id genu' rudus.

IX.

Annos hic errat jam plures miles, hyberna
Nobiscum meret.

commemoraverat Cicero his verbis : « In hoc genus conjiciuntur proverbia : ut illud Scipionis, quum Asellus omnes provincias stipendia merentem se peragrasse gloriaretur, agas Asellum, etc. »

VI. A. Gellius, lib. IV, cap. 17 : In hoc prima verbi præpositio producitur. Certe celebrata Veteribus passim præconum dicacitas et præcipue hujus Granii Luciliani, cujus nonulla acute aut facete dicta hic collocamus. Cicero pro Cn. Plancio, c. XIV : « Consuli P. Nasicæ præco Granius medio in foro, quum ille, edicto justitio domum descendens rogasset Granium, quid tristis esset : an quod auctiones essent? Immo vero, inquit, quod legiones. Idem tribuno plebis, potentissimo homini M. Druso, sed multa in rempublicam molienti, quum ille eum salutasset, ut fit, dixissetque : Quid agis Grani? respondit : Immo vero tu, Druse, quid agis? Ille L. Crassi, ille M. Antonii voluntatem asperioribus facetiis sæpe perstrinxit impune. » Idem Cicero de Oratore lib. II, c. LX : « Qui igitur distinguemus a Crasso, a Catulo, a cæteris familiarem vestrum Granium, aut Vargulam, amicum meum? Non mehercule in mentem mihi quidem venit : sunt enim dicaces ; Granio quidem nemo dicacior. » Idem ad Famil. lib. IX, Epist. XV, ad Papirium Pætum : « Itaque te quum video, omnes mihi Granios, omnes Lucilios, vere ut dicam, Crassos quoque et Lælios videre videor. Moriar, si, præter te, quemquam reliquum habeo, in quo possim imaginem antiquæ et vernaculæ festivitatis agnoscere. »

VIII. Nonius : *Rudus*, stercus quod raditur. — *Aggerem*, *et id genu' rudus*. Glossarium : Σωρὸς γῆς, *Rudus*, *agger*. Item : Χῶμα, agger, rudus, tumulus.

IX. Nonius : *Meret*, militat. Palmerius, probabilius : « *Annos hic terra jam plures miles Hybera.* »

X.

Inde venit Romam tener ipse etiam atque puellus.

XI.

Nec mihi amatore hoc opu', nec tricone vadato.

XII.

Non laudare hominem quemquam; neque mu facere unquam.

XIII.

Hic strigosu', bovinatorque, ore improbu' duro.

XIV.

Crissavit, ut si frumentum clunibu' vannat.

X. Priscianus, lib. VI: Non est tamen ignorandum, quod etiam hic *puerus*, hic et hæc *puer*, vetustissimi protulisse inveniantur, et *puellus* et *puella*.

XI. Nonius: *Tricæ* sunt impedimenta et implicationes, et *intricare*, impedire, morari: dictæ quasi tericæ; quod pullos gallinaceos involvant et impediant capilli pedibus implicati.

XII. Charisius, lib. II: *Mu facere*, pro: mutire. Respexit ad illum versum Ennii: « Dicit quod minimum est, neque, ut aiunt, *mu facere* audent. »

XIII. A. Gellius, lib. XI, c. 7: Tergiversatorem *bovinatorem* dicit. Nonius: *Bovinatores*, quos nunc malitiosos et tergiversatores dicimus. Scaliger rescribendum censet *hic-ce strigosus* pro: *hic strigosus*, autumatque strigosum dictum a Lucilio non ἰχνὸν, ut vulgo accipimus, sed morabundum et tergiversatorem. Postea jumenta macilenta ita fuerunt appellata; quasi conantur strigare præ macie et mala cura. — *Bovinatorque* Hanc vocem sumitur apud A. Gellium, nimirum a bubus, qui in medio actu strigare solent, neque uno protelo continuare. Gloss. *Bovinatores*, θορυβοποιοὶ, θρύλλον ποιοῦντες ἢ ταραχήν. Glos. Isid. *Bovinatores*, inconstantes. Festus: *Bovinatur*, *conviciatur*, cui assentit vetus Vocabularius: *Bovinator*, *conviciator*, *inconstans*.

XIV. Non. *Evannetur* dictum est ventiletur, vel moveatur, a vanno, in qua legumina ventilantur. Huc respexit Donat. in Eun. Terent. illis verbis: « Abdomen in corpore feminarum patiens injuriæ coitus, scortum dicitur: ideo quia scorta sunt dura coria: a parte ergo sui meretrices scorta dicuntur, vel ἀπὸ τοῦ σκαίρειν, quod Græce palpitare intelligitur: quod illæ faciunt saltando assidue, vel potius crissando, ut Lucilius ait, ob eam causam ut concinniorem Venerem exhibeant viris, aut sibi abigant conceptum, quod in vulvam feminæ in ipso coitu non se moventis incidit. » Scorti etymon ita allusit Apul. l. I, Met. « Qui voluptatem Venereum, et scortum scorteum, Lari, et liberis prætulisti. »

XV.

Hic ubi consessum, pellesque ut in ordine tentæ.

XVI.

Qui in latrina lacuque.

EX LIBRO XII SATIRARUM.

I.

Huic homini Quæstore aliquo esse opus atque chorago,
Publicitus qui mi atque Episeo præbeat aurum.

II.

Hunc juga mulorum protelo ducere centum
Non possunt.

III.

Firmiter hoc, pariterque tuo sit pectore fixum.

IV.

Insignis varis est cruribus atque petilis.

V.

Quibus fructibus me decollavi.

VI.

Assensus sum homini.

XV. Nonius : *Tenta*, pro : extensa. Forsitan, *hic ubi* pro : *hinc ubi*.

XVI. Nonius : *Latrina* genere feminino, et est *lavatrina*, quod nunc balneum dicitur. Lavatrinam sive contracte latrinam balneum Veteres vocabant. Gloss. *latrina*, λουτρῶν. Varro de Lingua Latina in lib. VIII : « Eadem ratione domi suæ quisque ubi lavatur, balneum dixerit : et quod non erant, duo balnea dicere non consueverunt, quum hoc antiqui non balneum, sed lavatrinam appellare consuevissent. »

I. Non. *Publicitus*, pro : publice.

II. Nonius : *Protelare* rursus adjuvare.

III. Nonius : *Firmiter*, pro : firme.

IV. Nonius : *Petilum* tenue et exile. Glossæ Isidori : *Petiliter, demisse, divise.*

V. Diomedes, lib. I : *Decŏllo, decollavi* : hoc verbum apud Veteres decipio significat.

VI. Priscianus, lib. VIII : *Sentio* neutrum : ex eo *assentio* et *assentior*, et *dissentio* et *dissentior*, in una eademque inveniuntur significatione.

VII.

Diomedes, lib. III : Alii a vino tragœdiam dictam arbitrantur ; propterea quod olim dictabatur τρύξ, a quo τρύγητος hodieque vindemia est, *quia*, *Liberalibus apud Atticos, die festo Liberi patris, vinum cantoribus pro corollario dabatur*, cujus rei testis est Lucilius in duodecimo.

EX LIBRO XIII SATIRARUM.

I.

Si forte omnino, ac Fortuna vincere bello :
Si forte ac temere omnino ; quid cursum ad honorem ?

II.

Cui parilem Fortuna locum, fatumque tulit fors.

III.

His itidem in cœna dabis ostrea millibu' nummum
Empta.

IV.

Acribus inter sese armis confligere cernit.

V.

Primum dominia atque sodalitia omnia tolluntur.

VI.

Adde Syracusis sola, pasceolum, alutam.

I. Nonius : *Fors et fortuna* hoc distant. *Fors* est casus temporalis ; *Fortuna*, Dea. Forte melius esset scribendum *vinceri' bello*, pro : *vincere bello*.

II. Nonius, *ibidem*.

III. Non. *Ostrea*, generis neutri.

IV. Nonius : *cernere* rursum, disponere.

V. Nonius : *Dominus* appellatur convivii exhibitor, unde et *dominia* convivia. Dominia eadem ratione qua magisteria dicta Ciceroni in Catone Majore, c 14 : « Me vero et magisteria delectant a majoribus instituta : et is sermo qui more majorum a summo adhibetur in poculis. »

VI. Nonius : *Pasceolus*, ex aluta sacculus. — *Adde Syracusis sola*, pro : *soleas Syracusanas*, ut *ficus Zacyntho* apud Plautum.

VII.

. . . . Unu' modo, de multis qui ingenio sit.

EX LIBRO XIV SATIRARUM.

I.

Idne ægri est magis, an quod pane et viscere privo,
Quod viscus dederas tumidum, hos in viscera largi.

II.

Quin potius vitam degas sedatu' quietam,
Quam tu antiquiu', quam facere hoc, fecisse videris.

III.

Publiu', parvu' mihi Tuditanus Quæstor Ibera
In terra fuit lucifugus nebulo, id genu' sane.

IV.

Naumachiam licet hæc, inquam, alveolumque putare, et
Calces : delectes te, hilo non rectiu' vivas.

V.

Nam paucis malle ac sapientibus esse probatum,
Ἢ πᾶσιν νεκύεσσι καταφθιμένοισιν ἀνάσσειν.

VII. Nonius : Veterum memorabilis scientia *paucorum* numerum pro bonis ponebat ; *multos* contra malos appellabat.

I. Nonius : *Viscus*, positum pro : viscere. Idem : *Largi*, pro : largire.

II. Nonius : *Antiquus* et *antiquior*, ut gradu, ita et intellectu distant. Nam *antiquus* significat vetus : *antiquior* autem melior. Putat Dousa legendum esse : « *Quanto antiquius* pro : *quam tu antiquiu'*. »

III. Nonius : *Nebulones*, et tenebriones dicti sunt, quia mendaciis et astutiis suis nebulam quamdam et tenebras objiciant : aut quibus ad fugam fugitivis et furta, hæc erant accommodata et utilia.

IV. Priscianus, lib. VI : *Hilum*, pro ullum vetustissimi proferebant. — *Cālces* pro : calculis, ita enim vocabatur calculorum ludus. Festus : « Cancri dicebantur ab antiquis qui nunc per diminutionem cancelli, ex quo genere sunt calces, qui per diminutionem appellantur calculi. » Glossæ Isidori. « Tocius calculus dictus est composito solo pilis, quod sibi componunt. Calx est enim lapis ; calculus diminuitur. »

V. Nonius : vid. supr. lib. XIII, fragm. VII. Vulgo antea male legebatur *καὶ πᾶσιν*. Hic versus est Homericus.

VI.

Si mihi non Prætor siet additus, atque agitet me,
Non male sic ille, ut dico, me extenderat unus.

VII.

Nam vetus ille Cato dignum quemcumque lacessim
Appellare, quod ipse sibi non conscius esset.

VIII.

Ad regem legatu' Rhodum, Ecbatanam, ac Babylonem
Ibo, cercurum sumam.

IX.

. . . . . Nam sumptibu' magnis,
Et structam ampliter, atque cum accumbimu' mensam.

X.

Idem epulo cibus, atque epulæ Jovis omnipotentis.

VI. Macrobius, lib. VI, cap. 4, Saturnal. *Additus*, id est, inimicus et infestus; ita apud Virgil. Æn. l. VI, vs. 90 : « Nec Teucris addita Juno Usquam aberit. » *Addita* ibi pro *affixa* et propter hoc *infesta* sumitur.

VII. Priscianus, lib. X : *Lacesso, lacessivi* : sic Probus, et videtur mihi melius dicere *lacessivi*, quam lacessi. Participium enim passivum *lacessitus*. Caper tamen *lacessi* dicit esse, ut *facessi*, et profert exemplum Lucilii, quo usus est in XIV : « *Nam vetus ille Cato lacessisse appellari, quod conscius ipse non erat sibi.* » Per veterem Catonem intelligit Lucilius M. Porcium Catonem, cui cognomen Prisci adhæsit, priusquam Cato vocaretur; auctor Plutarchus in vita ejusdem.

VIII. Nonius : *Cercurus*, navis est Asiana prægrandis, et cui forma producta et extensa erat.

IX. Nonius : *Ampliter* : Priscianus, lib. 15 : *Ampliter*, pro : ample. Hunc locum ita mutabat Dousa pater : « *Ampliter exstructam convivæ accumbimu' mensam.* » Ut dicamus initialem literam vocis *cum* a cucullione quopiam more ipsis usitato trium literarum loco puta *con* brevitatis causa scriptam fuisse hac facie : simili genere loquendi usus est Plautus Menæch. I, 1, 25 : « Cerealis cœnas dat, ita mensas exstruit : Tantas struices concinnat patinarias. » Et Catullus, c. LXIV, v. 305 : « Large multiplici constructæ sunt dape mensæ » : et Apuleius Metamorphos. IV. « In fine sermonis hujus, statim sese devestiunt.... calidaque perfusi, et oleo peruncti mensas dapibus largiter instructas accumbunt. »

X. Nonius : *Epulum* generis neutri est. Feminini Lucilius Satir. lib. XIV : « *Idem epulo cibus, atque epulæ Jovis omnipotentis.* » Qui versus utrumque designat. — *Atque epulæ Jovis*, etc. id est, convivium tam lautum fuisse, quam epulum Jovis, quod quotannis

XI.

Et non pauper uti Samio, curtoque catino.

XII.

Cœnam, inquit, nullam, neque Divo prosiciem ullam.

XIII.

Quum illud quid faciat, quod manducamur in ore.

XIV.

Dilectum video studiose vulgus habere.

XV.

Ipse equu' non formosu', gradarius, optimu' vector.

XVI.

Quem metuas sæpe, interdum quem utare libenter.

XVII.

Puncto una hora. . . . . et qui quoque invasit.

XVIII.

Caseus allia molliet.

apud Romanos, ludorum causa, celebrabatur. Cf. Liv. Ed.

XI. Non. *Samium*, est testeum.

XII. Nonius : *Prosecta* exta, quæ aris dantur ex fibris pecudum dissecta, generis feminini.

XIII. Nonius : *Manducatur*, pro : manducat.

XIV. Nonius : *Vulgus* neutro genere solum dici putat Lucilius.

XV. Nonius : *Gradarius* est molli gradu, et sine succussatura nitens. Videbatur doctissimo viro P. Colvio, Lucilius, libro XIV seu XV descripsisse virtutes equi præstantioris : cujus eam in rem locos aliquot singulatim grammaticis veteribus laudatos, hunc in modum continuatim scriptos fuisse non abs re arbitrabatur :

Ipse equu' non formosu', gradarius, optimu' vector,
Qui colles, camposque gradu perlabitur uno.
Quem neque Lucanis oriundi montibu' tauri
Ducere protelo validis cervicibu' possunt.
Hunc milli passûm qui vicerit atque duobus,
Campanus sonipes subcussor nullu' sequetur
Majori spatio; ac diversu' videbitur ire.

Unum tantum præterea addidissemus ex VIII lib. a Nonio allatum :

Omne iter evadit, stadiumque accline tolutim.

Quem commode post illum versum legi posse putamus :

Qui campos, collesque gradu, etc.

XVI. Nonius : *Quem utare libenter*, pro : *quo utare libenter*.

XVII. Donatus, in Phorm. Terent. act. I, sc. 4, ad illud :

Tum temporis punctum mihi ad hanc rem est.

Punctum, pro : momentum : ut Lucilius in decimo quarto : *Puncto una hora, etc.*

XVIII. Charisius, lib. I : *Caseus* masculini generis est. Vetus Codex : *Caseus, ala, molis* : ex eo Scaliger : *Caseus, alium, olus*. Alium κρόμμυον allium.

XIX.

Macrosque palumbos.

EX LIBRO XV SATIRARUM.

I.

Multa homines portenta in Homero versificata
Monstra putant, quorum in primis Polyphemu' ducentos
Cyclops longu' pedes, et porro huic maju' bacillum,
Quam malus navi in corbita maximus ulla.

II.

Hunc milli passûm qui vicerit atque duobus
Campanus sonipes succussor nullu' sequetur
Majori spatio; ac diversu' videbitur ire.

III.

Præterquam in pretio primus semisse, secundus
Nummo, tertiu' jam pluris, quam totu' medimnus.

XIX. Nonius : *Palumbi*, masc. gen. Charisius hæc verba ex libro XV adducit, unde ad V transferenda arbitratur Dousa, ut de cœna rustica ibidem commemorata dicta accipiantur, quo item proxime præcedens fragmentum videtur pertinuisse. *Palumbus* (Gall. *pigeon ramier.*)

I. Absurde legebatur : *Cyclopes coclites*; restituimus : *Cyclops longu' pedes.* — Non. *Corbita. Corbita* est genus navigii tardum et grande; hæc navis originem sumit a corbe : Festus : « Corbitæ dicuntur naves onerariæ : quod in malo earum summo pro signo corbes solerent suspendi. » — *Et porro huic maju' bacillum.* Videtur Lucilius eo delectatus, ut de rebus, magnis ὑποχοριστικῶς loqueretur : sic supra :

..... fervens cum marculu' ferrum
Multorum tuditantum magnis ictibu' tundit.

II. A. Gellius, lib. I, cap. 16 : *Milli passûm* dixit pro : mille passibus. Macrob. lib. I, cap. 5. Nonius : *Succussare*, sursum frequenter excutere.

III. Nonius : *Medimnus* generis masculini. Sic supra Lucilius :

Commoda præterea patriæ sibi prima putare,
Deinde parentum, tertia jam, postremaque nostra.

IV.

In numero quorum nunc primu' Trebelliu' multo
Obmarcessebat febris, senium, vomitus, pus.

V.

Quum tectum est, quidvis satis est. Visuri alieni
Sunt homines? spiras, pallam, redimicula promit.

VI.

Penula, si quæris, canteriu' servu', segestre
Utilior mihi, quam sapiens.

VII.

Adde istos sacer illoto collo ac syrofenix
Quid facere est solitus?

VIII.

. . . . . Non ergastulus unus, et alius judicem
Opposivit.

IV. Nonius : *Senium* est tædium et odium : dictum a senectute, quod senes omnibus odio sint et tædio. — *Febris*, *senium*, *vomitus*, etc. Convicia in homines impuros jaci solita. Plautus Mostell. de Lanista loquens, III, 1, 17 : « Absolve hunc quæso vomitum, ne hic nos enecet. » Horatius, Sat. I, 7, 1 ; « Regis Rupili pus atque venenum. »

V. Nonius : *Palla* est honestæ mulieris vestimentum, hoc est, tunicæ pallium.

VI. Nonius : *Penula* est vestis, quam supra tunicam accipimus. — Sic in lib. IV, 8, Noster : « *Sed bene cocto, et Condito sermone bono, et, si quæri' libenter.* » Cicero ad Brut. « Hoc cogere volebat falsas literas esse et, si quæris, probabat. » Idem lib. II, de Orat. « Et si quæritis, is qui appellatur dicax, hoc genere maxime excellit. » Ovidius, Trist. lib. I, 1, 123 : « Plura quidem mandare tibi, si quæris, habebam. » Describere autem hoc loco voluit Lucilius habitum ac cultum peregrinantium, et contrariam ei sententiam protulit Varro Virgul. Divin. « Non quærenda, inquit, est homini qui habet virtutem, penula in imbri. » — *Segestre utilior mihi, quam*, etc, *Segestre* fuit crassum operimentum, ut sagorum erat crassior pannus. Cæterum *segestre* usus variorum auctorum magis commendat, idque conveniens huic loco. Festus : « Δέρις Græci appellant pelles nauticas, quas nos vocamus segestria. » Plura de hac voce V. Cl. Casaubonus doctissime disserit ad Suetonium.

VII. Nonius : *Sacrum* etiam scelestum et detestabile, ita et consecratum.

VIII. Nonius : *Ergastulum* et *ergastulus*, ut genere, ita et intellectibus differunt. Nam neutro, *carceris* locus est; masculino, cu-

IX.

Ut nemo sententiam libere, quasi ergastulus, possit dicere.

X.

. . . . . Dum miles Hyberus
Terras, ac meret ter sex ætate quasi annos.

XI.

Te primum cum istis insanum hominem et cerebrosum.

XII.

Scit poeticon esse, videt tunica, et toga quid sit.

XIII.

Trulleu' postomis huic ingens de naribu' pendet.

XIV.

Tintinnabulum abest hinc, sirpiculæque holerorum.

stos pœnalis loci. *Ergastulum* Noster dicit servum ergastulo inclusum, qui e vinculis opus facit, ut Juvenalis, Sat. VI, 151 : « Pueros omnes, ergastula tota, Quodque domi non est, et habet vicinus, ematur. » Ubi Commentarius vetus, « ergastula rusticorum servientium multitudinem » interpretatur. Sic Lucilius *carcerem*, qui in carcere est, vocavit superius, ac eadem ratione *vincula* pro vinctis apud Ciceronem, lib. III de Legibus; et *custodiæ* pro captivis apud Tacitum leguntur.

IX. Nonius : *Ergastulum* et *ergastulus*. — *Quasi ergastulus*, etc. In vetere libro legitur : « *Magis quam ergastulus dicere non possit.* » Quod si admittimus, duæ negationes more Græcorum negabunt magis.

X. Nonius, *Meret*, militat. His versibus constat Lucilium diu in Hispania fuisse et quidem annis XVIII. Perperam in vul. cod. legebatur : « *Dum miles hybernas ac meret tersa ea ætate quasi annos.* »

XI. Nonius : *Cerebrosi* dicuntur ad insaniam faciles, quibus frequenter cerebrum moveatur.

XII. Nonius : *Tunica*, est vestimentum sine manicis.

XIII. Nonius : *Postomis* dicitur ferrum, quod ad cohibendam equorum tenaciam naribus, vel morsui imponitur, græce ἀπὸ τοῦ στόματος. — *Trulleu' p.* etc. Postomidem fingit, ut Turnebus explicat, de naso ejus pendere qui se madefaciat assidue; ut enim ferocia jumentorum remoretur, postomi eorum ori imposita, sic poculum de ejus ore pendens talem quamdam imaginem reddere videbatur. Dici autem videtur *postomis* a Latinis corrupta voce, quæ tanquam *epistomis* aut *epistomium* appellari deberet : immo vero tanquam προστομίς, id est, additamentum ori adjectum et appensum, atque ita scribendum videtur.

XIV. Nonius : *Holerorum*, pro : holerum. Sunt hic in Lucilio duo genera vehiculorum, ut in Conje-

XV.

Subjicit hinc humilem, et sufferctus posteriorem.

XVI.

Rugosum atque fami plenum.

XVII.

. . . . . Aut qui nummos tristis inuncat.

XVIII.

. . . . . Nemo est halicariu' posterior te.

EX LIBRO XVI SATIRARUM.

Porphyrion in Horat. ad illud lib. I, od. 20: *Dum meam canto Lalagen.* Id est, carmen in Lalagen amicam, ejus nomine compositum. Sic et liber Lucilii decimus sextus Collyra inscribitur, eo quod de Collyra amica sua scriptus sit.

I.

Ibat forte aries, inquit: jam quod genu'! quantis
Testibu'! Vix uno filo hæc se hærere: putares
Pellicula extrema ex aptum pendere onus ingens.

ctaneis observat doctus Scaliger, tintinnabulum et sirpea aut sirpiculæ. De tintinnabulo Plautus in Pseudolo, I, 3, 99: « Lanios inde arcessam duos cum tintinnabulis. Eadem duo greges virgarum inde ulmearum adegero. » De sirpeis Varro de Ling. Lat., lib. IV. « Sirpea, quæ virgis sirpatur, id est, colligendo implicatur, in qua stercus aliudve quid evehitur. »

XV. A. Gellius, lib. IV, cap. 17: *Subjicit. U*, litera longa, legunt, quia primam syllabam brevem esse in versu heroico non convenit.

XVI. A. Gellius, lib. IX, cap. 14: Sic autem *dies, dii*, a Veteribus declinatum est, ut *fames, fami.*

XVII. Nonius: *Inuncare*, quasi unco invadere et arripere.

XVIII. Charisius, lib. I: Alicam sine aspiratione dictam Verrius tradit, et sic multi dixerunt: nisi quod Lucilius in XV: *Nemo est halicariu' p. t.* cum aspiratione dixit. — *Halicariu' p. t.* Festus: « Alicariæ meretrices appellabantur in Campania solitæ ante pistrina Alicariorum versari quæstus gratia. » Plautus in Pœnulo, I, 2, 54: « Prosedas, pistorum amicas, reliquias alicarias. »

I. Nonius: *Aptum*, rursum connexum et colligatum significat. — *Pellicula extrema ex aptum*, etc.

II.

. . . . . Lysippi Juppiter ista
Transivit, quadraginta cubita altu', Tarento.

III.

Rex Cotys ille duos ventos Austrum atque Aquilonem
Novisse aiebat solos se demagis istos
Ex nimbo austellos, nec nosse putare necesse.

IV.

Legavit quidam uxori mundum omne penumque.
Quid mundum? quid non? nam quis dijudicet istuc?

V.

Fundi delectat virtus te, villicu' paullo
Strenuior si evaserit.

Sic legendum disjunctis vocibus pro : *Aptum ex pellicula extrema*, ut Lucretius lib. IV, 827 : « Brachia tum porro validis ex apta lacertis. » Hoc est, apta ex validis lacertis. Sic Ennius : « Comtemsit fontes, quibus ex erugit aquæ vis ; » pro : ex quibus erugit, id est, eructat vis aquæ.

II. Nonius : *Cubitum*, neutri generis. Plinius Nat. Hist. lib. XXXIV, cap. 18. « Moles quippe excogitatas videmus statuarum, quas colosseas vocant, turribus pares. Talis est in Capitolio Apollo translatus a M. Lucullo ex Apollonia, Ponti urbe, XXX Cubitorum CL talentis factus : talis in campo Martio Jupiter a Divo Claudio Cæsare dicatus, qui vocatur Pompeianus a vicinitate theatri ; talis et Tarenti factus a Lysippo XL cubitorum. Mirum in eo, quod manu, ut ferunt, mobilis (ea ratio libramenti est,) nullis convellatur procellis. Id quidem providisse et artifex dicitur, modico intervallo, unde maxime flatum opus erat frangi, opposita columna. Itaque propter magnitudinem difficultatemque movendi, non attigit eum Fabius Verrucosus, quum Herculem, qui est in Capitolio, inde transferret. »

III. Nonius : *Demagis*, valde magis. Ita suis numeris hos versus Had. Junius restituit ; vulgate editiones : « *Rex Corus ille duos hos ventos Austrum atque Aquilonem Novissime alebat, solos demagis istos ex nimbo austellos, nec nos seneces putare.* »

IV. A. Gellius, lib. IV, cap. 1. « *Penus* quoque variis generibus dictum et varie declinatum est : nam et *hoc penus* et *hæc penus* et *hujus penis*, et *peneris* et *peniteris* et *penoris*, Veteres dictitaverunt. *Mundum* quoque *muliebrem* Lucilius in Satir. lib. XVI : non virili genere, ut cæteri, sed neutro appellavit his versibus : « *Legavit quidam uxori*, etc. »

V. Priscianus, lib. III. Alii arbitrantur melius et antiquius esse rescribendum *te virtus* pro : *virtus te*

VI.

Hi quos divitiæ producunt, et caput ungunt
Horridulum.

VII.

Cur tam ignaviter hoc præsertim tempore quæris?

VIII.

Publicitus vendis tamen, atque extrema ligurris.

IX.

Hoc aliud longe est, inquit, qui cepe serebat.

X.

Media e pistrina.

EX LIBRO XVII SATIRARUM.

I.

Num censes καλλιπλόκαμον καλλίσφυρον illam
Non licitum esse uterum, atque etiam inguina tangere mammis?
Compernem aut varam fuisse Amphitruonis ἄκοιτιν
Alcmenam atque alias, Ledam ipsam denique nolo
Dicere, tute vide, ac dissyllabon elige quodvis.
Τυρὸν εὐπατέρειαν aliquam rem insignem habuisse,
Verrucam, nævum pictum, dentem eminulum unum.

propter concursum literarum sonantium.

VI. Nonius : *Horrendum* et *horridum* habent plurimam diversitatem. Est enim *horrendum* tetrum et vitabile; *horridum* plerumque exstans, et prominens et incultum.

VII. Non. *Ignaviter*, pro : ignave.

VIII. Nonius : *Publicitus*, pro : publice.

IX. Non. *Cepe*, generis neutri.

X. Charisius, lib. I. « *Pistrinum* neutraliter dicitur, sed Lucilius in XVI feminine extulit : *Media e pistrina*, ad *tabernam referens*, ut caupona dicitur. » Varro, lib. IV, de Ling. Lat. « *Pilum*, quod eo far pinsunt : id ubi sit *pistrinum*. *L* et *S* inter se sæpe commutant : inde *pistor*, vel Lucilii *pistrina* et *pistrix*. »

I. Nonius : *Compernes*, dicuntur longis pedibus. Idem : *Vari*, dicuntur obtortis plantis. Inter laudes mulierum καλλιπλόκαμος, et καλλίσφυρος : sicut contra inter vitia *compernis* et *valga* et *vatia*. — *Tute vide atque d.* ratio numerorum postulat *ac* pro : *atque*. — Τυρὸν εὐπα-

II.

Cætera contemnit, et in usura omnia ponit
Non magna : proprium vero nil neminem habere.

III.

Villicum Aristocratem mediastinum atque bubulcum
Commanducatus corrupit, ad incita adegit.

IV.

Nupturum te, nupta, negas, quod vivere Ulyssem
Speras.

V.

Si non it, capito, inquit, eum : et si calvitur, ergo
Endo manum jacito.

VI.

Si messes facis invisas, si vendi' Lavernæ.

τέρμων, etc. Locus est apud Homerum Od. A.—*Dentem eminulum uvum.* Ut supra : « *Dente adverso, eminulo, hic est rhinoceros velut Æthiopus.* »

II. Nonius : *Proprium*, significat rursum perpetuum. Duo abnutiva magis negant Græcorum more, dicit enim Lucilius : sapientem nihil proprium, id est, perpetuum se habere censere, sed usura tantum frui ; *non magna*, id est, diuturna et stabili.

III. Nonius : *Mediastinos* non solum balnearum, sed ædium quoque ministros et curatores legimus.

IV. Priscianus, lib. IX : « Lucilius in XVII ad Penelopam conversus ait : *Nupturum te, nupta*, etc. In hoc quoque subaudiendum esse, id est, nupturum esse, non nuptum ire, γαμηθήσεσθαι. »

V. Nonius : *Calvitur*, dictum est frustratur, dictum a calvis inimis, quod sint omnibus frustratui. Poeset non incommode reponi cum Joan. Meursio, ait Dousa *rapito* pro *capito ;* et *rapere in jus*, Plauto, Horatio, aliis oppido quam familiare. Sed obstat XII tabularum auctoritas, quarum duas leges hoc loco conclusit et expressit Lucilius : SI. VIS. VOCATIONI. FVAT. TESTAMINI : IGITVR. EM. CAPITO. et : SI. CALVITUR. PEDEMVE. STRVIT. MANVM. ENDOIACITO.—*Et sic alvitur*, etc. In mendo cubat hæc vox apud Charisium, lib. I. *Calumnia*, inquit, prima syllaba correpta effertur : venit enim a verbo *calumnior*, hoc est, *frustror.*

VI. Non. *Laverna* Dea, cui supplicant fures. — *Si messes invisas*, etc. Dousiana editio *musas* pro *invisas* profert, cum Had. Junio *invisas* restituimus : hanc lectionem sequutus est v. cl. *Achaintre*. Ed.

VII.

. . . . . Magna ossa, lacertique
Apparent homini.

EX LIBRO XVIII SATIRARUM.

I.

Millia ducentum frumenti tolle medimnum,
Vini mille cadum.

II.

Denique uti stulto nihil est satis, omnia quum sint.

III.

. . . . . Nam vel regionibus illis
Incrustatu' calix crucio caulique bibetur.

IV.

. . . . . Æque fruniscor ego ac tu.

VII. Macrobius Saturn. lib. IV, cap. 1, ad illud Virgilii. « Magna ossa lacertosque, »

I. Nonius : *cadi* vasa, quibus vina conduntur.

II. Nonius : *Multum* et *satis* eo distant; quod *multum*, infinitum est; *satis*, finitum : avaris illud, hoc parce se continentibus applicandum.

III. Porphyrion, ad illud Horatii, lib. I, Sat. 3, vs. 56 : « Sincerum cupimus vas incrustare. » Allegoricos hos versus dicit : *Vas* autem *incrustari* dicitur quum aliquo vitioso succo illinitur atque inquinatur. — *Incrustatu' calix*, etc. Ita in veter. lib. impressis Porphyrionis legebatur : quam scripturam sunt Dousa et Turnebus sequuti; vulgati enim libri habebant : « *Nam mel regionibus illis Incrustatu' calix rucia.* » Et huc pertinere videtur Festi locus ad hunc versum : « *Crucium quod cruciat.* » Unde Lucilius vinum insuave *crucium* dixit. Ut festive Lucilius gentem nescimus quam irrideat, apud quam vinum insuave nasceretur : quo imbutus et incrustatus calix apud eos mellitum sapuerit.

IV. Nonius : *Frunisci*, pro : frui. Sic *fruniscor* et *frunitum* dixit Cato teste Sexto Pompeio; vulgo et in Nonio et in Lucilio *fruiscor* vulgatur.

EX LIBRO XIX SATIRARUM.

I.

Sic tu illos fructus quæras, adversa hyeme, olim
Queis uti possis, hæc delectare domi te.

II.

Aurum vis, hominemve? habeas hominem: quid ad aurum?
Quare, ut dicimu', non video hic quid magnopere optem.

III.

Ut pueri infantes faciunt mulierculam honestam.

IV.

Sic singillatim nostrum unusquisque movetur.

V.

Sume diem, qui est visu' tibi pulcherrimus unus.

VI.

Peniculamentum vere reprehendere noli.

VII.

Latere pendens, saxa spargens tabo et sanguine atro.

I. Nonius: *Olim*, temporis futuri. Sic Plautus Captiv. V, 4, 7: « Itidem hæc mihi advenienti upupa, qui me delectem, data 'st. »

II. Nonius: *Optare*, eligere.

III. Nonius: *Infantes*, a non fando dicti sunt. Sic Lucilius libro proximo: « *Ut pueri infantes credunt signa omnia ahena vivere.* »

IV. Nonius: *Singulatim* et *singillatim*, a singulis.

V. Nonius: *Sumere* etiam significat eligere.

VI. Nonius: *Peniculamentum*, a veteribus pars vestis dicitur. Veriore lectione hunc versum restituit Dousa: « *Peniculamento vero reprehendere noli.* » Sic Plautus in Epidico I, 1, 1: « Quis properantem me prehendit pallio? » Idem in Milite, I, 60: « Vel illæ, quæ here pallio Me reprehenderunt. » Reprehendere enim dicimus proprie quos in via assequutos parte aliqua vestis apprehensos remoramur.

VII. Nonius: *Spargere*, madefacere. Verisimiliter putat Hieron. Columna Lucilium hanc Thyestis apud Ennium exsecrationem inter sua inseruisse poemata, tanquam vulgo jactatam, et inde Nonium Lucilii existimavisse. Ita autem lo-

VIII.

Rausuro tragicus qui carmina perdit Oreste.

IX.

Scalprorum forcipumque millia viginti.

X.

. . . . . Et uncis
Forcipibus dentes evelleret.

EX LIBRO XX SATIRARUM.

I.

Terricolas Lamias, Fauni quas, Pompiliique
Instituere Numæ, tremit has, hic omnia ponit.

cum Ennii adfert Cicero, lib. I, c. 44, Tuscul. Quæst. « Exsecratur luculentis sane versibus apud Ennium Thyestes, primum ut naufragio pereat Atreus. Durum hoc sane: talis enim interitus non est sine gravi sensu; illa inania.... Ipse summis saxis fixus asperis, evisceratus, Latere pendens, saxa spargens tabo, sanie et sanguine atro.

VIII. *Rausuro*. Cui accidet ut rauciat. Priscianus, lib. X: *Rausi, rausum*. Juvenalis, Sat. I, 2: «Vexatus toties *rauci* Theseide Codri.»

IX. Charisius, lib. I: Medicorum *forcipes* dicit, lib. XIX: *Scalprorum, etc.*

X. Charisius, lib. I, l. supra cit. addit: item paulo post. « *Et uncis forcipibus dentes evelleret.* » Sic corrigendum fide vetusti codicis. Nam vulgati multo corruptissime proferebant: « *Quivis forcipibus dentes vellere.* » Usus vero est eadem pæne loquendi formula Sidonius: « Barba concavis hirta temporibus, quam in subdita vultus parte surgentem stirpitus tonsor assiduus genas ad usque forcipibus evellit. »

I. Lactantius, lib. I, cap. 22, non refert ex quoto Lucilii libro hos sex versus transcripserit; Nonius existimavit hos esse collocandos in lib. XX. Idem Lactantius, de his versibus: « Reliquit ergo posteris Faunus quoque non parum erroris, quem tamen prudentes quique perspiciunt. Nam Lucilius eorum stultitiam qui simulacra deos putant, deridet his verbis: *Terricolas Lamias*, etc. Poeta quidem stultos homines infantibus comparavit. — *Terricolas lamias*, etc. *Lamiæ* erant monstra, quibus feminæ caput et equi pes erat: numerabantur permultos inter deos quos ad Romanos attulerat Numa. Ed. — *Fauni, Pompilii Numæ*, etc. Plurali numero utitur Lucilius pro singulari, *Faunus*. Ed.

Ut pueri infantes credunt signa omnia ahena
Vivere, et esse homines : et sic isti omnia ficta
Vera putant, credunt signis cor inesse ahenis.
Pergula pictorum, veri nihil, omnia ficta.

II.

Tempestate sua, atque eodem uno tempore, et horæ
Dimidio, tribu' confectis duntaxat eamdem
Et quartam.

III.

Pulmentaria ut intybus, aut aliqua id genus herba.
Et jus mænarum bene habet, sed mictilis, hoc est
Merx.

IV.

Calpurni sævam legem Pisoni' reprendi,
Eduxique animam in primoribu' naribus.

V.

Jam disrumpetur medius, jam ut Marsu' colubras
Disrumpit cantu, venas quum extenderit omneis.

II. Aul. Gellius, lib. III, cap. 14. « Jam in lib. XX, manifestius Lucilius *dimidiam horam* dicere studiose fugit : sed pro *dimidia*, *dimidium* ponit in hisce versibus : *Tempestate sua*, etc. Nam, quum obvium proximumque esset dicere : *Et hora Dimidio, tribu' confectis*, etc. vigilate attenteque verbum non probum mutavit. Per quod satis apparet ne *horam* quidem *dimidiam* recte dici, sed vel *dimidiatam horam*, vel *dimidiam partem horæ*. »

III. Nonius : *Mictilis*, puperula pulmentaria. Idem : *Intybus*, generis masculini. (Gallice *la chicorée*, pl.) Hæc vera horum versuum lectio, qui corruptissimi editi sunt apud Nonium in Mictyris : « *Pulmentaria utentibus, aut aliquod genus herbæ, et jus mænarum bene habet se myctiris, hoc est meri.* » At in Intybo prior versus tantum legitur ita ut eum exprimendum curavimus. Posteriorem restituit Jos. Scaliger.

IV. Nonius : *Priores* et *primores* hanc habent diversitatem. *Priores* enim comparativi sunt gradus ; *primores*, summæ quæque res. — *Calpurni s. legem*, etc. Est hæc lex, ut putat Dousa, Calpurnia de ambitu, quam C. Calpurnius Piso consul tulit : inqua, præter alias pœnas, pecuniaria quoque erat adjecta. Cui legi ob nimiam ejus severitatem aliquid derogatum postea videtur innuere Cicero, in Oratione pro Cornelio.

V. Nonius : *Colubra*, generis feminini. Marsi plurimum maleficis

VI.

Illuvies, scabies oculos huic, deinque petigo
Conscendere.

VII.

Nugator quidam; ac nebulo sit maximu' multo.

VIII.

Tum ephebum quemdam, quem vocant parectaton.

IX.

Purpureo tersit tunc latas gausape mensas.

X.

Proras detundete et despoliate guberna.

EX LIBRO XXI SATIRARUM.

Nihil superest.

carminibus pollebant. Ovidius, de Medic. faciei, 39: « Et mediæ Marsis finduntur cantibus angues. » Horat. Epod. XVII, 29: « Caputque Marsa dissilire nænia. » Virg. Æneid. VII, 758: « Neque eum juvere in vulnera cantus Somniferi, et Marsis quæsitæ montibus herbæ. » Marsi erant populi Italiæ bellicosissimi: eorum regio sita prope Samnium et Æquorum terram. Marrubium, prope lacum Fucinum (hodie *lac de Célano*), erat hujus gentis urbs præcipua. Ed.

VI. Nonius: *Illuvies*, sordes. Idem: *Petigo*, genus morbi. Glossarium: *depertigo*, λέπρα, λειχήν. Repone *depetigo*. At in versu Lucilii producendo, *petigo* tantum agnoscit Nonius, non *depetigo*. In quo sane errare eum ut in aliis multis non semel ostendit Scaliger. Est enim tmesis, quam familiarem Lucilio fuisse jam ostendimus. Legendum igitur *deque petigo*.

VII. Nonius: *Nebulones* et *tenebriones* dicti sunt, quia mendaciis et astutiis suis nebulam quamdam et tenebras objiciant.

VIII. Nonius: *Parectati* hi, qui de pueritia veniunt ad pubertatem; a Græco vocabulum sumptum, παρεκτείνομαι, producor, amplificor; et h. l. agitur de ætate.

IX. Priscianus, lib. IX: *Tersi*, a tergeo. Hinc accepit Horatius illud suum, lib. II, sat. 8, vs. 10 et seq. « Puer alte cinctus acernam Gausape purpureo mensam pertersit. » Ac eodem videri potest allusum a Plauto in Menæchmis I, 1, 7: « Juventus nomen fecit *Peniculo* mihi, Ideo quia mensam, quando edo, detergeo. »

X. Marius Victorinus, lib. I. Nonius: *Guberna* pro: *gubernacula*.

EX LIBRO XXII SATIRARUM.

I.

. . . . . Mercede quæ
Conductæ flent alieno in funere præficæ,
Multo et capillos scindunt, et clamant magis.

II.

Servu' neque infidus domino, neque inutili' quoiquam
Luceili columella heic situ' Metrophanes.

III.

Zopyrion labias discidit utrumque sequutus.

IV.

Nasum rectiu' nunc homini est, suræ nec pedes dici.

EX LIBRO XXIII SATIRARUM.

I.

Cupiditas ex homine; cupido ex stulto nunquam tollitur: quod cupiditas pars quædam sit temperatior defluens ex cupidine.

I. Nonius : *Præficæ* dicebantur apud Veteres, quæ adhiberi solebant funeri mercede conductæ, ut et flerent, et fortia mortui facta laudarent.

II. Hæc vera est scriptura hujus pentametri. Quintilianus vero auctor est, Veteres *columa*, exempta *n* litera, scribere consuevisse; unde apte *columen* et *columella* deduci posse videntur. Donatus, in Phormione Terentii, act. II, sc. 1, (edit. Nost. vs. 287), ad hæc : « Salve, columen vero familiæ, » hæc dubitans dicit, act. I, sc. 5 : *Columen*, culmen, an *columen*, columna. Unde *columellæ* apud Veteres dicti servi majoris domus.

III. Nonius : *Labia*, femin. generis.

IV. Nonius : *Nasum*, neutri generis.

I. Nonius : *Cupiditas* et *cupido* diversa sunt; nam *cupiditas* levior est.

II.

Jucundasque puer qui lamberat ore placentas.

III.

Tongere.

IV.

Calx.

EX LIBRO XXIV SATIRARUM.

Nihil superest.

EX LIBRO XXV SATIRARUM.

I.

Quæ gallam bibere, ac rugas conducere ventri
Farre aceroso, oleo decumano, pane Cumano coegit.

II.

Solus jam vim de classe prohibuit Vulcaniam.

III.

Idcirco omnes evasuros censent ægritudinem.

IV.

Arabus artemo.

II. Priscianus, lib. X : *Lambo, lambi.*

III. Glossarium Fornerii : *Tongere, εἶδον.* Consule Sext. Pompeium de hac voce.

IV. Charisius, lib. I : *Calx* masculino genere dixit.

1. Festus: « *Gallam bibere, ac rugas conducere ventri*, quum ait Lucilius, præmonet parsimonia esse utendum, neque gulæ indulgendum, ventremque coarctandum. » — Nonius : « *Acerosum* panem, farre minus purgato, nec sordibus a candido separato, dicendum Veteres putaverunt.—*Gallam*, etc. *Galla* fructus sub autumnum adnascens arboribus, præcipue robori, specie rotundæ nucis, vim habet adstringendi exsiccandique.

II. Nonius : *De*, pro : *ab.*

III. Nonius, *Evadere* est liberari.

IV. Charisius, lib. I : « Arabis Maro ; Hyrcanisve Arabisve parant : ubi Plinius, *es* numero plurali finita nominativa *bus* recipiunt, idque

EX LIBRO XXVI SATIRARUM.

I.

Homines ipsi hanc sibi molestiam ultro atque ærumnam offerunt, ducunt uxores, producunt quibus hæc faciant liberos.

II.

At enim dicis clandestino tibi quod commissum foret, neu mutires quidquam, neu mysteria efferres foras.

III.

Ferri tantum, si roget me, non dem quantum auri petit; si se cupit, et si quoque a me, quæ roget, non impetret.

IV.

At Libertinus Tricorius Syrus ipse ad mastigias,
Quicum versipellis fio, et quicum commuto omnia

V.

Squallitate, summa scabie, summa in ærumna obrutam,
Neque inimicis invidiosam, neque amico exoptabilem.

commentatores jubent. Quid ergo, si sic declinavit, ut Plautus in Bacchidibus, *Arabus*; et in Pœnulo, Myrrhinus odor *Arabus*. Lucilius XXV, *Arabus artemo*. Denique et C. Cassius, in epistola quam de Dolabella scripsit, *Arabi* mirifico animo erga nos fuerunt, inquit. »

I. Nonius : *Producere*, instituere.

II. Pro *dicis*, legendum putat Dousa, *dixti* vel *dixi*. Nonius : *Clandestino*, abscondite. — Pro *efferres*, antea legebatur *ecferres*, antiquo scribendi more. Cujus ignoratio mendum Plauto affinxit Bacchidibus IV, 4, 45 : « Cn. Vix videtur fieri posse. Mn. perge, ac facile hæc feceris. » Ubi rescribendum pronuntiamus, ac *facile ecfeceris*, pro : *effeceris*.

III. Nonius : *Rogare*, poscere. Est carmen quadratum a Fruterio ita constitutum :

Ferri tantum, si roget me, non dem quantum auri petit;
Si se rupit, sic quoque a me, quod roget, non impetret.

Rupit pro : *ruperit*, id est, usque ad ravim poposcerit clamando.

IV. Nonius : *Versipelles* dicti sunt quolibet genere se commutantes.

V. Nonius : *Summum*, extremum. Idem : *Invidiosum*, quod sit vitabile ad videndum.

VI.

Publicanus vero ut Asiæ fiam scripturarius pro
Lucilio, id ego nolo; et uno hoc non muto omnia.

VII.

Ut populus Romanus victus vi, et superatus prœliis
Sæpe est multis; bello vero nunquam, in quo sunt omnia.

VIII.

Depeculassere aliqua sperans me ac deargentassere.
Decalanticare eburneo speculo depeculassere.

IX.

Aggere in jaciendo, si quo est vineis actis opus,
Primum id dant operam, ut quam primum appellant.

X.

Ut si eluviem facere per ventrem velis curare,
Omnibus distento corpore exspiret vis.

VI. Nonius: *Scripturarios*, quos nunc tabellarios dicimus, dici volunt Veteres, quod scripturis et commentariis omnia vel urbium, vel provinciarum complectuntur. Contra autem Turnebus censet *scripturarium* esse tabellarium, vel tabularium; quum sit is qui commentarium scripturæ conficiat, (quod Gallice dicitur, *un procès verbal*) pecoris in pascuis publicis pascentis, ut in capita pecuniam exigat, quæ pecunia etiam *scriptura* dicitur. Ad hunc locum pertinere videntur illa Varronis de Re Rust. cap. I: «Nam is magister C. Lucilii Hipri, generi tui, cujus nobiles pecuariæ in Brutiis habentur.» Item illa Ciceronis, lib. II de Oratore: «Sed ex his omnibus (C. Jul. Cæsar loquitur) nihil magis ridetur, quam quod præter exspectationem, cujus innumerabilia sunt exempla: vel Appii majoris illius, qui in senatu, quum ageretur de agris publicis, et de lege Thoria, et premeretur Lucilius ab iis qui a pecore ejus depasci agros publicos dicerent, non est, inquit, Lucilii pecus illud; erratis (defendere Lucilium videbatur); ego puto liberum esse: qualubet pascitur.»

VII. Nonius: *Bellum* et *prœlium* hoc differunt: quod *prœlia* partes sunt belli, hoc est, in bello congressiones.

VIII. Nonius: *Depeculassere*, ac *deargentassere*, et *decalanticare*.

IX. Nonius: *Jacit*, facit. Idem: *Actum*, admotum. Idem: *Appellere*, est applicare. — *Aggere in jaciendo* h. e. in jaciendo aggerem.

X. Nonius: *Eluviem*, purgationem. Idem: *Exspirare* dictum est,

XI.

Curet ægrotum, sumptum homini præbeat,
Genium suum defrudet, alii parcat.

XII.

Audivi, quem febris una, atque una ἀπεψία,
Vini, inquam, hiatus potuit unus tollere.

XIII.

Si misereantur se ipsi, vide ne illorum caussa superiore loco collocaverit.

XIV.

Nunc itidem populum istum scriptoribus volumus capere animum illorum.

XV.

Non te multitudinem tuorum, quam in album inclyta dextra conficit sibi.

XVI.

Quare hoc colere est satius, quam illam studium omne hic consumere.

XVII.

Principio physici omnes homines ex anima et corpore constare dicunt.

XVIII.

. . . . . Redisse
Ac repedasse, ut Roma vitet gladiatoribus.

vel ab spiritu effuso, vel a spiraminibus. Hi versus sunt iambici, quos ita rescribendos dat Dousa:

Ut si eluviem facere per ventrem velis
Curare omnibus distento corpore exspiret viis.

— *Eluviem facere* ibi dicitur pro: eluere et egerere cibi reliquias.

XI. Nonius: *Genium*, parsimoniam. Ita apud Terentium, Phorm. I, 1, 9, legitur: « Quod ille unciatim vix de demenso suo, Suum defrudans genium, comparsit miser. »

XII. Ἀπεψία, cruditas α pr. et πέπτω, coquere. Nonius: *Tollere*, occidere.

XIII. Nonius: Dativus, pro accusativo.—Nobis autem non plane liquet, quid velint hæc duo Nonii verba, et præsertim *dativus*. Ed.

XIV. Id. *Capere* delectare. Forsan scribendum: «*Nunc itid. ut popul.*»

XV. Nonius: *Conficere*, colligere.

XVI. Nonius: *Colere*, diligere.

XVII. Nonius *Constat*, compositum est.

XVIII. Nonius: *Repedare*, pede

XIX.

Et quod tibi magnopere cordi est, mihi vehementer displicet.

XX.

Summis niti naturæ opibus ; at ego contra ut dissimilis siem.

XXI.

Suspendatne se, an gladium incumbat, ne cælum videat.

XXII.

Rem cognoscas simul, et dictis animum attendas, postulo.

XXIII.

Ut ego effutiam, quod ego te inprimis cupere apisci intelligo.

XXIV.

Contra flagitium nescire vinci bello, a barbaro Viriato Annibale.

XXV.

Sin autem hoc vident, bona semper petere sapientem putant.

XXVI.

Veterem historiam, inductus studio, scribis ad amores tuos.

iterare. Jos. Scaliger hunc versum scribendum censet : « *Ut Romam vitat gladiatoribus;* » et est trochaicus. — *Vitat*, bitat, eat. — *Gladiatoribus*, casus absolutus, id est, munere gladiatorio. Ita Cicero ad Attic. « Gladiatoribus Romæ esse. »

XIX. Nonius : *Cordi est*, honeste dictum animo sedet.

XX. Nonius : *Niti*, fultum esse.

XXI. Nonius : *Accusativus* pro dativo. Sic Plautus in Casina : « Quin *gladium* faciam culcitam, eumque *incumbam.* »

XXII. Nonius : *Cognoscere* est audire, æstimare. Idem : *Attendere* est intendere.

XXIII. Nonius : *Apisci*, adipisci.

XXIV. Nonius : *Viriatum*, dictum est magnarum virium.

XXV. Nonius : *Petere*, cupere, appetere.

XXVI. Nonius : *Induci*, delectari.

XXVII.

Ego si quis sum, et quo folliculo nunc sum indutus non queo.

XXVIII.

Tum doloribus confectum corpus animo obsistere.

XXIX.

Neque prius, quam venas hominis tetigit ac præcordia.

XXX.

Munifici, comesque amicis nostris videamur viri.

XXXI.

Quidni et tu idem illitteratum me atque idiotam diceres?

XXXII.

Rauco concionem sonitu, et curvis cogant cornibus.

XXXIII.

Depugnabunt pro te ipsi, et morientur, ac se ultro efferent.

XXXIV.

Ego ubi quem ex præcordiis versu effero.

XXXV.

Non idcirco extollitur, vel iræ, vel gaudii dator.

XXVII. Nonius: *Folliculum* Lucilius posuit pro corpore. Contemnitur, dum deminuitur. Arnobius adversus Gentes, lib. II: « Nihil enim nobis est promissum ad hanc vitam, nec in caruncula hujus *folliculo* constitutis, opis aliquid sponsum est auxiliique decretum. »

XXVIII. Nonius: *Confectum*, defessum. Huic præmittendum fuerat, quod paulo post sequitur, fragment. LV: « *Animoque ægrotat, vidimus corpore hunc signum dare.* »

XXIX. Non. *Tangere*, inspicere.

XXX. Nonius: *Munes* apud Veteres dicebantur non a largitione, quæ ignota erat, sed consentientes ad ea, quæ amici velint.

XXXI. Nonius: *Idiotas*, a Græco tractum ἰδιώτης, inutiles, quasi sibi tantum, non pluribus utiles.

XXXII. Nonius: *Cogere*, in unum colligere. — Lipsius putat Lucilium respexisse ad morem Romanum, quo classicum in celeberrimis urbis locis canebat, quum civi rei capitalis dies dicta esset.

XXXIII. Nonius: *Efferre*, subdere.

XXXIV. Nonius: *Efferre* significat proferre.

XXXV. Nonius: *Efferre*, edere, provehere.

XXXVI.

Ita ut quisque nostrûm e bulga est matris in lucem editus.

XXXVII.

Tu si voles per aureis pectus irrigarier.

XXXVIII.

Qui sex menses vitam ducunt, Orco spondent septimum.

XXXIX.

Facile deridemur, scimus capital esse irascier.

XL.

Pars diffiatur vento, pars autem obrigescit frigore.

XLI.

Paucorum atque hoc pacto si nihil gustat inter nundinum.

XLII.

Præterito tepido glutinator glutino.

XLIII.

Quàpropter deliro, et cupide officium fungor ruderum.

XLIV.

Si quod verbum inusitatum, aut ζητημάτιον offenderam.

XXXVI. Nonius : *Bulga* est folliculus omnis, quam et crumenam Veteres appellarunt, et est sacculus ad brachium pendens. Non sine satirico urbanitatis sale *bulgam* pro vulva, hoc est matrice, posuit Lucilius. Quemadmodum Varro contra *vulvam* pro *bulga*, satira sexagesima.

Eo ut viaticum ex arcula adderem in vulgam.

quod frustra mutant V. D. quum a Nonio in voce ea proferatur.

XXXVII. Nonius : Accusativus pro ablat.

XXXVIII. Nonius, de differentia temporis per accusativum et ablativum expressi. — Expressit illud Cæcilii ex hymnide apud Ciceronem, lib. II, de Finib. « Mihi sex menses satis sunt vitæ, septimum *Orco* spondeo. »

XXXIX. Nonius : *Capital* dictum est capitis periculum.

XL. Nonius : *Diffiare*, est flatu disturbare.

XLI. Nonius : *Nundinus*, mascul. gener.

XLII. Non. *Glutino*, pro: glutine.

XLIII. Nonius : *Delirare*, est de recto decedere. *Lira* autem est fossa recta, quæ contra agros tuendos ducitur, et in quam uligo terræ decurrat. — *Ruderum*. Al. *tuberum*. J Lipsius recte substituit *Iberum* nam Lucilius cum prætore in Hispaniam profectus est.

XLIV. Nonius : *Offendere*, invenire. Ζητημάτιον, Gloss. *interrogatiuncula*, *rogatiuncula*.

XLV.

Tuam probatam mihi et spectatam maxime adolescentiam.

XLVI.

Cum studio in gymnasio duplici corpus siccassem pila.

XLVII.

Malis necesse est lautum, e mensa pure capturus cibum.

XLVIII.

Nunc ignobilitas his mirum ac monstrificable.

XLIX.

Quid tibi cavendum censes, quid vitandum maxime?

L.

Hunc laborem sumas, laudem qui tibi ac fructum ferat.

LI.

Quod is intelligebat, posse haud paucos rettuli.

LII.

Quam fastidiosum ac vescum cum fastidio edendi vivere!

LIII.

Mihi quidem non persuadetur, publice ut mutem meos.

LIV.

Denique adeo male me accipiunt decimæ et proveniunt male.

XLV. Nonius : *Probatum* et *spectatum* vis majoris est.

XLVI. Nonius : *Siccum*, exercitum. — *Duplicem pilam* interpretatur Dousa *magnam*, et quam *follem pugilatorium* vocat Plautus, quod pugno, non palma, percuteretur. Sic Turnebus, per *duplicem ficum* putat Horatium significare majorem, et quæ marisca vocabatur. — *Corpus siccassem*, etc. Id est, *digessissem corpus per sudorem*, ut Cornelius Celsus, bonus latinitatis auctor, loquitur.

XLVII. Nonius : *Lautum*, nudum. Idem : *Capere*, accipere.

XLVIII. Nonius : *Monstrificabile.*

XLIX. Nonius : Inter *cavere* et *vitare* Lucilius esse distantiam voluit, et plus esse *vitare.*

L. Nonius : *Sumere*, suscipere.

LI. Nonius : *Referre*, perferre, indicare.

LII. Nonius : *Vescum*, nimis obscurum.

LIII. Nonius : *Mutare*, derelinquere. Vetustiores editiones ferebant : « *Mihi quidem persuadent publice mutare meos.* »

LIV. Nonius : *Proventum*, etiam malarum rerum dici Veteres voluerunt.

LV.

Animoque ægrotat, vidimus corpore hunc signum dare.

LVI.

Percrepa pugnam Pompili factam Corneli cane.

LVII.

Luporum exauctorem malvanum et fulguritatem arborum.

LVIII.

Quodque te in tranquillum ex sævis transfert tempestatibus.

LIX.

Porro amici est bene præcipere, tueri, bene prædicare.

LX.

Quandoquidem reperi magnis combibonum ex copiis.

LXI.

Conjugem infidam, flacitam familiam, impuram domum.

LXII.

Nec minimo et prosferatur pax, quod Cassandram signo deripuit.

LXIII.

Domuitionis cupidi imperium regis pene imminuimus.

LV. Nonius : *Dare*, ostendere.

LVI. Nonius : *Crepare*, sonare.

LVII. Nonius : *Fulgurivit*, fulgorem fecit, et fulmine afflavit. Hunc ita versum emendabat J. Lipsius : « *Luporum exactorem Silvanum et fulguritarum arborum.* » Nam Silvanus rei rusticæ præses est deus. Cato et Horatius : « *Silvane, tutor finium.* » Turnebus autem sic : « *Luporum exactorem Martem, Silvanum.* » Nam Martis nomen etiam Silvano tribuebant.

LVIII. Nonius : *Sævum* dicitur immite. Mutandum autumat Dousa *transfers* pro : *transfert.*

LIX. Nonius : *Præcipere* est jubere, vel monere.

LX. Nonius : *Combibones*, compotores a combibendo dicti.

LXI. Nonius : *Impurus*, est aliquo vitio maculatus.

LXII. Nonius : *Prosferari*, impetrari. Jos. Scaliger putat veram lectionem esse hanc : « *Nec mihi Oilei proferatur Ajax, quod Cassandram signo deripuit.* » Contra legendum putat Fr. Junius ad Manilium longe aliter : « *Nec pax minimo proferatur. Deripuit signo Cassandram.* »

LXIII. Nonius : *Domuitionem.* — *Imperium*, etc. Regis Agamem-

LXIV.

Evadat saltem aliquid aliqua, quod conatus sum.

LXV.

Illuc oculi deductunt ipsi, atque animum spes illuc rapit.

LXVI.

Vestimentis frigus atque horrorem exacturum putat.

LXVII.

Nisi portenta, anguesque volucres ac pinnatos scribitis.

LXVIII.

Ego enim contemnificus fieri et fastidire Agamemnonis?

LXIX.

. . . . . Hic cruciatur fame,
Frigore, illuvie, inbalnitie, improfundie, incuria.

LXX.

Cribrum, incerniculum, lucernam in laterem, in telam licium.

LXXI.

Dii monerint meliora, atque amentiam averruncassint tuam.

nonis. Hæc continuabant historiam τῶν νόστων, cum illis quæ proxime præcedunt de Ajace Oilei.

LXIV. Nonius : *Evadere*, exire, tendere.

LXV. Nonius : *Deductum*, delectatione ductum.

LXVI. Nonius : *Exigere* est excludere.

LXVII. Nonius : *Portenta*, ostenta, quæ aliquid imminere significant.

LXVIII. Nonius : *Contemnificum* Veteres *fastidire* cum genitivo non raro copulare solent. Plautus Aulular. II, 2, 67 : « Abiit, neque me certiorem fecit : fastidit mei. » Titinnius Leucadia, emendante Dousa : « Viden' ut fastidit mei? »

LXIX. Nonius : *Illuvies*, sordes. Ita legendum : Vulgo *invalnitie*. *Imbalnities*, ἀλουσία.

LXX. Nonius : *Cribrum*.

LXXI. Nonius : *Averruncare*, avertere. Nonius ipse, *moneris* pro *monueris* accipit.

EX LIBRO XXVII SATIRARUM.

I.

Id bonis porro (seu proprium) est viris,
Si irati, seu cui propitii sunt ii, ut
Diutius eadem una maneant in sententia,
Non cum benignitate sollicitarier proposito.

II.

Coquus non curat caudam insignem esse, illa dum pinguis siet:
Amici quærunt animum sic, parasiti autem divitias.

III.

Facit idem quod illi, qui inscriptum e portu exportant clanculum, ne portorium dent.

IV.

. . . . . Salutem fictis versibus Lucilius,
Quibus potest, impertit, totumque hoc studiose et sedulo.

V.

Tu Lucilium credis contenturum, quum me ruperim, summa omnia fecerim.

I. Nonius : *Propitios* et *placatos* homines dici vetustas voluit. Hæc in vulgatis libris leguntur sic et perturbate : « *In bonis, porro est viris, si irati, seu cui propitii sunt dii, ut diutius eadem una maneant in sententia, nam cum benignitate sollicitos proposito.* »

II. Nonius : *Insigne* dicitur magnum et præstans.

III. Nonius : *Portorium* dicitur merces, quæ portoribus datur. Inscriptæ merces sunt, quas in portu apud publicanum mercator aut institor non est professus, ideoque in scriptura publicani non sunt perscriptæ, in commissumque incidunt. Vide Turnebum, Advers. lib. X, cap. 6.

IV. Nonius : *Fingere*, componere. Idem : *Impertire* est participare, et partem dare. Idem : *Sedulo* significat sine dolo. Hi versus sunt trochaici; quorum alter ita apud Nonium legitur : « *Item populum salute et fictis versibus Lucilius.* »

V. Nonius : *Contenturum*. Idem : *Rumpere*, defatigare. — Ita Cicero ad Atticum, lib. XV : « Sese de attributione omnia summa fecisse. »

VI.

Nam hic quidem reditum suum talem portendebant, neque alia in re ulla offendere.

VII.

. . . . . Has e fenestris in caput
Dejiciunt, qui prope ad ostium aspiraverunt.

VIII.

Nulli me invidere, neque strabonem fieri sæpius delitiis me istorum.

IX.

Ille contra omnia inter plures sensim et pedetentim foris, ne quem lædat.

X.

Nec sic, ubi Græci, ubi nunc Socratici charti, quidquid quæritis petimus.

XI.

Facio, ad lenonem venio, tribus in libertatem millibus Destinet.

VI. Nonius : *Offendere*, lædere.

VII. Nonius : *Dejicere* dicitur mittere. Putat Dousa *testas* esse subaudiendas, ac proinde interpretandum ex illo Juvenalis, Sat. III, 269 : «Quod spatium tectis sublimibus, unde cerebrum Testa ferit, quoties rimosa et curta fenestris Vasa cadunt. »

VIII. Nonius : *Strabones* sunt, quos strabos nunc dicimus. Varro Flexab. « Multi enim, qui limina intrarunt integris oculis *strabones* sunt facti. » — *Strabonem*, id est, *invidum*. Oculorum enim distortio, jure optimo invidis tribuitur, non item avaris, ut vult Turnebus. Id quod clarius liquet ex scitula illa et graphica Invidiæ apud Ovidium. Atque huc allusum ab Horatio in Epistolis, quum scribit Epist. I, 14, 37 : « Non isthic obliquo oculo mea commoda quisquam Limat. »

IX. Nonius : *Pedetentim* et pedepressim dictum est caute, quasi lenta et tarda itione.

X. Nonius : *Chartum*, generis masculini. Paulus Merula ita hæc refingebat : « *Lessus ubi Græci, ubi nunc Socratici charti? quidquid queruli petimus.* » Ut intelligat Græcorum scripta et libros quibus indigna quum aliorum, tum præcipue Socratis mors ab Atheniensibus defleta. — *Socratici charti*. Putat Scaliger scribendum : *Socratici chartæ*, nam græcum esse Σωκρατικοὶ χάρται.

XI. Nonius : *Destinare*, emere. — Destinet, supple, *oro*, vel tale quid.

XII.

Ardum, miserrimum, atque infelix lignum sambucum vocant.

XIII.

Paulo hoc melius, quam mediocre; hoc minus malum, ut quam pessimum.

XIV.

. . . . . Proferat ergo
Jam vester ordo scelera, quæ in se admiserit.

XV.

Potius, quam non magnum messem esse, non probam vindemiam.

XVI.

Quod si paulisper captare, atque observare hæc volueris.

XVII.

Cæterum quidquid sit, quid non sit, fero æquo animo ac fortiter.

XVIII.

Quod si observas hominem, qui pro commodo et regno gaudeat.

XIX.

Quæ pietas? monogrammi quinque adducti pietatem vocant.

XII. Nonius : *Ardum*, pro : aridum. Sic fortasse usitatum per syncopen. — *Infelix lignum*, etc. Plinius, XXIX, 14 : « Canes supplicia annua pendunt, inter ædem Juventatis et Summani, vivi in furca sambucea arbore fixi. » Ed.

XIII. Nonius : *Mediocritas*, medium dici voluit.

XIV. *Id. Proferre*, palam facere.

XV. Nonius : *Messem*, generis masculini.

XVI. Nonius : *Captare*, capere.

XVII. Nonius : *Ferre*, pati.

XVIII. Non. *Observare*, captare.

XIX. Nonius : *Monogrammi* dicti sunt homines macie pertenues, ac decolores. Tractum a pictura, quæ priusquam coloribus corporetur, umbra fingitur.

XX.

Quum pacem peto, quum placo, quum adeo, et quum appello meam.

XXI.

Tamen aliti verruca, aut cicatrix medius papillæ differunt.

XXII.

Mordicus petere aurum e flamma expediat, e cœno cibum.

XXIII.

Ad quod animum induxit semel, et ut ille omnino putat.

XXIV.

Quum mei me adeunt servuli, non dominam ego appellem meam?

XXV.

Insanum vocant, quem maltam, ac feminam dici vident.

XXVI.

Nec si paulo minus usuras, et magna adjutatus diu.

XXVII.

Modo sursum, modo deorsum, tanquam collus cernui.

XX. Nonius : *Aditus*, interpellatio.

XXI. Nonius . *Differre*, distare. Hæc ita ingeniose refinxit Scaliger : « *Tamen alicis verruca, aut cicatrix medii papillæ differunt* » *Alex*, ut tunc scribebant, et postea *Hallex*, est pollex pedis. *Medius*, intelligitur digitus pedis medius. *Verruca* igitur, aut callus, qui est in hallice aut pollice pedis, item *cicatrix*, sive ulcus in medio pedis digito, quam molesta sint, sciunt qui experiuntur. *Papilla*, ὑποχοριστικὸν a papula ἐξάνθημα apud Virgilium in Georg. — *differre papulæ*, pro *differre a papula*, ἀρχαϊσμός.

XXII. Nonius : *Mordicus*. Putat Dousa rescribendum vocibus transpositis : « *Mordicus petere aurum e cœno expediat, e flamma cibum.* » Ut referatur ad verbum antiquum, « *cibum e flamma petere,* » quo usi sunt Terentius, Eun. 491 ; et Catullus LIX, 4, devolutum ex igne prosequens panem.

XXIII. Nonius : *Inducere*, instituere, confirmare.

XXIV. Nonius : *Appellare*, est familiariter respondere.

XXV. Nonius : *Maltas* Veteres appellari voluerunt molles, a græco quasi μαλακούς.

XXVI. Nonius : *Adjutatur*, pro : adjutat.

XXVII. Nonius : *Collus*, mascul.

XXVIII.

Consilium patriæ, legumque oriundu' rogator.

XXIX.

Certa sunt sine detrimento, quæ inter se commodent.

XXX.

Si facies præstat facie, si corpore corpus.

XXXI.

Parcant illi magis cui possint, cui fidem esse existiment.

XXXII.

. . . . . Quum sciam
Nihil esse in vita proprium mortali datum.

XXXIII.

Fuimus pernices, æternum id nobis sperantes fore.

XXXIV.

Lignum cædat, pensum faciat, ædeis verrat, vapulet.

XXXV.

Si tamen hoc ad te non redivit, hoc carebis commodo.

XXXVI.

Trado ergo alias minimo porro, quod mihi constat carius.

generis. Idem : *Cernuus* dicitur, proprie inclinatus, quasi quod terram cernat.

XXVIII. Nonius : *Rogare*, instituere, et usurpata vox est, *legem rogare*.

XXIX. Nonius : *Commodare*, est mutuare.

XXX. Nonius : *Præstare*, antecellere.

XXXI. Nonius : *Parcere*, servare.

XXXII. Nonius : *Proprium*, perpetuum.

XXXIII. Nonius : *Pernix* significat *celer*.

XXXIV. Non. *Cædere*, excidere. Idem : *Verrere*, mundare. Plautus, Merc. II, 3, 62 : « Nihil opus nobis ancilla, nisi quæ texat, quæ molat, Lignum cædat, pensum faciat, ædes verrat, *vapulet*. » Unde hæc apparent a Plauto deprompta.

XXXV. Nonius : *Redire* manifestam habet significantiam.

XXXVI. Nonius : *Constat*, valet, consistit.

XXXVII.

Metuo ut fieri possit; egoque ab Archilocho excido.

XXXVIII.

Quam non solum devorare se omnia ac deverrere.

XXXIX.

Jam qua tempestate vivo certo fine ad me recipio.

XL.

Et si maxume, quod spero, mutuum hoc mecum facis.

XLI.

Primum, qua virtute servitutem excluserit.

XLII.

Quanti vellet, quam canicis a pulte et maconis manu.

XLIII.

At metuis porro aspectu et forma capiare.

Altera.

XLIV.

Re in secunda tollere animos, et in mala demittere.

XLV.

Rerum explicatorem mittam, miserum mendicum petam.

XXXVII. Nonius: *Excidere*, dissentire. Allusit Lucilius ad versus Archilochi, qui apud Stobæum reperiuntur in tractatu de spe:

Χρημάτων ἄελπτον οὐδέν ἐστιν. Οὐ δ' ἀπώμοτον,
Οὐδὲ θαυμάσιον, ἐπειδὴ Ζεὺς πατὴρ ἁλυμπίων
Ἐκ μεσημβρίας ἔθηκε νύκτ' ἀποκρύψας φάος,
Ἡλίου λάμποντος λυγρὸν δ' ἦλθ' ἐπ' ἀνθρώπους δέος
Ἐκ δέ τοῦ, οὐκ ἄπιστα πάντα καπάλπτα γίγνεται
Ἀνδράσιν.

Dicit ergo Lucilius se vereri quominus fieri nescimus quid possit, nec Archilocho poetæ accedere, qui nihil non credendum ac sperandum affirmet.

XXXVIII. Nonius: *Verrere*, ferire, percutere.

XXXIX. Nonius: *Tempestas* est turbo ventorum.

XL. Nonius: *Mutuum*, pro: mutuo.

XLI. Nonius: *Excludere*, liberare.

XLII. Nonius: *Canicas* Veteres furfures esse voluerunt.

XLIII. Nonius: *Capere*, decipere, circumvenire.

XLIV. Nonius: *Demissum*, humile, miserandum, abjectum.

XLV. Nonius: *Petere*, sequi.

XLVI.

Ego enim a pueritia, ut me amare expediat.

XLVII.

Viginti domi, an triginta, vel centum cibicidas alas.

XLVIII.

Idola atque atomos vincere Epicuri volam.

XLIX.

Hymnis velim te id, quod verum est, credere.

L.

In re jactanda ipsa ridicula id atque assederet.

EX LIBRO XXVIII SATIRARUM.

I.

Concedat homini id, quod vult, deliniat,
Corrumpat prorsus, ac nervos omnes eligat.

II.

Orationem facere compendi potest;
Solvi dum salvo in tergo, et tergi non licet.

XLVI. Nonius : *Expedire*, utile esse. Vetus Codex : « *Ego enim aut pueritiam, aut me amare expediat dictis.* »

XLVII. Nonius : *Cibicidas*. Lex trochaici versus postulat *cibidas*, id est, voraces, qui cibum cædant et absumant. Gloss. *civicida*, σκατοφάγος; legendum, *cibicida*, σιτοφάγος, vel potius σαρκοφάγος.

XLVIII. *Idola*, etc. J. Scaliger ad eulicem Virgilii: « Lucilius, quia suo tempore Romani, quomodo εἴδωλον latine dicerent non habebant, græcam vocem usurpavit. » Nonius : *Volam*, pro : *velim*.

XLIX. Nonius : *Credere* est fidem habere dictis vel factis.

L. Nonius : *Jactare*, ambitiosius gloriari.

I. Nonius : *Concedere*, dare vel promittere. Idem : *Eligere*, defatigare.

II. Nonius : *Terga*, dorsa.

III.

Polemon et amavit Cratem, et huic transmisit suam scholam, quam ducunt.

IV.

Quapropter certum est facere contra et persequi,
Et nomen deferre hominis.

V.

Omnia viscatis manibus leget, omnia sumet,
Crede mihi, presse auferet omnis.

VI.

Ut si progeniem antiquam, qua est Maximu' Quinctus,
Qua varicosu' vatrax.

VII.

. . . . . Sospitat,
Impertit salutem plurimam, et plenissimam.

VIII.

Doctior cæteris isasamitis mutes aliquo tecum sacra facta vitia.

III. Nonius : *Transmittere*, tradere, derelinquere. — Ea est Petri Victorii emendatio : « *Polemon et amavit, et post mortem huic transmisit suam scholam, quam dicunt.* » —Polemo, insignis Græciæ philosophus, natus est prope Athenas ; in juventute voluptates consectatus est : sed aliquando e compotationibus Xenocratis philosophi ingressus scholam, adeo sermone, quem tunc de intemperantia hic philosophus habebat, permotus fuit, ut ab hoc momento libidinosis voluptatibus omnino se se abstinuerit. Xenocrati successit in regenda schola. Ipse senior factus scholam transmisit Crateti, ipsius discipulo; quod confirmat ex Laertio : « Καὶ ἀκροατὴς ἅμα καὶ ἐρώμενος Πολέμωνος, ἀλλά καὶ διαδέξατο τὴν σχολὴν αὐτοῦ. » Mortuus est Polemon circiter anno 272, a. J. C. Ed.

IV. Nonius : *Deferre*, celatum prodere.

V. Nonius : *Legere*, surripere. Idem : *Sumere* est accipere, tollere.

VI. Nonius : *Vatrax* et *vatricosus*, pedibus vitiosis.

VII. Nonius : *Impertit*. Festus : « *Sospitare* est bona spe afficere, aut bonam spem non fallere. »

VIII. Nonius : *Mutare*, transferre.

IX.

Socraticum quid ante tyranno misisse Aristippum autumant.

X.

Concedere unum, atque in eo dicere, quo superatur manus.

XI.

Vel si alio opus sit forte, si hinc aliquo cesseris.

XII.

Hinc ad me, hinc licet anus rursum ad armillum.

XIII.

Minitari aperte capitis dicturum diem.

XIV.

Nullo honore, defletu', nullo funere.

XV.

Quum cognoveris, vitam sine cura exigas.

XVI.

Summittas alios, si quos possis censeas.

XVII.

Ne hoc faciat, atque ex hac ærumna exeatis.

IX. Nonius: *Autumare* est dicere.

X. Nonius: *Concedere*, credere vel consentire.

XI. Nonius: *Cedere*, recedere.

XII. Nonius: *Armillum*. Apuleius lib. VI, Metam. « Interea Cupido nimio amore peresus, et ægra facie matris suæ repentinam sobrietatem pertimescens, ad *armile* redit. » Ubi mutandum *armillum* pro *armile* existimat Dousa; ex hoc Lucilii et altero Apuleii loco, lib. IX: « Tamen altius commota atque exasperata, ad *armillum* revertit, et ad familiares feminarum artes accenditur. » Et quoque Varro, de Vita Pop. Rom. lib. I: « Item *armillum*, quod est urceoli genus vinarii. » Et Festus: « *Armillum* vas vinarium in sacris dictum, quod armo, id est humero deportetur. » Glossæ Isidori: « *Armillum* crater, vas vinarium. »

XIII. Nonius: *Dicere*, denuntiare.

XIV. Nonius: *Honor*, sepultura.

XV. Nonius: *Exigere*, significat agere.

XVI. Nonius: *Summittere*, subdere, supponere.

XVII. Nonius: *Exire*, evadere, liberari.

XVIII.

Quid me fiet, siquidem non vis te improbis committere.

XIX.

Commovet se nusquam, neque committet, ut pereat sibi.

XX.

Hic tum conventus, tela, insidiasque locavi.

XXI.

Piscium magnam, atque altilium vim interfecisti, ut nego.

XXII.

Adde eodem tristis ac severus philosophus.

XXIII.

Cæde ostium, gnate, urge; restant; periimus.

XXIV.

Agite, agite fures, mendacia argutamini.

XXV.

Sed fuga fingitur, timido vadit pede percitus.

XXVI.

Quid sic balistas jactas centenarias?

XXVII.

Primo redundat aurum, ac thesauri patent.

XVIII. Nonius: *Committere*, conjungere, sociare.

XIX. Non. *Committere*, facere.

XX. Nonius: *Convenire*, interpellare. Idem: *Locare* parare. Vetus liber: « *Tale, insidiæque*, » forsan esset legendum: « *Tela insidiæque locari.* »

XXI. Nonius: *Interficere*, consumere. — *Piscium magnam*, etc. Sallustius in Fragm. « Itaque tempestate piscium vis ponto erupit, etc. »

XXII. Nonius: *Tristis*, doctus.

XXIII. Nonius: *Cædere*, frangere. Idem: *Urgere*, insistere. Ἀναγνωστέον legendum, *gnave, urge* pro: *gnaviter. Restant* autem pro: *resistunt.* Sic Propertius, lib. III: « Dum vincunt Danai, dum restat barbarus Hector. » Et Ovidius II, vs. 749. Fastor. « Post modo victa cades: melioribus, Ardea, restas. »

XXIV. Nonius: *Argutum*, audax, malitiosum.

XXV. Nonius: *Fingere*, parare.

XXVI. Nonius: *Balistæ*, quibus saxa majora et graviora jaciuntur.—*Balistas centenarias.* Quæ saxa centum pondo jaciebantur, ut vult Turnebus Advers. lib. XXIII, cap. 23; et hoc innuitur per vocem *centenarias.*

XXVII. Nonius: *Redundare*, abundare, superesse.

XXVIII.

Persuade, et transi, vel da, quamobrem transeas.

XXIX.

Puer præterea nostris qui subeant jubet.

XXX.

Malo, hercle, vestro confectores cardinum.

XXXI.

Lucilius si in amore irritarit suo.

XXXII.

Utrum anno, an horno te abstuleris a viro.

XXXIII.

Anno vertente, dies tetri, miseri, ac religiosi.

XXXIV.

Præterea hæc subsiciva si quando voles operam.

XXXV.

Vitam, ac fortunas cui crediderim meas.

XXXVI.

Cui sæpe imposui mille plagarum in diem.

XXVIII Nonius : *Da*, dic.

XXIX. Nonius : *Subire* significat ingredi.

XXX. Nonius : *Conficere*, frangere. Pro : *cardinum*, legendum censet Dousa, *carnium*. Conficere carnes est absumere. Sic Lucilius in lib. IV, fragm. 3 : « *Et carnaria furtim patrum conficeret.* » Varro, Meleagris : « Funus exsequiali cum lesso ad sepulcrum antiquo more silicernium confecimus. « Cicero Papirio Pœto : « Plures jam pavones confeci, quam tu pullos columbinos. »

XXXI. Nonius : *Irritare* dictum est proprie provocare. Tractum a canibus, qui quum provocantur, irruunt.

XXXII. Nonius : *Hornum* ipsius anni. — *Utrum anno* pro : *pridem*. Plautus in prol. Amphit. 91 : « Etiam histriones anno quum in proscenio hic Jovem invocarunt, venit. »

XXXIII. Nonius : *Religiosi* dies infames dicuntur et infausti.

XXXIV. Nonius : *Subsicivum*, secundum, sequens.

XXXV. Nonius : *Credere*, fidei committere.

XXXVI. Non. Genitivus casus positus pro accusativo. — Eodem sensu Petronius : « Itaque ut tutela navis expiaretur, placuit quadragenas utrisque plagas imponi. » Et Propertius, l. IV : « Imponitque notam collo, morsuque cruentat. » Cui consimile illud Lucilii libro seq. fragm. 4 : « *Apollo est nomen, qui te antiquis non sinet Deliciis maculam atque ignominiam imponere.* »

XXXVII.

Sarcinatorem esse summum, suere centonem optume.

XXXVIII.

Tanti tempori' se montes et fœdera tollent.

XXXIX.

Verum tu quid agis? interpella me, ut sciam.

XL.

Prospiciendum ergo in senecta, nunc adolescentia est.

XLI.

In medium Chremes, in summum ire Dæmenetus.

XLII.

Aquam te in animo habere intercutem.

XLIII.

Quare pro facie, pro statura status.

XLIV.

. . . . Quæque aspectu sunt spurca et odore.

XXXVII. Nonius : *Sarcinator*, sutor. Cato, de Re Rust. cap. II : « Centones cuculliones familiam oportuisse sibi sarcire. »

XXXVIII. Nonius : *Tollere* est elevare. Hanc veram lectionem suspicatur Jos. Scaliger. *Tempus* pro *tempestate* aliquando Veteres dicebant. Rutilius, lib. I : « Dumque procellosi temporis ira cadit. » *Fœdus* est *fœditas* Jurisconsulto : « Mulier quæ se in tantum fœdus dederit. » Fœdas et spurcas tempestates Veteres dicebant. Cæterum Dousa pater hæc pristinæ integritati restituenda putabat : « *Tanti se tempestatis montes ad sidera tollunt.* » Subscribente Ovidio in Tristibus I, 2, 26 : « Me miserum, quanti montes volvuntur aquarum! Jamjam tacturos sidera summa putes. » In veteri vero libro Nonii longe aliter exstabat : « *Tutius et tenerent mortes et fœdera tollent.* » Unde Paulus Merula emendabat : « *Tutius intentent mortes et fœdera tollant.* » De quo consule ipsum ad Annales Ennii.

XXXIX. Nonius : *Interpellare*, dicere, ducere.

XL. Nonius : *Senecta*, pro : senectute.

XLI. Non. *Ire* est ambulare. Rectissime J. Lipsius : « *In summum ire Dæmenetus.* » Ut dixerit Lucilius : Chremes ille Terentii in filio indulgendo medium tenuit. Dæmenetus Plauti modum excessit. Notum ex Asinaria quomodo ille senex filium tantum non ad lustra et meretrices deducat.

XLII. Nonius : *Aqua intercus* hydropum morbus : quasi aqua inter cutem.

XLIII. Nonius : *Statura*, gener. femin.

XLIV. Non. *Spurcum*, fœtidum.

XLV.

Fulmentas eis atque æneis subcudere.

XLVI.

Nec par vocat ullo pretio.

XLVII.

Conjice te intro, ac bono animo es.

XLVIII.

Nihil parvi ac pensi, uti litera doceas lutum.

XLIX.

Hymnis ego animum sic induco, quod tu ab insano auferas.

EX LIBRO XXIX SATIRARUM.

I.

. . . . . Hoc quum feceris,
Cum cæteris reus una tradetur Lupo:
Non aderit: ἄρχαις hominem et στοιχείοις simul
Privabit; quum igni et aqua interdixerit, duo
Στοιχεῖα habet, id maluerit: privabit tamen.

XLV. Nonius: *Fulmenta*, feminino genere. Casaubonus restituit: « Fulmentas, clavis æneis subcudere; » quod plane est Græcorum ἐγκρούειν, vel ἐγκέπτειν, et referendum ad morem Romanorum, quo clavis æneis suppingebant calceos sibi.

XLVI. Nonius: *Pretium* dicitur quod re empta datur.

XLVII. Nonius: *Es*, pro: esto.

XLVIII. Nonius: *Pensum* significat exæquatum, quod sine inclinatione sunt, quæ penduntur. Secundum Turnebum dicendum *lutum* pro lutulentis hominibus; quomodo et cœnum pro cœnosis et turpissimis. Plautus, Persa, III, 3, 2: « Eho! lutum lenonium, Commixtum cœnum, sterquilinium publicum. »

XLIX. Nonius: *Inducere*, persuadere.

I. Probus, in Virgilii eclog. VI: « Si ergo cælum pro igni acceperimus, superest in eo quod ait: *Spiritus intus alit*, aerem dictum præsumamus. Hic est etiam qui nobis vivendi spiritum ac commeatum largitur. Hoc illum et Ennius appellavit in Annalibus: item Lucilius in XXIX Satirarum: *hoc quum feceris*, etc. »

II.

Habeasque animo mihi admodum caussam gravem
Fore, quæ me ab ullo commodo abducat tuo.

III.

Qui mihi quantum est inter humanum genus
Rerum, quod inter se conjungat, communicat.

IV.

Apollo' st nomen, qui te antiquis non sinet
Deliciis maculam atque ignominiam imponere.

V.

Dejerat enim scripsisse, et post non scripturum redi in consortionem.

VI.

Si Socrates in amore, et in adolescentulis meliore paulo facie signat, nihilque amaret.

VII.

Et amabat omnes : nam discrimen non facit, neque signat linea alba.

VIII.

. . . . . Tu quid iræ indulges nimis?
Manus a muliere abstinere melius est.

II. Nonius : *Grave*, necessarium. Egregie his versibus præmitti possit ille, qui paulo post sequitur, in fragm. XL : « *Favitorem me tibi, amicum, amatorem putes.* »

III. Nonius : *Conjungere*, copulare, dictum est á jugo.

IV. Nonius : *Ignominia* est nominis nota.

V. Nonius : *Consortio*, feminin.

VI. Nonius : *Signare* est designare, ostendere. Aristæneti editor quidam hæc cum sequenti loco jungenda atque ad hunc modum legenda censet : « *Et amabat omnes : nam ut discrimen non facit, neque signat linea alba, sic Socrates in amore, et in adolescentulis meliore paulo facie signat nihil quod amaret.* » Est enim ex Platonis Charmide, in quo Socrates ait se erga formosos adolescentes perinde esse, ut λευκὴ στοιβὴ ἐν τῷ λευκῷ λίθῳ, propterea quod non discerneret inter formosos, sed omnes ex æquo amaret.

VII. Nonius : *Discrimen*, separatio, a discernendo. Idem : *Signare*, discernere, separare.

VIII. Nonius : *Indulgere*, augere.

IX.

Prius non tollas, quam Tullî animum ex nomine,
Atque hominem ipsum interfeceris.

X.

Amicos hodie cum improbo illo audivimus
Lucilio advocasse.

XI.

Præterea ut nostris animos attendere dictis,
Atque adhibere velis.

XII.

Hîc corpus solidum invenies, hîc stare papillas
Pectore marmoreo.

XIII.

Sic, inquam, veteratorem illum, vetulum lupum
Annibalem acceptum.

XIV.

At non sunt similes, neque dant: quid, si dare vellent;
Acciperesne? doce.

XV.

Cum manicis, catulo, collarique, ut fugitivum
Deportem.

IX. Nonius: *Interficere*, occidere. Sic doctissimus emendabat Lipsius: «*Prius non tollas quam Tullium ex nomine atque omine ipsum interfeceris.*» Putatque versus trimetros factos in persona Tulliæ, quæ Tarquinium maritum stimulaverit ad necem Servii Tullii: quem illa ex nomine atque omine interfici vult; quia Tullius a tollendo. Cæterum aliquanto sequius in libro veteri exstabat, ad hanc faciem: «*Prius non tollas, quem tuli animum ex nomine, at hominem ipsum interfeceris.*»

X. Nonius: *Advocasse*, provocasse.

XI. Non. *Attendere*, intendere.

XII. Nonius: *Stare*, erigi, prominere.

XIII. Nonius: *Accipere*, decipere. Had. Turnebus vetulum lupum pro homine veteratore et rapaci positum arbitratur; sed videndum annon potius de P. Rutilio Lupo jam sæpius a Lucilii famosis carminibus proscisso accipi debeat.

XIV. Nonius: *Docere*, dicere.

XV. Nonius: *Collare*, est vinculi genus, quo collum adstringitur.

XVI.

Quiete poscente minus, et præbent rectius multo,
Et sine flagitio.

XVII.

Si retinere hunc voles, si longius te producturum, et diutius.

XVIII.

Cohibet et domi mœstus se Albinus; repudium quod filiæ remisit.

XIX.

. . . . . Ventrem alienum
Mœstum fovere ex molito hordeo, uti cataplasmo.

XX.

Certum scio esse ita, ut dicis : nam mihi erant de illo explorata omnia.

XXI.

Ætatem tibi istuc laturam, et bellum, si hoc bellum putat.

XXII.

Primum ex advorso, si quod est cœnaculum
Quo recipiat te.

XXIII.

. . . . . Gymnasioque
Ut schema antiquo spectatores retineres.

XVI. Nonius : *Flagitium*, periculum.

XVII. Nonius : *Producere*, dicitur longius ducere.

XVIII. Nonius : *Mœstum*, triste, miserandum. Idem : *Remissum*, missum.

XIX. Nonius : *Mœstum*, enectum fame. Idem : *Fovere*, est nutrire, provehere. *Fovere ventrem* pro alimentis et cibis replere (ut putat, sagax inquisitor, Had. Turnebus) a fomentis medicorum atque adeo cataplasmis, translatione eruditissime ducta, non sine satirico sale; vilitatem tamen polentæ elevans lusorie, quasi polenta non tam cibus sit, quam cataplasma quoddam.

XX. Nonius : *Explorare*, probare.

XXI. Nonius : *Bellum*, melius, elegans, prudens.

XXII. Nonius : *Recipere*, revocare.

XXIII. Nonius : *Schema*, neutro genere.

XXIV.

. . . . . Ubi erat scopus
Ejicere istum abs te, quam primum et perdere amorem.

XXV.

Hic me ubi videt, subblanditur, palpatur, caput scabit, pedes legit.

XXVI.

Quid mihi proderit, quem satias jam omnium rerum tenet?

XXVII.

Nunc tu contra venis, vel qui in nuptiis, vel se seneces, nec sine pernicie.

XXVIII.

Perge amabo; ac, si potes, face dignam me ut vobis putem.

XXIX.

Hoc invenisset unum ad morbum homini illum vel bellissimum.

XXX.

Hæc est ratio : perversa æra : summa et subducta improbe.

XXIV. Nonius : *Ejectum*, exclusum.

XXV. Non. *Palpatur*, pro : palpat. Festus : *Pedes* dicuntur, quos diminutive dicimus pediculos. « *Hic me ubi*, etc. Ita hæc in duo fragmenta perperam divisa partim ex Nonio, partim ex Festo in integrum restituimus : nam apud Festum legitur : « *Hic me ubi videt, subblanditur, palpatur, caput scabit;* » et apud Nonium : « *Ubi me videt, caput scabit, pedes legit.* » Ita alterum alterius ope supplevimus, et ita legendum hoc fragmentum dedimus.

XXVI. Nonius : *Satias*, pro : satietas.

XXVII. Nonius : *Pernicies*, periculum, exitium.

XXVIII. Nonius : *Putare*, æstimare.

XXIX. Nonius : *Vel*, pro : etiam. Arbitratur Dousa Lucilium scripsisse : « *Ad morbum homini ilium vel bellissimum.* » *Ilius* vel *ileus* gravissimus periculosissimusque tenuioris intestini morbus.

XXX. Nonius : *Æra*, numeri nota. Hæc est Scaligeri lectio : « *Hæc est ratio perversa; æra summæ subducta improbe;* » et addit idem; Veteres illos, qui pure loquuti sunt, partes assis et cujuslibet integri numerarii æra vocasse : qua-

XXXI.

Eodem uno hi modo rationes subducent suas.

XXXII.

Age nunc summam sumptus ducatque æris simul atque alieni.

XXXIII.

Tyroneo et non mortifero affectus vomica, et vulnere.

XXXIV.

Magno, et non magna mercede, magno quidem conduxeris.

XXXV.

In mellis spem esse omnem, quovis possem emungi volo.

XXXVI.

Non rediret ad se, atque illam exterminaret miseram.

XXXVII.

Nato quid actum est? depilati omnes sumus.

XXXVIII.

Dividant, differant, dissipent, distrahant.

les sint sextulæ, unciæ, silici, et cæteræ minimæ assis partes, quæ minutiæ vocantur, ex quibus scilicet summam conficiunt; unde æra summæ dicunt, quasi μέρη τοῦ ὅλου.

XXXI. Nonius : *Subducere*, supputare. Veteri in libro legitur : « *Eodem uno hic modo rationes subducet suas.* »

XXXII. Nonius : *Ducere*, volvere, pertrectare.

XXXIII. Nonius : *Vomica*, concava loca, vetustate exesa. Haud absurde Dousa pater legendum proponebat *Chironeo* pro *Tyroneo;* ut Chironium vulnus pro medicabili et non lethali dixerit Lucilius, contra quam observatum jam a doctis, nisi quis potius ita rescribendum asserat : « *Chironio, nec non mortifero.* »

XXXIV. Nonius : *Conducere*, est sicuti usu.

XXXV. Nonius : *Emungi*, manifesta significatione manat.

XXXVI. Nonius : *Exterminatum*, est extra terminos missum.

XXXVII. Nonius : *Depilati*, dictum rarefacti.

XXXVIII. Nonius : *Distrahere*, est vendere. Sic Ennius : « Disperge hostes, distrahe, diduc, divide, differ. »

XXXIX.

Colligere auxilium, tametsi est indignum ut feram.

XL.

Favitorem me tibi, amicum, amatorem putes.

XLI.

Ut nunc hac re mihi opem atque auxilium offeras.

XLII.

Vos interea lumen auferte, atque aulæa obducite.

XLIII.

Quod te intromisi, gratiam referat mihi.

XLIV.

Tum illud epiphoni, quod etiam tum nobile est.

XLV.

Crus lapide, nihil est, credam, si te offenderit.

XLVI.

Nemo hos ancipites ferro effringat cardines.

XLVII.

Vecte atque ancipiti ferro effringam cardines.

XLVIII.

Hyemem unamquamque carpam.

XXXIX. Nonius : *Ferre*, adferre. Legendum monuit Passeratius : « *College auxilium, tamen etsi indignum feramus.* » Docuitque idem ea verba fuisse Fabii Dictatoris, incauto equitum magistro, Minutio, auxilium ferentis.

XL. Nonius : *Favitorem*, fautorem. Glossæ Isidori : *Favitor, fautor.* Plautus, Amphitr. Prol. 79 : « Sat habet *favitorum* semper, qui recte facit. » Et non multo ante, 67 : « Si cui *favitores* delegatos viderint, ut his in cavea pignus capiantur togæ. » Hinc notandus crassus Charisii error : Fautor antiqui dixerunt, at *Favitor* nec auctoritate nec ratione dicitur.

XLI. Nonius : *Offerre*, adferre.

XLII. Nonius : *Obducere*, aperire.

XLIII. Nonius : *Referre*, reddere.

XLIV. Nonius : *Nobilis* dicitur et notus. Sententiam aut proverbium aliquod memorabile jubet succinere.

XLV. Nonius : *Offendere*, est percutere.

XLVI. Nonius : *Anceps*, duplex.

XLVII. Nonius : *Anceps*, acutum ex utraque parte.

XLVIII. Nonius : *Carpere*, celeriter præterire.

XLIX.

Pluteos excutit, tectaque et testudines reddit.

L.

Adde alios omnes meo periclo ex ordine.

LI.

Paulisper cui me dem, edet hæc se, ut polypus ipsa.

LII.

Surge, mulier, ducito filum non malum.

LIII.

Quum ipsi in locum descendant, quum alios detrahant.

LIV.

Huc, alio quum iter haberet, præteriens venit.

LV.

Quid? quas partiret ipse pro doctrina boni?

LVI.

Ut si quod concupisset, non aptus.

LVII.

Nec ventorum flamina flando suda secundent.

LVIII.

Unde domum vix redeat, vixque hoc exuat se.

LIX.

Urget gravedo sæpius culpa tua.

XLIX. Nonius : *Reddere*, facere. — *Tect. q. et testud.* Ἐν διὰ δυοῖν. Pro tectos testudines.

L. Nonius : *Periculum*, est salutis discrimen.

LI. Nonius : *Polypus*, generis feminini. Doctus Scaliger ita putat distingui posse adversus Nonii sententiam : « *Paulisper comedens edet hæc se, ut polypus, ipsa.* » Hoc est : hæc comedens se paulisper edet se ipsa, ut *polypus*. Sic Alcæus apud Athenæum : Εδωδ' ἐμαυτὸν, ὡς πωλύπους.

LII. Nonius : *Filum*, oris lineamentum.

LIII. Non. *Detrahere*, extrahere.

LIV. Nonius : *Habere*, dirigere.

LV. Nonius: *Partiret*, pro : partiretur.

LVI. Nonius : *Aptus*, significat adeptus.

LVII. Nonius : *Sudum* dicitur, quasi semiudum, ut est aer post pluvias serenus et liquidus.

LVIII. Nonius : *Exui*, liberari.

LIX. Nonius : *Urgere*, est premere, cogere.

LX.

Deletionem nostri ad unum exercitus.

LXI.

Detrusus tota, vi dejectusque Italia.

LXII.

Hoc tum ille habebat, et fere omnem Apuliam.

LXIII.

Utrum tristis contorto aliquo ex Pacuviano exordio.

LXIV.

Deum rixa vertat verba obscœna.

LXV.

Habes omnem rem : timeo ne accuser.

LXVI.

Insulta miserum te quoque in me.

LXVII.

Primum Chrysi quum negat signatam reddere.

LXVIII.

Supplantare aiunt, Græci ὑποσκελίζειν dicunt.

LXIX.

Dissociat atque omnia, ac nefantia.

LXX.

Quis tu homo es ? Nemo sum homo.

LX. Nonius : *Deletio.*

LXI. Non. *Dejicere*, præcipitare.

LXII. Nonius : *Habere*, tenere, occupare. Apulia, Italiæ regio, inclusa inter Apenninum et Adriaticum mare. Ed.

LXIII. Nonius : *Exordium*, est initium.

LXIV. Non. *Obscœnum*, vitabile.

LXV. Nonius : *Habere*, audire.

LXVI. Nonius : *Insultare*, injuriosius aliquid dicere.

LXVII. Nonius : *Signatam*, integram virginem vetustas voluit dicere. Ibi de Chryseide loqui vult Lucilius ; cf. Homeri Iliad. lib. I.

LXVIII. *Supplantare* dictum est, quasi pedem supponere.

LXIX. Nonius : *Nefantia*, pro : nefanda. Totum hunc locum sumpsit a Lucilio Varro : Σκιαμαχίᾳ περὶ τύφου : « Ego, inquit Varro, eam suppetias, quæ tunc mihi nec res, nec ratio est *dissociat atque omnia nefantia.* »

LXX. Charisius, lib. I : « *Nemo* in homine proprium est ; quia significat, *ne homo.* Antiqui et pro

EX LIBRO XXX SATIRARUM.

I.

Illo quid fiat Lamia, et Pytho oxyodontes,
Quod veniunt genuæ illæ, vetulæ, improbæ, ineptæ.

II.

. . . . . Leonem
Ægrotum ac lassum.

III.

Deducta tunc voce leo : cur tu ipsa venire
Non vis huc?

IV.

Quid sibi vult? quare fit? ut intro versus, et ad te
Spectent, atque ferant vestigia se omnia prorsus.

V.

Scito etenim bene longinquum mortalibu' morbum
In vino esse, ubi qui invitavit dapsilius se.

nullo posuerunt; ideoque *nemo* dicentes quasi minus significarent, et *homo* addebant, ut Terent. Numquis hic me sequitur? *Nemo homo est.* Et Lucilius, XXIX, *nemo est.* Ideo dixit; *Quis tu homo es? Nemo sum homo.* »

I. Nonius : *Genuæ*, gulosi. Oxyodontas vocavit, ut docet Scaliger ad Varronem, propterea quod magnos dentes et voracitatem attribuebant nocturnis istis terriculamentis; quo nomine factum ut *Lamiam* puerorum infantium deglutricem fingerent.

II. Nonius : *Lassum* dicitur fatigatum. Expressit Lucilius apologum leonis cubantis in morbo, et omnia animalia, sola vulpe exceptа, ad se allicientis. Hoc fragmentum cum duobus proxime sequentibus ligandum videtur, quod Horatius imitatus est, lib. I, epist. 1.

III. Nonius : *Deductum*, diminutum, suppressum.

IV. Nonius : *Spectare*, dirigere. Idem : *Ferre*, dirigere, ducere. Verba vulpeculæ simulationem ac insidias leonis sentientis Horatius, lib. I, epl. I, vs. 73, sic imitatum fuisse apparet :

Olim quod vulpes ægroto cauta leoni
Respondit, referam : quia me vestigia terrent
Omnia te adversum spectantia, nulla retrorsum.

Porphyrion hæc Luciliana esse observat.

V. Non. *Invitare* significat repleri.

VI.

Cui vultu ac facie, ludo, ac sermonibu' nostris
Virginis hoc pretium, atque hunc reddamus honorem.

VII.

Tune jugo jungas me ante? et succedere aratro
Invitum, et glebas subigas proscindere ferro?

VIII.

Continuo, simul ac paullo vehementius aura
Inflarit, fluctus erexerit; extuleritque.

IX.

Omnia tumendo mucro videas fervente micare.

X.

. . . . . An ego te acrem atque animosam,
Thessalam ut indomitam frenis subigam ante domemque
Bellando.

XI.

Aut quum iter est aliquo, et caussam commentavi,
Ut apud aurificem, ad matrem, cognatam, ad amicam.

XII.

Improbior multo, quam de quo diximus ante:
Quanto blandior, hoc tanto vehementiu' mordet.

VI. Nonius: *Pretium*, pro: præmio. Idem: *Honor*, præmium.

VII. Nonius: *Subigere*, cogere.

VIII. Nonius: Efferre, erigere, levare.

IX. Nonius: *Micare*, per vices sine ordine movere. Ita libri veteres, et agnoscit Turnebus, qui μοχὸν pro penetrali usurpasse Lucilium autumat: nisi quis putet unum verbum græcum esse ἐνδομύχῳ.

X. Nonius: *Anima* iterum significat iracundum, vel furiosum: unde et animosi dicuntur iracundi. Idem: *Subigere*, mollire vel exercere. — *Thessalam ut*, etc. Thessalia erat regio pascuis ditissima, ubi alebantur permulti equi, maximo qui erant in pretio propter velocitatem et formarum pulchritudinem; oraculum enim vetus: Ἵππον Θεσσαλικὴν, Λακεδαιμονίαντε γυναῖκα. Ed.

XI. Nonius: *Apud*, ad. — Sic Juven. Sat. VI, vs. 464:

Ad mœchum veniet lota cute: quando videri
Vult formosa domi? mœchis foliata parantur.

XII. Nonius: *Improbum*, sævum.

XIII.

Qui non exspectans, spectandi studio, sed hominis tetri impulsu ingressus.

XIV.

Sperans ætate eamdem hæc proferre potesset
Mansum ex ore daturum.

XV.

. . . . . Sic ubi ab aureis
Fama tuam pugnam claram allatam dicasset.

XVI.

. . . . . Curare domi sint
Gerdius, ancillæ, pueri, zonariu', textor.

XVII.

Cui ubi deciminutia meæ epitegina appepeli longe opera ante alia omnia.

XVIII.

Quin totum purges, debelles me atque deaures, exsultes, sollicites.

XIX.

Maximu' si argenti sexcentum, ac mille reliquit
Imberbi androgyni, barbato mœchocinædo.

XIII. Nonius : *Tetrum* dicitur illuviosum, fœtidum. Janus Guillelmius putat poetam hæc de vulpe virili genere loquutum, more sui sæculi.

XIV. Nonius : *Mansum*, mandendum aut mansatum. Dousa ita scribendum proponit hoc fragmentum : « *Sperans ætatem si eadem hæc perferre potisset.* »

XV. Non. *Dicare*, indicare, nuntiare. Justus Lipsius : « *Pugnam claram alata dicasset.* » *Clarare*, ut, *clarabit pugilem*, apud Horatium. *Alata* fama a celeritate, ut *alata* verba.

XVI. Nonius : *Gerdius*. Glossarium γέρδιος ὑφαντής, textor. Idem : γερδία, *textrix*.

XVII. Nonius : *Longe*, etiam valde.

XVIII. Nonius : *Exsultare*, est gestu, vel dictu injuriam facere, eodem fere sensu quo *insultare*.

XIX. Nonius : *Sexcentum*, pro : sexcentorum. Idem : *Imberbi*, pro : imberbo. Hæc divulsa restituit Scaliger. *Mœchochinædus*, ita vocabatur apud Romanos, adolescens libidinosus ; sicuti *mœcha* vocabatur femina in libidines effusa. Ed.

XX.

Quid vero est, centum ac ducentum possideas si Millium?

XXI.

Omnia alia, in quibus efferimur rebus, ne ego multis loquar.

XXII.

. . . . . Quid quærimus acre
Inductum cantu, custoditum.

XXIII.

Hic ut muscipula contenta, ut scorpiu' cauda Sublata.

XXIV.

Quantasque modo ærumnas, quantosque labores Exanclaris.

XXV.

. . . . . Ut pecudem te asinumque, ut denique nasci Præstiterit.

XXVI.

Hic in stercore humi, fabulisque, fimo, atque sucerdis.

XXVII.

Deblaterat plenus, bonu' rusticu' concinit una.

XX. Nonius: *Ducentum*, pro: ducentorum.

XXI. Nonius: *Efferre*, extollere.

XXII. Nonius: *Induci*, est aliquibus fallaciis decipi.

XXIII. Nonius: *Tenta*, dictum pro: extensa.

XXIV. Nonius: *Exanclare*, etiam significat perpeti. Dousa pater, *quantas quotque modo ærumnas* pro: *quantasque*, etc. non abnuente libro veteri, qui proferebat, *quantas, quoque modo.*

XXV. Nonius: *Præstat*, utile est.

XXVI. Nonius: *Sucerdæ*. Per *fabulum* nihil aliud quam acus fabale intelligi docet Scaliger, ad Varr. de Re Rust. Nam acus fabale in sterquilinium ingeri solitum, ut simul cum aliarum rerum congestitia colluvie putresceret. — *Sucerdis. Sucerda* est suis stercus.

XXVII. Nonius: *Deblaterare*, est obloqui, confingere. Gallice, *faire le hableur.* Ed.

XXVIII.

Quantum haurire animus Musarum e fontibu' gestit.

XXIX.

Et sola ex multis nunc nostra poemata ferri.

XXX.

Nunc, Cai, quoniam incilans nos lædi' vicissim.

XXXI.

Et sua perciperet retro relicta jacere.

XXXII.

Quum me hoc tempore, nugator, cognoscere non vis.

XXXIII.

Summatim tamen experiar rescribere paucis.

XXXIV.

Idque tuis sævis factis, et tristibu' dictis.

XXXV.

Neminis ingenio quemquam confidere oportet.

XXXVI.

Si liceat facere, atque hoc versibu' reddere, quod do.

XXVIII. Nonius : *Haurire*, exhaurire, implere. Id. *Gestire*, cupere.

XXIX. Nonius : *Ferre*, laudare. Propertius : « Hoc verum est tota te ferri, Cynthia, Roma ? »

XXX. Nonius : *Incilare*, est increpare vel improbare. Sat probabiliter suspicatur Dousa Caium Cælium judicem hoc versu peti ; quem eum injuriarum absolvisse qui Lucilium in scena nominatim læserat, indicat auctor Rhetoricæ ad Herennium ; ac fortean eumdem sugillat versu illo, Fragm. LVII : « *Ut semel in* Cœli *pugnos te invaderi vidi.* »

XXXI. Nonius : *Jacet*, sordet, nec lætus est.

XXXII. Nonius : *Nugator*, turbator.

XXXIII. Nonius : *Experiri*, tentare.

XXXIV. Nonius : *Sævum*, durum. Idem : *Triste*, crudele, immite. Sic Ovidius, trist. II, 133 : « *Tristibus* invectus verbis. » — Et Tibullus, IV, 4, 18 : « Si quando fuerit *tristior* illa tibi. »

XXXV. Priscianus, lib. VI : « *Nemo* quoque sive ex hoc compositum, ut quibusdam videtur, seu non, communis est generis, et similiter *o* in *i* convertit in genitivo, ut *nemo*, *neminis*. » Nonius : *Neminis*, positum pro : nullius.

XXXVI. Nonius : *Da*, dic.

XXXVII.

Sicuti te, quia ea, quæ speciem vitæ putamus esse.

XXXVIII.

Secus cum e medio ac ludo bene potu' recessit.

XXXIX.

Calvu' Palatina, vir nobilis, ac bonu' bello.

XL.

Et sævo, ac duro in bello multo optimus hostis.

XLI.

Quod tuas laudes culpas, non proficis hilum.

XLII.

Sed tamen hoc dicas, quid est, si nenu molestum est?

XLIII.

Lanæ opus omne perit, pallor, tineæ omnia cædunt.

XLIV.

Planta una est pedibus cariosis mensulibano.

XLV.

Non datur; admittit nemo; nec vivere ducunt.

XXXVII. Nonius: *Speciem*, specimen vel exemplar.

XXXVIII. Nonius: *Potus*, a bibendo. Festive P. Scriverius: « *Seriu' comœdo e lucto, ac bene potu' recessit.* »

XXXIX. Nonius: *Bonus* et fortis et pius dici potest. *Palatina* subintellige *tribu*; sic Cicero, « Verres Romilia. »

XL. Nonius: *Sævum* dicitur immite. Idem: *Durus*, nocens.

XLI. Nonius: *Hilum*, breve quoddam.

XLII. Nonius: *Nenu*, pro: non. Vetus editio: « *Si nœnon quidem molestum est.* »

XLIII. Nonius: *Cædere*, consumere. Idem: *Pallorem*, vetustatem, negligentiam. Ibi *pallor* pro *squallore* vel *carie* est positum; et, *cædere* aptum verbum ei rei, nam græce κόπτειν.

XLIV. Nonius: *Caries* est vetustas. Legebat Janus Palmerius: « *Planta una est pedibus cariosis, mensu elephanti.* » Nam de uxorum incommodis et mendis feminarum dubio procul Lucilium egisse; inter eas esse quasdam plantas, pedibus morbosis, enormi corpore: quamvis non incommode etiam legi posse videatur, *mensa Libano*, id est cedrina e monte Libano.

XLV. Nonius: *Ducere*, existimare, judicare.

XLVI.

Cuja opera Troginu' calix per castra cluebat.

XLVII.

Gratia habetur utrisque illis quæ sibi quæ simitu.

XLVIII.

Culcitulæ accedunt privæ centonibu' binis.

XLIX.

Quid tu istuc curas, ubi ego oblinar, atque voluter?

L.

Quid servas, quo eam, quid agam? quid id attinet ad te?

LI.

Quid dare, quid sumpti facere, ac præbere potisset.

LII.

Si laqueis, manicis, pedicis mens irretita est.

LIII.

Gaudes, quum de me ista foris sermonibu' differs.

XLVI. Nonius : *Cuja*, pro : cujus. Idem : *Cluet*, nominatur. Quis sit Troginus calix, cujus hoc versu mentio est, disputat Turnebus Adversar. lib. XXIX, cap. 21, an qui ex *trogete* arbore sculptus erat? Sive verius de *Trogi* certi hominis nomine sic appellatus fuerit; nisi quis a *Trocinis* Gallis putet vocari, quos qui accuratiores et diligentiores sunt, *Trocinos* vocant. Had. Junius mutabat in *terginocalix*, a tergendis et exsiccandis calicibus. Facete et verisimile est milites ejusmodi nugatoria cognomenta invicem sibi indidisse, ut in castris moris est : verius emendat Scaliger, putando scribendum esset *terginu' calix*, id est scorteus, ut laudet frugalitatem imperatoris, qui in castris *tergino calice* pro argenteo uteretur.

XLVII. Non. *Simitu*, pro : simul.

XLVIII. Nonius : *Privum* est proprium uniuscujusque.

XLIX. Nonius : *Volutari* dicitur volvi.

L. Nonius : *Servare*, sollicite et suspiciose observare. Hic locus cum superiore versu optime cohærere videtur. Putat Dousa verba esse mariti indignantis ad conjugem, est autem locus non absimilis apud Plautum Menæchmis, I, 2, 6. « Nam quoties foras ire volo, me retines, revocas, Rogitas quo ego eam, quid negotii geram, quam rem agam, Quid petam, quid feram, quid foris egerim? »

LI. Non. *Sumpti*, pro : sumptus.

LII. Nonius : *Manicæ*, quibus manus vinciuntur.

LIII. Nonius : *Differre*, diffamare, divulgare.

LIV.

Et maledicendo multis sermonibu' differs.

LV.

Hæc dum me insimulas, nonne ante in corde volutas?

LVI.

Ipso cum domino calce omnes excutiamus.

LVII.

Ut semel in cæli pugnas te invadere vidi.

LVIII.

Virtutis hæc tuæ artis monumenta locantur.

LIX.

His te versibus interea contentu' teneto.

LX.

Producunt me ad te, tibi me hæc ostendere cogunt.

LXI.

Quanti nos faciant socii, quum parcere possunt.

LXII.

Et virtute tua, et claris conducere chartis.

LXIII.

Quod sua committunt mortali claustra Camœnæ.

LXIV.

Hoc etiam accipe quod dico: nam pertinet ad rem.

LIV. Nonius: *Differre*, dividere, vel scindere.

LV. Nonius: *Volutare*, cogitatione perquirere.

LVI. Nonius: *Excutere*, excludere, dejicere.

LVII. Nonius: *Invadere*, est appetenter incipere.

LVIII. Nonius: *Locare*, constituere.

LIX. Nonius: *Contentus* dicitur, cui res etiam parva abunde est. Pro *contentum*, nominativo usus est pro accusativo.

LX. Nonius: *Producere*, foras ducere.

LXI. Nonius: *Parcere*, est veniam dare.

LXII. Nonius: *Conducere*, convertere.

LXIII. Nonius: *Committere*, credere.

LXIV. Nonius: *Accipere*, audire.

LXV.

Publica lege ut mereas, præsto est tibi Quæstor.

LXVI.

Accipiunt leges, populus quibu' legibus exlex.

LXVII.

Aut operatu' aliquo in celebri cum æqualibu' fano.

LXVIII.

Quem scis scire tuas omnes maculasque, notasque.

LXIX.

Hæc vestimentis maculosis tum aspicit ipse.

LXX.

Quem sumptum facis in lustris, circum oppida lustrans.

LXXI.

Juratam se uni, cui sit data deque dicata.

LXXII.

Præservit, labra delicit, delinit odore.

LXXIII.

Sensu nutricatum sane caput obruit ipse.

LXXIV.

Euplocamo digitis, discerniculumque capillo.

LXV. Nonius : *Meret*, pro : meretur.

LXVI. Nonius : *Exlex* est qui sine lege vivit.

LXVII. Nonius : *Operari*, est deos religiose, et cum summa veneratione sacrificiis litare, vel convivari.

LXVIII. Nonius : *Macula*, turpitudo.

LXIX. Nonius : *Maculosum*, sordidum, immundum. In libro antiquo legitur : « *Hæc maculosis cum vestibus aspicit ipse.* » Sic cæterum Horatius, de Art. Poet. vs. 344 : « Hic *meret* æra liber Sosiis. »

LXX. Nonius : *Lustrari*, dicimus et scortari, a lustris.

LXXI. Nonius : *Dicare*, tradere. Hæc indubitata scriptura pro *dedicata*, per tmesim, inepte vulgo, *data adæque dicata.*

LXXII. Nonius : *Delinitus*, delectatus. Emendandum auguratur Dousa pater : « *Labra delicat, hinc delenit amore.* »

LXIII. Nonius : *Nutricatur*, pro : nutricat.

LXXIV. Nonius : *Discerniculum*, acus ad capillos mulierum ante frontem dividendos, dictum a discernendo.

LXXV.

Et circum volitant ficedulæ, turdi, curatus coci.

LXXVI.

Sed quid ego hæc animo trepidanti dicta profundo?

LXXVII.

Nolito, tibi me maledicere posse, putare.

LXXVIII.

Tristem, et corruptum scabie, et porrigini' plenum.

LXXIX.

Quæ quondam populi oris aures, pectora rumpit.

LXXX.

Nemo istum ventrem pertundet, delicet uti, atque videbis.

LXXXI.

Hoc missum facies, illo me utere libente.

LXXXII.

Sublatus pudor omni', licentia, fænu' refertur.

LXXXIII.

Et illud quoque mite malum, blandum atque dolosum.

LXXXIV.

Contra hæc invitasse, aut instigasse videntur.

LXXXV.

Omnes formosi, fortes, tibi ergo improbus esto.

LXXV. Nonius: *Curatum*, cum delectu apparatum.

LXXVI. Nonius: *Trepidare*, metuere.

LXXVII. Non. *Nolito*, pro: noli.

LXXVIII. Nonius: *Porrigo*, morbi genus.

LXXIX. Nonius: *Rumpere*, defatigare. Alii ponendum arbitrantur *populi oreas* pro: *populi aures*; et ibi hoc significaret *oreas*, frenos ac labia.

LXXX. Nonius: *Delica*, est aperi et explana.

LXXXI. Non. *Mittere*, omittere.

LXXXII. Nonius: *Sublatum*, dicimus remotum.

LXXXIII. Nonius: *Mitis*, tranquillus et lenis.

LXXXIV. Nonius: *Invitare*, apertam habet significationem.

LXXXV. Nonius: *Fortis*, etiam dives. Idem: *Improbum*, turpe. Legit Dousa pater *fortes*: «*Ergo improbus es tu.*» Id est, instrenuus, malus ignavusque, quippe deformis, ac de Gorgonii Pythonis prosapia.

LXXXVI.

Vir mare metitur magnum, et se fluctibu' tradit.

LXXXVII.

Quis totum scis corpus jam perolesse bisulcis.

LXXXVIII.

Et Mutoni' manum perscribere posse tagacem.

LXXXIX.

Nonnunquam dabit ipsa ætas, quod possit habendo.

XC.

Inde canino ritu oculisque involem.

XCI.

Multis inductis sermonibu' concelebrarunt.

XCII.

Insperato abiit, quem una angina abstulit hora.

XCIII.

Unus consternit nobis vetu' restibus aptus.

XCIV.

Neu quis te ignoret famulis subducere.

XCV.

Quodque adeo fuerint, qui temnere superbum.

LXXXVI. Nonius : *Metiri*, est transmeare.

LXXXVII. Priscianus, lib. IX : *Perolesse*, pro : perolevisse.

LXXXVIII. Festus: « *Tagax*, furunculus a tangendo dictus, cujus vocabuli Lucilius meminit : *Et mutoni' manum*, etc. » Nonius : *Tangere*, est circumvenire.

LXXXIX. Servius, ad illud Virgilii Georg. lib. II : « Et quos aut pecori malint submittere habendo. » Id quod habetur, ut Lucilius in XXX : *Nonnunquam dabit*, etc. Jun. Philargyrius.

XC. Nonius : *Involare*, est irruere, insilire, aut a volatu, aut a vola, id est, media manu dictum.

XCI. Nonius : *Concelebrare*, diu amare, dictum a celebritate.

XCII. Nonius : *Angina*, genus morbi, eo quod angat. *Abiit* pro : *obiit ;* ἀρχαϊκῶς dictum. — *Quem una*, etc. Hujusce rei luculentum exemplum exstat apud Senecam : conf. hujusce, Epl. CI.

XCIII. Nonius : *Aptum*, rursus connexum et colligatum significat.

XCIV. Nonius : *Subducere* est surripere.

XCV. Nonius : *Temnere*, contemnere.

XCVI.

Præstringatque oculorum aciem splendore micanti.

XCVII.

. . . . . Ruis hæc, et colligis omnia furtim.

XCVIII.

. . . . . Quandoque pudor ex pectore cessit

XCIX.

. . . . . Neque barbam immiseris istam.

C.

. . . . . Conficit ipse, comestque.

EPODIS HYMNIS*.

I.

Sine eugio ac destina.

SERRANO.

I.

Cæli nomine et salis fretus.

XCVI. Nonius : *Præstringere*, dictum est valde stringere, et claudere. In veteribus libris Nonii est : « *Præstringant oculorum aciem in acie hostibus splendore micanti.* » Ita apud Plautum : Oculorum, Mil. Glor. I, 4 : Præstringat aciem in acie hostibus.

XCVII. Non. *Ruere*, irruere sine cautela. Idem : *Colligere*, auferre.

XCVIII. Nonius : *Cedere*, significat secundum consuetudinem abire superatum, et locum victori dare.

XCIX. Nonius : *Immittere*, dimittere ad prolixitatem.

C. Non. *Comest*, pro : comedit.

* Hymni e quibus depromptum est illud fragmentum nequaquam Lucilio nostro sunt attribuendi. Verum hymnidem fabulam ex Menandro Latinam fecerat Cæcilius quidam, non vero Lucilius ; et ex ea testimonia aliquoties advocantur a Nonio et Festo, ejusdemque meminit Cicero. Utut sit, tamen, noluimus omittere quin et hic poneremus, ne quis, iis omissis, aut temeritatem nostram accusaret, aut diligentiam desideraret. Ed.

I. Nonius : *Eugium*, media pars inter naturalia muliebria. — *Destina* columen, fulcrum, quod gallice diceremus, *point d'appui ;* hic de uno agitur homine quod nos vocamus, *cul de jatte.* Ed.

II. Nonius : *Fretus*, masculini generis.

NUMMULARIA COMŒDIA*.

I.

Nescio quorsum mihi eveniunt tua verba tam delenifica.

II.

Porphyrion in Artem Poeticam Horatii : Pythias persona comica in comœdia Lucilii : quæ inducitur per astutias accipere argentum a Simone domino suo in dotem suæ filiæ.

* De hac nummularia comœdia quam vana somniaverint varii commentatores abunde explicuit Dousa. Ed.

FINIS FRAGMENTORUM C. LUCILII.

CENTONES ALIQUOT
LUCILIANI

EX DISJUNCTISSIMIS POETÆ ILLIUS FRAGMENTIS NOVITER CONCINNATI

A JANO DOUSA NORDOVICE.

I.

Multis inde loci sermonibu' concelebrabit
Ætatem et faciem, ut saga, et bona conciliatrix:
Quod gracila est, pernix pedibus, quod pectore puro,
Quod puero similis: neque uti Pyrgentia scorta.
Hic[1] corpus solidum invenies, hic stare papillas
Pectore marmoreo. . . . . .
Sic singillatim nostrum unusquisque movetur.
Sicuti, quum primas ficus propola recentes
Protulit, et pretio ingenti dat primitu' paucas.
Quidni? et scruta quidem ut vendat scrutariu', laudat
Præfractam strigilim, soleam improbu' dimidiatam.
Est illud quoque mite malum, blandum, atque dolosum,
Quum poclo bibo eodem, amplector, labra labellis
Quum figens compono, hoc est, quum ψωλοκοποῦμαι.
Læna manu lacrymas mutoni absterget amica,
Componetque latus lateri, tum cruribu' crura
Dilaxans, dabit in vulgam penetrare pilosam,
Crissatura, uti si frumentum clunibu' vannat.

[1] Verba conciliatricis Lænæ.

Hæc, ut muscipulæ tentæ, atque ut scorpiu' cauda
Sublata, non te porro procedere porcent?

II.

. . . . . Legem[1]
Vitemus Licini Fanni centusse misello,
Quæ gallam bibere, ac rugas conducere ventris
Farre aceroso, oleo, et Cumano pane coegit.
Ostrea nulla fuat, non purpura nulla Pelori;
Pulmentaria, ut intybus, aut aliqua id genus herba,
Asparagi molles, fici comedantur et uvæ,
Flebile cæpe simul, lacrymosæque ordine thallæ,
Et jus mænarum : bene habet, sin mictyris hæc merx,
Caseus allia mollibit, cum pulte adipata.
O lapathe, ut jactare necesse est, cognitu' cui sis!
In quo Læliu' clamores sophos ille solebat
Edere, compellans gumias ex ordine nostros :
O Publi, o gurges Galloni! es homo miser, inquit,
Cœnasti in vita nunquam bene, quum omnia in isto
Consumis, squillâ, atque acipensere cum decumano.
Læliu' præclare, et recte σοφὸς, illaque vere.
Occidunt, Lupe, saperdæ té et jura siluri,
Sumina te atque amiæ, turdi te, et viscus aprinum.

III.

Firmiter hoc, probiterque tuo si pectore fixum
Ejicere istum abs te quamprimum, et perdere amorem;
Vicimus, o socii, et magnam pugnavimu' pugnam :
Virtutisque tuæ hæc ergo monumenta locamus.
Macte proin virtute, simulque his versibus esto.
Sin laqueis, manicis, pedicis mens irretita est,
Nolito tibi me maledicere posse putare.
Vis est vita (vides) quæ nos facere omnia cogit.
Sic singillatim nostrum unusquisque movetur :

[1] Id est, pœnam legis.

Neminis ingenio quemquam confidere oportet.
Sicuti te, quem æquæ speciem vitæ esse putamus,
Corporis e signis animo ægrotare videmus,
Nec posse infamem, turpemque odisse popinam.
Sed tamen hoc dicas: Quidnam est, si nenu molestum est,
Quamvis desubito trinis deducere scalis?
Quid tu istuc curas, ubi ego oblinar atque voluter?
Serus quum e medio lustro, ac bene potu' recesti.

IV.

Lippus edunda acri assidue cæpariu' cæpa
Liviu' pauper, ait, se ingentia munia fungi,
Rausuro tragicus qui carmina perdit Oreste.
Quantum haurire animus Musarum e fontibu' gestit.
Tum paucis malle, ac sapientibus esse probatum,
Ἢ πᾶσιν νεκύεσσι καταφθιμένοισιν ἀνάσσειν.
Cui neque jumentum est, nec servus, nec comes ullus,
Bulgam, et quidquid habet nummorum, secum habet ipse.
Cum bulga cœnat, dormit, lavat, omnis in una
Spes hominis bulga, hac devincta est cætera vita.
Peniculamentum vero reprehendere noli.
Scis ποιητικὸν esse; vides tunicam, et toga quid sit.
Adde Syracusis sola, pasceolumque, et alutam.
Id solum advorsæ Fortunæ, reique resistit,
Quod sua committunt mortali claustra Camœnæ.
Cætera contemnit, et in usura omnia ponit
Non magna, proprium vero nil neminem habere.

V.

Quare, ut diximu', non video, hic quid magnopere optem:
Naumachiam licet hæc, inquam, alveolumque putare, et
Calces, delectes te, hilo num rectiu' vivit
Maximu', si argenti sexcentum, ac mille relinquat
Imberbi androgyno, ac barbato mæchocinædo?
Sic singillatim nostrum unusquisque movetur:

Tristes, difficiles sumu' fastidimu' bonorum,
Hic tricosu', bovinatorque, ore improbu' duro,
Quem neque Lucanis oriundi montibu' tauri
Ducere protelo validis cervicibu' possent.
Tu milli nummum potes uno quærere centum,
Sallere murænas, mercem in frigidaria ferre.
Durum, molle vorans, fragmenta interfici' panis.
Volturius ruis hinç, et colligis omnia furtim:
Hinc mare metiris magnum, et te fluctibu' tradis.
Fundi delectat virtus te, villicu' paullo
Strenuior si evaserit. . . . . .

VI.

Nunc vero a mane ad noctem, festo atque profesto,
Toto itidem pariterque die, populusque patresque
Jactare indu foro se omnes, decedere nusquam:
Uni se, atque eidem studio omnes dedere et arti,
Verba dare ut caute possint, pugnare dolose;
Blanditia certare, bonum simulare virum se;
Insidias facere, ut si hostes sint omnibus omnes.
Sublatus pudor omni', licentia, fœnu' refertur:
Nemo hic vindicias, numen, neque sacra veretur:
Tapullam rident legem congerræ Opimi:
Idola, atque atomos Epicuri credere malunt,
Non epulo Divorum aliquem, neque prosicie ulla
Dignantes: hinc se peccare impune rati sunt
Posse, ac nobilitate facul propellere iniquos.
In quo toto etiam mihi cælo errare videntur:
Namque videtis, uti multos mensesque diesque,
Non tamen ætatem tempestate hac scelerosi
Lætentur. . . . . .

VII.

Quum tecum est, quidvis satis est, visuri alieni
Sint homines, spiras, pallam, redimicula promit,

Euplocamo digitos, discerniculumque capillo.
Ut quum iter est aliquo, et caussam commenta viai,
Aut apud aurificem, ad matrem, cognatam, ad amicam:
Aut operandum aliquo in celebri cum æqualibu' fano.
Tum vero ricini aurati, et nitet aurea mitra.
Hæc vestimentis maculosis aspicis ipse;
Quod deformi' senex, quod pædidus, ac podagrosus,
Quod mancus, macer, exilis, cum ramice magno.
Si vero des, quod rogat, et si suggeri' suppum,
Magna penus parvo spatio consumpta peribit.
Omnia viscatis manibus leget, omnia sumet;
Crede mihi, presse auferet omnia. . . . . .

VIII.

Huic homini Quæstore aliquo est opus, atque chorago,
Publicitus qui mî, atque e fisco præbeat aurum.
Nam si, quod satis est homini, id satis esse potisset,
Hoc sat erat: nunc quum hoc non est, qui credimu' porro
Divitias ullas animum mî explere potesse?
Denique uti stulto nihil est satis, omnia quum sint:
Sic tu illos fructus quæras, advorsa hyeme olim
Queis uti possis, ac delectare domi te.
Quid vero est, centum ac ducentum possideas si
Millia, divitiis pretium si solvere nescis?
Quin potius vitam degens sedatu' quietam, in
Tranquillum ex sævis te tempestatibu' transfers.

IX. . . . . .

Quid multis? nemo est halicariu' posterior te.
Est qui præciso, atque epulis capiatur opimis,
Et non, pauper uti, Samio, curtoque catino,
Quem præclarus helops, quem Ægypto sargu' movebit.
Si argenti indigus est, se conficit ipse comestque:
Si vero das, quod rogat, et si suggeri' suppum,
Magna penus parvo spatio consumpta peribit.

Quod sumptum atque epulas victu præponit honesto.
Intereunt, labuntur, eunt rursum omnia vorsum.
Nam quid mutino, subrectoque huic opu' signo?
Ut lurcaretur lardum, et carnaria furtim
Patrum conficeret?. . . . . .

X.

Phryne nobilis illa, ubi amatorem improbius quem
Multis inductum sermonibu' concelebravit,
Quid dare, quid sumpti facere, ac præbere potissit,
Præservit, labra delicat, hinc delenit amore.
Assequitur, nec opinantem in caput insilit, ipsum
Commanducatur totum complexa, comestque.
Si vero das quod rogat, et si suggeri' suppum,
Magna penus parvo spatio consumpta peribit.
Omnia viscatis manibus leget, omnia sumet,
Crede mihi, presse auferet omnia. . . . . .

XI.

Vir mare metitur magnum, et se fluctibu' tradit,
Continuo simul ac paullo vehementius aura
Inflarit, fluctus erexerit, extuleritque:
Flamina nec flando ventorum suda secundent:
Omnia tum endo mari videas fervente micare.
Proras despoliate, ac detundete guberna,
Tonsillas quoque prævalidis in funibus aptas,
Fluctibus a ventisque adversis firmiter ut sit.
. . . . . Tanti
Se tempestatis montes ad sidera tollunt.
Armamenta tamen, malum, vela omnia servo;
Funis enim præcisu' cito, atque anquina soluta est.

XII.

Mantica cantheri costas gravitate premebat,
Succussatoris tetri, tardique caballi.
Verum hæc ludus ibus, susque omnia deque fuerunt,

Susque hæc deque fuere, inquam, omnia, ludu' jocusque:
Illud opus durum, ut Setinum accessimu' fines,
Αἰγίλιποι montes Ætnæ omnes, asperi, Athones.

XIII.

. . . . . His viscus aprinum,
His itidem in cœna dabis ostrea millibu' centum
Empta, (satis magnam nam piscium, et altilium vim
Interfecisti, ut video): χἰοστε δυνάστης.
Vinum defusum e pleno dabit œnophoro, cui
Nil dempsit hir, et cui sacculus abstulerit nil.

XIV.

. . . . . Nam sumptibu' magnis
Ampliter exstructam simul atque accumbimu' mensam,
Malas tollimus hinc ambas, atque utimu' rictu.
Pulchre invitati nimis, acceptique benigne.
Vertitur œnophoris fundus, sententia nobis.
Idem epulo cibus, atque epulæ Jovis omnipotentis.

XV.

. . . . . Quid ego? simul ostrea cerno,
Non norim fluvii limum, ac cœnum sapere ipsum?
Rugosi, passique senes eadem omnia quærunt,
Hi quos divitiæ producunt, et caput ungunt
Horridulum, quandoque pudor de pectore cessit,
Nequitia occupat hos, petulantia, prodigitasque.

XVI.

. . . . . Nostris
Munifici ut, munesque viri videamur amicis,
Ad cœnam adducam, et primum hisce abdomina thynni
Advenientibu' priva dabo, cephaleaque atarnæ.
Dans bibere ab summo. . . . . .

XVII.

. . . . . Cujus non audeo dicere nomen?
Quid refert dictis ignoscat Mutius, an non?

Sic vetus ille Cato dignum quemcumque laccessim
Appellare, quod ipse sibi non conscius esset.

XVIII.

. . . . . Ille alter abundans
Cum septem incolumis pinnis redit ac recipit se:
Gallinaceu' ceu victor se gallus honeste
Sustulit in digitos, primoresque erigit ungues.

FINIS CENTONUM LUCILII.

SULPICIÆ
SATIRICON CARMEN.

PRÆMONITIO.

Quamvis in secundo *Poetarum Minorum* volumine (Edit. Nostr. pag. 138) jam ediderimus hanc Eclogam, placuit tamen hic reponere; quæ nullibi melius quam cum cæteris Satirarum scriptoribus convenire poterat. Quod attinet ad Commentaria et adnotationes, recurrere potissimum libeat ad loc. citat. in Poet. Minor. Satis fuit nunc si textum ipsum, et perpaucas præsertim veteris Scholiastæ notas attulerimus. Ed.

SULPICIÆ SATIRICON CARMEN,

SIVE ECLOGA

DE EDICTO DOMITIANI

QUO PHILOSOPHOS URBE EXEGIT.

Musa, quibus numeris heroas et arma frequentas,
Fabellam permitte mihi detexere paucis.
Nam tibi secessi, tecum penetrale retractans
Consilium : quare nec carmine curro Phaleuco,
Nec trimetro Iambo, nec qui pede fractus eodem
Fortiter irasci didicit, duce Clazomenio.
Cætera quin etiam, quot denique millia lusi,
Primaque Romanas docui contendere Graiis,

4. *Phaleuco.* Scribe *Phalæco*, quanquam in hujus nominis scriptura, apud Athenæum, Hephæstionem, Victorinum, Diomedem, Terentianum, Ausonium, magna est varietas. *V. schol.*

5. *Nec qui pede fractus eodem.* Fractum versum vocat Scazontem, cujus Hipponax auctor est. Si quidem, testimonio Halicarnassæi, constat Hipponactem infregisse trimetrum Archilochium in Scazontem, quo inimicos pungeret acerbius : Σκάζουσι μέτροις ὀρθὰ τοξεύσας ἔπη. *Hadr. Jun.*

6. *Duce Clazomenio.* Hipponacte. Suidas vero hunc in modum de eo memoriæ prodidit : *Hipponax patre Pythæo, et matre Protide natus, Ephesius fuit, sed expulsus a tyrannis Athenagora et Coma, Clazomenas habitatum concessit.* Quia autem extorris patria Clazomenas, Ioniæ urbem, commigraverat, a Sulpicia epitheto Clazomenius vocatur. Idem scripsit in Bupalum et Athenin statuarios celebres ; quod ipsius imagines ad ludibrium expressissent (erat enim notabili fœditate vultus). Narratur etiam Bupalum laqueo se suspendisse ; quæ erat carminum acerbitas. Unde dicitur, Horat. Epod. VI, vs. 14 : *Acer hostis Bupalo*, etc., et Politian. in Sylv. cui titulus Nutricia (cf. Ital. poet. t. II, pag. 275) dixit :

Nec ferus Hipponax, atro qui felle cruentus,
Bupalon, et stratum morsu laniavit Athenin.

Vide Hadrian. Jun. Animadv. lib. I, cap. 16.

Et salibus variare novis, constanter omitto:
Teque, quibus princeps, et facundissima, calles,
Aggredior; precibus descende clientis, et audi.
Dic mihi, Calliope, quidnam pater ille Deorum
Cogitat? An terras et patria sæcula mutat?
Quasque dedit quondam, morientibus eripit artes?
Nosque jubet tacitos, et jam rationis egenos,
Non aliter, primo quam quum surreximus ævo,
Glandibus et puræ rursus procumbere lymphæ?
An reliquas terras conservat amicus, et urbes;
Sed genus Ausonium, Remulique exturbat alumnos?
Quid reputemus enim? Duo sunt quibus extulit ingens
Roma caput; virtus belli, et sapientia pacis.
Sed virtus agitata domi, et socialibus armis,
In freta Sicaniæ, et Carthaginis exiit arces,
Cæteraque imperia, et totum simul abstulit orbem.
Deinde, velut stadio victor qui solus Achæo
Languet, et immota secum virtute fatiscit:
Sic itidem Romana manus, contendere postquam
Destitit, et pacem longis frenavit habenis,
Ipsa domi leges, et Graia inventa retractans,
Omnia bellorum terra quæsita, marique
Præmia consilio, et molli ratione regebat.
Stabat in his, neque enim poterat constare sine ipsis,
Aut frustra uxori, mendaxque Diespiter olim,
Imperium sine fine dedi, dixisse probatur.

10. *Teque, etc.* Sic distinguendum. « Carmina Calliope libris heroica mandat. » Cæterum, et ante Sulpiciam, sub Augusto, Cornificia versus scripserat, sed non Phalæcos, jam Scazontas Hipponactios, et alios lyricos, quibus prima Sulpicia poetriæ nomen inter Latinos meruit. *V. schol.*

19. *Remulique*, etc. Vulgo, *Remique*, unde malim, *Romique*, quod et Vineto nostro placuit, unde crescit auctoritas. *V. schol.*

33. *Aut frustra*, etc. Est hoc vitium memoriæ, majorum etiam gentium scriptoribus, eo usque frequens, ut nonnunquam affectasse videri possint. *V. schol.*

Nunc igitur qui res Romanas imperat inter,
Non trabe, sed tergo prolapsus, et ingluvie albus,
Et studia, et sapiens hominum nomenque genusque
Omnia abire foras, atque Urbe excedere jussit.
Quid facimus? Graios, hominumque reliquimus urbes,
Ut Romana foret magis his instructa magistris :
Nunc Capitolino veluti turbante Camillo
Ensibus et trutina Galli fugere relicta,
Sic nostri palare senes dicuntur, et ipsi,
Ut ferale suos onus exstirpare libellos.
Ergo Numantinus, Libycusque erravit in isto
Scipio, qui Rhodio crevit formante magistro,
Cætera et illa manus bello fecunda secundo,
Quos inter prisci sententia dia Catonis
Scire adeo magni fecisset, utrumne secundis,
An magis adversis staret Romana propago.
Scilicet adversis : nam, quum defendier armis
Suadet amor patriæ, et captiva Penatibus uxor;
Convenit, ut vespis, quarum domus arce Monetæ,
Turba rigens strictis per lutea corpora telis.
Ast ubi apis secura redit, oblita favorum

44. *Ferale.* Funestum, infelix.

46. *Qui*, etc. Scribe *Rhodio*, ut de Panætio potius minore quam de Ennio intelligatur. Male vet. Schol. *rudio.*

47. *Bello fecunda*, etc. Sic malo, quam *facunda.* Vide Aulum Gellium, lib. XIX, cap. 21. *V. schol.*

53. *Convenit*, *ut vespis.* Hujus loci ordo est et sensus : Nam, quum amor patriæ suadet defendier armis, quumque captivæ sunt nostræ uxores intra Penates suos, id est, quum Annibal jamjam muros scandit, Romana propago *convenit*, concurrit ad arma ut *turba rigens*, etc. Scilicet apes, *convenit*, concurrit, adversatur *vespis*, hostibus suis. Male alii, opinor, interpretabantur : Nobis, sicuti vespis, convenit ut simus semper strictis telis, parati ad congrediendum cum hoste. Gall. « *Pour soutenir notre vertu, il nous faut l'ennemi à nos portes.* » Juven. Sat. VI, vs. 287, Edit. Nost. vol. I, pag. 459 :

Præstabat castas humilis fortuna Latinas
Quondam, nec vitiis contingi parva sinebant
Tecta labor, somnique breves, et vellere Tusco
Vexatæ duræque manus, ac proximus Urbi
Hannibal, et stantes Collina turre mariti.
Nunc patimur longæ pacis mala, etc.

Plebs, materque una somno moriuntur obeso.
Romulidarum igitur longa et gravis exitium pax.
Hæc fabella modo pausam facit. Optuma posthac
Musa, velim moneas, sine qua mihi nulla voluptas
Vivere, uti quondam Lydus, dum Smyrna peribat,
Nunc itidem migrare velint; vel denique quidvis
Ut Dea, quære aliud : tantum Romana Caleno
Mœnia, jucundos pariterque adverte Sabinos.
Hæc ego : tum paucis Dea me dignatur, et infit :
Pone metus æquos cultrix mea; summa tyranno
Hæc instant odia, et nostro periturus honore est.
Nam laureta Numæ, fontesque habitamus eosdem,
Et comite Egeria ridemus inania cœpta.
Vive, vale, manet hunc pulchrum tua fama dolorem;
Musarum spondet chorus, et Romanus Apollo.

56. *Plebs, materque una*, etc. Vulgo, *fraterque*. Plinius crabronum duo genera facit, plebem, opifices et matres : quod an vespis quoque conveniat, videndum est. *V. schol.*

FINIS SULPICIANÆ SATIRÆ.

D. JUNII JUVENALIS

VITA

AUCTORE SUETONIO.

Junius Juvenalis, libertini locupletis incertum filius, an alumnus, ad mediam fere ætatem declamavit, animi magis causa, quam quod scholæ se[1] aut foro præpararet. Deinde[2] paucorum versuum Satira non absurde composita in Paridem pantomimum[3] poetamque[4] ejus semestribus militiolis tumentem[5], hoc[6] genus scripturæ indu-

1. *Scholæ se.* Addidimus *se* cum Wolfio.

2. Post voc. *Deinde* in cod. Voss. inserta sunt hæc verba: *Ad Poeticos* (forte poeticen) *se applicavit et, postquam diu tacuit, uberiori vitiorum jam gliscente contagione, ab indignatione incepit:* « Semper ego auditor tantum? » *Dehinc paucorum*, etc. Quæ videntur esse laciniæ, ab interpolatore aliquo adsutæ.

3. *In Paridem Domitiani pantomimum.* C. Voss. quod vulgatæ lectioni præferendum putabat Hennin. coll. Suet. Domit. c. 10; qui locus vel nihil probat, vel ipsi saltem non favet.

4. *Poetamque* simpl. exhibent 31, 47, 48, 49, 55, 59 et al. In quibusdam libris rectius forsan legitur *poetamque P. Statium;* in aliis *poetamque Claudii Neronis;* (forte *Calvi Neronis*, h. e. Domitiani, qui ita vocatur Juven. Sat. IV, 38.) in MS. Voss. *Paridem Domitiani pantomimum et aulæ histrionem semestribus tumentem vibrata poetamque P. Statium composita, hoc genus scripturæ industriose excoluit;* in cod. Vallæ, *in Paridem pantomimum poetamque semestribus militiolis emitante* (forte *emicantem* vel *innitentem*) *hoc genus scripturæ industrie excoluit.* Wolfius monet, verba illa *Claudii Neronis* glossema videri adscriptum ad *ejus* i. e. Paridis, et *hujus poetam* dici potuisse Statium, ob notum commercium. Eodem judice mox corrig. *militiis.* Miram quoque vocem *militiolis* deesse MS. alteri Voss, dicit Oudend. et in Probo Vallæ legi *semestribus mil. enutante.*

5. Conf. Sat. VII, 89. Et ibi Comment.

6. *Hoc* revocavi ex 31, 44 et al.

striose[1] excoluit. Et tamen bene[2] diu ne modico quidem auditorio quidquam committere est ausus. Mox magna frequentia magnoque successu bis ac ter auditus est, ut ea quoque[3], quæ prima[4] fecerat, inferciret[5] novis scriptis[6]:

Quod non dant proceres, dabit histrio. Tu Camerinos
Et Bareas, tu nobilium magna atria curas.
Præfectos Pelopea facit, Philomela Tribunos.[7]

Erat tum[8] in deliciis aulæ histrio; multique fautorum ejus[9] quotidie provehebantur[10]. Venit ergo Juvenalis in suspicionem, quasi tempora[11] figurate[12] notasset; ac statim per honorem militiæ[13], quanquam octogenarius,

1. *Industrie*, 31, 48, 49, ut ap. Suet. Galb. 3, et in vita Plinii. Recepit Oudend. qui tamen *industriosissume* ex Catone etiam proferri monet.

2. *Bene* (h. e. satis, valde) ex 31, et 44. Nunc adjeci, præeuntibus Oudend. et Wolf. Illud arrisit Henninio, qui etiam monet, sapienter Juvenalem *ne modico quidem auditorio se committere primo esse ausum*, utpote qui scripserit in eos, qui vel potuerint proscribere, vel aure tyranni in suam perniciem abuti. Mox *tantoque successu* reposuit Gell. *Achaintre*, sed tacite, non adjecta ratione.

3. *Quoque* abest 47, 48, 55, 59 al.

4. *Primo* legendum putabat Hennin. cui cur vulgata displicuerit scriptura, non assequor. Idem vulgato, sed elegantius significari, monet Oudend. coll. Gron. Obss. I, 7; et Drak. ad Sil. II, 235, et ad Liv. XXXIV, 14.

5. *Infert*, 31.

6. *Scripturis* 47, 48, 55, 59.

7. Hi sunt versus 90, 91, 92, Sat. VII. In cod. Voss. exstat tantum versus 88, et hemistichium 90, omissis aliis.

8. *Tunc* 49. *Tamen* 47, 48, 55, 59 al. Nota III, Wolfii est: « *Tum*, scil. temporibus Hadriani, qui poetam, ut probabile est, in Oasin magnam relegavit, quasi præfectum cohortis ibi tendentis. *Histrionis* nomen fortasse excidit: certe obscurum est: at neuter Paris (neque Neronis, neque Domitiani histrio) intelligendus, ut præclare docuit Oudend. »

9. Suspicari possis: *Favore ejus*. Sed vulgata quoque lectio bene se habet.

10. *Promovebantur* 31. Quod ab ingenio indocti monachi profectum videtur.

11. Vocem *præsentia* e cod. Vallæ adjecit Hennin.

12. *Figura*, 31.

13. *Militiolæ* ex 31. Recepit Hennin. quoniam eadem vox etiam supra, sed perperam fortasse, legitur.

Urbe submotus missusque ad præfecturam cohortis, in extrema Ægypti parte tendentis [1]. Id supplicii genus placuit, ut levi atque joculari delicto par esset. Verum intra brevissimum tempus angore et tædio periit [2].

1 In libris tantum non omnibus verba ista hoc ordine junguntur: *in extrema parte tendentis Ægypti;* quem ingratum ordinem mutavit *Ruperti*. Huic emendationi favent 31, et 43, (codices Vallæ et Divæi) in quibus tamen alio sensu legitur: *in extremam Ægypti partem tendentis*, quod probavit Hennin. Nostram lect. exstare in antiquiss. cod. Alex. monet *Achaintre*, qui tamen, nescio quare, τὸ *in* omisit.

2. Extrema hæc verba in cod. Voss. sic interpolata sunt: *Verum intra brevissimum tempus* Θεὸς αὐτὸς *adscribitur Divorum choro, revertiturque Juvenalis Romam, qui tandem ad Nervæ et Trajani principatum supervivens, senio et tædio vitæ confectus, properantem spiritum cum tussi exspuit.* Mireris etiam ista inepti interpolatoris commenta ab Henninio recepta esse, qui tamen hæc recte adnotavit: « Verba, Θεὸς αὐτὸς *adscribitur Divorum choro*, videntur de Domitiano dici, qui *Dominus Deusque* appellari voluit. Sed vero videtur repugnare Juvenalis ætas, jam octogenarii, quum Urbe submoveretur; quumque paulo post reditum perierit, quomodo a Domitiano extendere ætatem potuit ad Nervæ et Trajani principatum? sane ita decem et plures supra centum annos explesse oportet. Ait et Crinitus, se necdum reperisse apud auctores fide dignos, Juvenalem sub Domitiano pulsum. Quod si forte Θεὸν αὐτὸν intelligas *Antinoum*, aut pro αὐτὸς legas Ἀντίνοος, repugnabunt sequentia, quibus dicitur *Romam reversus ad Nervæ et Trajani principatum supervixisse*, quos demum excepit Hadrianus. Videntur autem verba *ad Nervæ et Trajani principatum supervivens* ex margine in τὸ κάμινον, librarorium incuria, intrusa, adeoque delenda. Neque sane ad Trajani ætatem, sed et Hadriani pervenit, sub quibus, rara illa temporum felicitate, videtur pleraque scripsisse. »

D. JUNII JUVENALIS

VITA

PER ANNOS PROBABILIBUS CONJECTURIS DIGESTA.

Ann. Urb. Cond. (secund. Varr.) 795, Christi 42,
Juvenalis 1.

PROBABILE est, Juvenalem non ante, sed potius post hunc annum (U. C. 795) in lucem editum esse. Satiram enim decimam tertiam annis LXI post consulatum *Fonteii*, adeoque, (si ille C. Fonteius Capito est, qui ann. U. C. 812, consul fuit, non L. Fonteius Capito cos. ann. U. C. 820), ann. U. C. 873, eodemque anno vel potius sequente, satiram XV scripsit, aut recitavit; in Ægyptum autem, quum octogenarius esset, missus est, ibique intra brevissimum tempus angore et tædio periit, si fides habenda Suetonio; nam ita, brevitatis causa, incertum Vitæ supra adscriptæ auctorem appellare liceat. Conf. ad ann. U. C. 833, et 874; ad Sat. XIII, 16, 17, et XV, 27.

Eodem anno *Quintilianum*, clarissimum rhetorem, (v. ad Sat. VI, 75 et 280.) Juvenalem vero ann. U. C. 791, Christi 38 natum esse, suspicabatur Dodwellus in Annal. Quintil. Regnabat tunc temporis (ab ann. U. C. 794—807, Christi 41—54.) Tib. *Claudius* Drusus; ante quem (ab ann. U. C. 794, Christi 37—41.) imperium tenuerat C. Cæsar *Caligula*, qui ann. U. C. 791, Christi 38, accepto a Cæsonia uxore philtro in furorem conjectus erat (cf. Sat. VI, 615 sq.); et ann. U. C. 793. Lugduni instituerat certamen Græcæ Latinæque facundiæ, (v. ad Sat. I, 44, et VII, 147 sq.) quo etiam tempore ab eo forsan in exsilium missus *Secundus Carrinas* rhetor, de quo v. ad Sat. VII, 204. Hic vero Caligula successerat *Tiberio*, de cujus secessu Capreensi (ann. U. C. 780—790.), tyrannide, et amicorum principe Sejano hujusque potestate ac morte, v. Sat. X, 56—113.

De parentibus poetæ nostri nihil memoriæ proditum reperitur, præter id, quod tradit Suetonius: « *Juvenalis libertini locupletis, incertum filius, an alumnus.* »

Prænomen Juvenalis *Decimum* esse, non *Decium*, præter alios docuit Lud. Carrio Emendatt. cap. I. Ab antiquis eum librariis communiter *Ethicum* cognominari, (haud dubie propter plurima morum præcepta, quæ satiris suis intexuit) ut Martialem *coquum*, Propertium *nautam*, Ovidium *Getam*, Statium *Aquilinum*, Prudentium *amœnum*, monet Barth. Advers. VI, 1. Eodem nomine passim laudatur a Petro Blæsensi in Epistolis, Jo. Sarisberiensi, Vincentio Bellov. aliisque hujus ævi scriptoribus, qui et reliquos poetas satiricos vocare solent *ethicos*, quoniam ἠθικὰ potissimum ab iis tractantur. Cf. Dan. Heins. de Sat. Horat. lib. I, pag. 48, et Nicol. Antonii Bibl. Vet. Hisp. libr. I, pag. 62.

Patriam poetæ fuisse *Aquinum* (Volscorum oppidum, quod πόλις μεγάλη Strab. lib. V, pag. 164: nunc autem *Aquino* dicitur, et patria quoque fuit Thomæ *de Aquino*, celebris Scholasticorum parentis), probabile judicio colligitur e Sat. III, 319. Hinc in omnibus fere Juvenalis codicibus, et scriptis et editis, recte cognominatur ille *Aquinas*, in nonnullis vero vitiose *Arpinas*. In vetustiss. cod. Pithœi ad initium Sat. I, hæc verba leguntur: « Juvenalem aliqui Gallum propter corporis magnitudinem, aliqui Aquinatem dicunt. »

Ann. U. C. 801, Christi 48,
Juvenalis 7.

Messalina, impudicissima Claudii Imp. uxor, palam nuptias facit cum C. Silio, formosissimo juvene, et cum eo interficitur consilio ac jussu *Narcissi*, ditissimi potentissimique libertorum Claudii. Vid. ad Sat. VI, 115—132; X, 329—345, et XIV, 329 sq. (Vid. inprimis ad Tacitum, Ann. XI, XXXVII; XXXVIII, Ed.) Præter Narcissum *Pallas* et *Posides* liberti plurimum gratia valebant apud eumdem Claudium Imp. Cf. ad Sat. I, 109, et XIV, 91.

Ann. U. C. 802, Christi 49,
Juvenalis 8.

De præceptoribus Juvenalis nihil potest certa et explorata fide tradi. Henninius quidem, Criniti aliorumque auctoritatem sequutus, ad vitam Juvenalis, quæ Suetonio tribuitur, notat, eum Frontone Grammatico (quem etiam Sat. I, 12, innui quidam putant) magistro usum esse et ab eo summa diligentia institutum: hunc enim docuisse illis temporibus Romæ magna cum nominis celebritate, teste Gellio. Eamdem ob causam fuere etiam, qui Juvenalem in disciplinam traditum esse Quintiliano suspicarentur. Sed quam infirma sit hæc ratio, facile intelligitur. Nam non modo Romæ alii quoque tunc temporis, iique celebres, fuere Grammatici et Rhetores, quorum scholas frequentare potuit Juvenalis, quum puer esset; sed multo quoque probabilius est, eum quorumvis potius aliorum institutione formatum fuisse, quam Frontonis illius et Quintiliani. Hic enim, quod supra diximus, vel eodem, quo poeta Noster, anno, vel aliquot, ille autem multis annis post eum natus videtur. Marcus certe Cornelius Fronto, clarissimus Rhetor, cujus passim mentionem facit Gellius (Noct. Att. II, 26; XIII, 28; XIX, 8, 10, 13.) præceptor fuit duorum Imperatorum, M. Antonini Philosophi (qui ei statuam in senatu, consulatum in duos menses aliosque honores contulit), et Veri (v. Capitolin. in vita Anton. Philos. c. 2, et Veri c. 2. Auson. in Grat. Act. Macrob. Sat. V, 1, et ipsius Frontonis Epist. ad Marcum ap. Charis.) Antoninus vero ille regnavit ann. U. C. 914—933, ann. U. C. 161—180, et natus est ann. U. C. 874, Chr. 121, liquot forte mensibus vel adeo annis post mortem Juvenalis, qui ad summam vixit senectutem. Quis itaque sibi persuadeat, utriusque præceptorem fuisse Frontonem illum?

Cæterum si pater poetæ nostri *locuples libertinus* fuit, filium artibus liberalibus honestisque, quibus nobilium, saltem ingenuorum, liberi instituebantur, imbuendum curare poterat; idque omnino curasse videtur.

Ann. U. C. 804, Christi 51,
Juvenalis 10.

Ostorius in Britannia bellum gerit adversus Brigantas. Cf. ad Sat. XIV, 196.

Ann. U. C. 807—821, Christi 54—68,
Juvenalis 13—27.

Claudio Imp. qui Agrippinæ uxoris fraude necatur boleto venenato (v. ad Sat. V, 147, et VI, 620 sq.) in imperio succedit *Nero*, cujus et Domitiani temporibus maxima morum corruptela immaniaque vitia vigent et flagitia, quæ inprimis Sat. I, II, III, VI, et VIII, adumbrantur. Ex iisdem intelligitur, Neronem fuisse tyrannum, aurigam, cantorem, citharœdum, histrionem, popinarum frequentatorem, prædicatorem, incendiarium, Troicorum scriptorem. Vid. Index et Sat. VIII, 193—230. Famosi delatores hujus ævi Matho, Heliodorus, Demetrius, Egnatius Celer, Regulus, Massa, Carus, Latinus. Cf. ad Sat. I, 32—36. Nero dicitur *Domitius*, Sat. VIII, 228.

Ann. U. C. 810, Christi 57,
Juvenalis 16.

Si recte Juvenalis natalem definivimus, hoc anno togam ille virilem sumpsit, quippe quæ anno ætatis XVI ineunte sumi solebat illo ævo. Vid. Massoni vita Ovidii et Horatii, nec non Noris. Cenotaph. Pisan. pag. 115 sq. Eodem anno Cossutianus *Capito*, Tigellini gener et Ciliciæ præfectus, de pecuniis repetundis postulatus a Cilicibus et damnatus est. Cf. ad Sat. VIII, 93.

Ann. U. C. 812, Christi 59,
Juvenalis 18.

C. Fonteio Capitone et Vipsanio Coss. nascitur Calvinus, amicus Juvenalis. Cf. ad Sat. XIII, 17.

Ann. U. C. 815, Christi 62,
Juvenalis 21.

Hoc forte anno primam poeta posuit barbam. Cf. ad Sat, I,

25 sq. XIII, 56 sq. et Dodwelli Annal. Quintil. pag. 180. Eodem anno, et ætatis octavo et vicesimo (non autem tricesimo, ut ait Ruperti) moritur *A. Persius Flaccus* poeta.

Ann. U. C. 816, Christi 63,
Juvenalis 22.

C. Sofonius *Tigellinus*, Burrho mortuo, prætorianis cohortibus præponitur a Nerone, apud quem plurimum gratia valet propter similitudinem morum. Vid. ad Sat. I, 155 sqq. quæ in primo vol. refertur. Et Nero uxorem ducit *Poppæam* Sabinam, quæ ita diffluebat luxuria, ut, quocumque iret, sexcentas secum asellas duceret (nam lacte asinino utebantur molles homines, ut teneresceret cutis et candesceret), et unguenta suavissimi odoris ab ea dicerentur *Poppæana*. Cf. ad Sat. II, 107; VI, 462, 468 sqq.

Ann. U. C. 817—834, Christi 64—81,
Juvenalis 23—40.

Juvenalem ad mediam fere ætatem declamasse, animi magis causa, quam quod scholæ se aut foro præpararet, tradit Suetonius. Cf. ad Sat. I, 15 sq. Hinc etiam Martiali Epigr. VII, 91, *facundus* dicitur; et nulla fere est satira, quæ non redoleat ingenium, declamandi exercitio, pro more illius ævi, plane formatum.

Ann. U. C. 818, Christi 65,
Juvenalis 24.

Occiditur C. Calpurnius *Piso*, auctor conjurationis in Neronem, vir bonus, ditissimus, liberalis doctorumque hominum patronus, qui ann. U. C. 801, cum L. Vitellio consul fuerat suffectus. De hoc et aliis Pisonibus, qui illis temporibus vixere, vid. ad Sat. V, 109. Cum eo pereunt etiam alii, qui et prædivites erant, et impliciti Pisonianæ conjurationi, Plautius *Lateranus* (consul designatus et Messalinæ adulter), L. Annæus *Seneca* et M. Annæus *Lucanus* poeta. Vid. ad Sat. V, 109; VII, 79 sq. (ubi Lucanus *Serrano* et *Saleio* Basso, pauperibus horum temporum poetis, opponitur) VIII, 147 et X, 16 sq. Eodem anno prima fuit eaque saevissima persecutio

Christianorum, qui jussu Neronis tunica molesta aliorumque tormentorum inusitato genere conficiebantur; quo respexit poeta Sat. I, 155 sq. et VIII, 235.

Ann. U. C. 819, Christi 66,
Juvenalis 25.

Hoc anno a Nerone damnatur *Thrasea Pætus*, socer *Helvidii Prisci*, qui insignia erant virtutum liberiorisque animi exempla. Cf. inf. ad ann. U. C. 823, et ad Sat. V, 36, 37.

Ann. U. C. 820, Christi 67,
Juvenalis 26.

L. *Fonteio* Capitone et C. Julio Rufo consulibus (vid. ad Sat. XIII, 16, 17), P. Egnatius Celer Stoicus falso testimonio adjuvat damnationem *Bareæ* Sorani, discipuli amicique sui, qui exemplar erat virtutum, et proconsul Asiæ fuerat. Vid. ad Sat. I, 33; III, 116 sq. et VII, 91.

Ann. U. C. 821, Christi 68,
Juvenalis 27.

Neronis scelera et ineptias, quæ Sat. VIII, 193—230, notantur, vindicant *Virginius*, *Vindex* et *Galba*. Vid. Sat. VIII, 221, 222. Eo cæso, summa imperii defertur ad Servium Sulpicium *Galbam*, qui post octennium ex Hispania Romam redierat. Ab hoc *Quintilianum* ex Hispania Tarraconensi, cujus opp. Calagurris ejus patria fuit, admodum adolescentem hoc anno Romam perductum esse, tradit Hieronymus in Chron. Quæ si vera sunt, et Quintilianus, de quo vix dubitare possis, Hispanus fuit, nec Romanus, quod Nic. *Gedoyn*, Gallicus ejus interpres, contendebat; probabile est, illum jam Romæ fuisse ante imperium Galbæ, quippe qui ipse nos docet Inst. Orat. X, 1, et XII, 11, a se juvene auditum esse Domitium Afrum, summum oratorem, quem jam ann. U. C. 813, Christi 60, mortuum esse, ex Tac. Ann. XIV, 19, cognoscimus. Quoquo modo se res habeat, constat certe, Quintilianum ex inde viginti annos Rhetoricam in schola publica Romæ professum esse. Vid. Dodwelli Annal. Quintil. § 12, 13, 15, et conf. ad Sat. VII,

188—198. Ejus præceptor *Palæmon* (vid. ad Sat. VI, 452), et discipuli clarissimi fuere Plinius junior et C. Cælius orator.

Ann. U. C. 822, Christi 69,
Juvenalis 28.

Galba occiditur a M. Salvio *Othone*, homine mollissimo, qui ita diffluebat luxuria, ut in ipsis castris uteretur speculis, et faciem madido pane lineret. Idem paulo post, copiis suis a *Vitellio* victis in pugna Bebriacensi, gladio pectus sibi transfigit. Vid. Sat. II, 99—109, et VI, 559. Amicus ejus erat *Seleucus* astrologus. Vid. ad Sat. VI, 559.

Ann. U. C. 822—832, Christi 69—79,
Juvenalis 28—38.

Vitellio interfecto regnat *Flavius Vespasianus*, imperator bonus, sed tam avarus, ut urinæ etiam vectigal comminisceretur. Cf. ad Sat. XIV, 204.

Ann. U. C. 823, Christi 70,
Juvenalis 29.

Helvidius Priscus, gener Thraseæ Pæti, damnatur a Vespasiano. Cf. sup. ad ann. U. C. 819.

Ann. U. C. 828, Christi 75,
Juvenalis 34.

Ex Italia abire jubetur *Berenice*, pulcherrima Agrippæ majoris, regis Judæorum, filia, (ut quidam putant, Herodis filia et uxor Ptolemæi, regis Ægypti) quæ amorem Titi Cæsaris jam inde ab ann. U. C. 823, in se accenderat, et cum fratre, *Agrippa* minore, ultimo Judææ rege, incestum fecit. Cf. ad Sat. VI, 156 sq. Pro Berenice regina et apud eam se causam dixisse tradit Quintilian. Inst. Or. IV, 1.

Ann. U. C. 830—838, Christi 77—85,
Juvenalis 36—44.

Britannia et *Orcades* insulæ expugnantur ab Agricola, qui tamen *Hiberniæ* occupandæ consilium exsequi non potest; sed revocatus a Domitiano in otio vivit, ut tyranni insidias

effugiat; et moritur ann. U. C. 846, veneno necatus, quod vulgo saltem credebatur. Conf. ad Sat. II, 159 sq. IV, 127; XIV, 196; XV, 124. *Gallia causidicos docuit facunda Britannos* Sat. XV, 111.

Ann. U. C. 833, Christi 80,
Juvenalis 39.

Juvenalis, qui ad mediam fere ætatem declamaverat, ab hoc tempore, paucorum versuum Satira non absurde composita in Paridem et Statium, hoc genus scripturæ industrie excolit; sed diu ne modico quidem auditorio quidquam committere audet, propter tyrannidem Domitiani. Ita Suetonius in Vita; ad quam bene hæc adnotavit Oudend. « Poeta studiis literariis et declamationibus animi causa operam dedit ad XL ætatis annum. Hinc lusit aliquando satiram in Paridem, Neronis pantomimum, mox occisum a Nerone. (Vid. ad Sat. VI, 87.) Tunc vero non prosequutus est poeticum studium; certe non palam divulgavit carmina; donec jam octogenarius sub Imp. Hadriano, qui ann. U. C. 870, Romam venerat, præ indignatione tot malorum poetarum et criminosæ priorum imperatorum et aulicorum suorumque temporum et civium vitæ, denuo in bilem effundendam erupit, suasque satiras recitavit, atque pro Neronis pantomimo inseruit, Sat. VII, 87, Domitiani pantomimum juniorem Paridem, itidem a Domitiano morte mulctatum (vid. ad Sat. VI, 87; VII, 87); eaque occasione poetæ Statii meminit VII, 82 seq. Quum vero præter alia infersisset Sat. VII, 90 seq. *Quod non dant proceres, dabit histrio*, etc. illis versibus offensus iste *histrio*, qui Hadriano Imp. in deliciis erat et omnia apud illum poterat, conflavit Juvenali invidiam, ita ut in suspicionem venerit, quasi præsentia tempora figurate, ut ait auctor, per veterem quasi illum Paridem notasset. Quapropter illum Hadrianus, facetissimo ingenio et poetis favens princeps, sed incitatus ab *histrione*, tali supplicii genere affecit, quod levi et joculari delicto par esse videbatur, eumque, qui ridebat, homines quosdam fieri præfectos et tribunos favore histrionis, ipsum fecit præfectum cohortis Ægyptiacæ, ut videretur pro suis versibus esse honoratus; sive sub honoris specie illum ab

Urbe removit. Neque hæc accidisse vivo Domitiano, luce meridiana est clarius. Nam ejus mortem ipse Juvenalis descripsit Sat. IV, 34; VI, 279; VII, 186, et sub Trajano laudatur ille vivens a Mart. XII, 18. Non ergo *histrio*, seu pantomimus Neronis vel Domitiani, sed Hadriani est intelligendus, tum Sat. VII, 87, et 90, tum in Sidonii Apoll. carm. IX, 270 : « *Irati fuit histrionis exsul.* » Plura vide ap. Salmas. Plin. Exerc. in Solini cap. 32, pag. 319 seq. al. 449 seq. et Dodwell. in Annal. Quintil. § 37—41, pag. 156 seq. »

Ann. U. C. 834—849, Christi 81—96,
Juvenalis 40—55.

Imperium obtinet T. Flavius Sabinus *Domitianus*, qui *ultimus Flavius*, *Nero calvus* et *Pontifex summus* dicitur Sat. IV, 37, 38, 46, 137. Ævum ejus simile Neroniano (vid. ad ann. U. C. 807) et insigne copia delatorum in dies crescente, e quibus famosissimi erant *Regulus* (vid. ad Sat. I, 33 sq.); *Bebius Massa* (Sat. I, 35); *Metius Carus* (Sat. I, 36); *Palfurius Sura*, (Sat. IV, 53); *Armillatus* (ibid.); *Pompeius* (Sat. IV, 110); *Catullus Messallinus* (Sat. IV, 113 sq.); et *Fabricius Veiento* (Sat. III, 185; IV, 113, 124; VI, 113). Hujus Fabricii, senatoris hominisque adulandi peritissimi, uxorem *Hippiam* cum Sergio gladiatore in Ægyptum migrasse, narratur Sat. VI, 82—113. Præfecti Urbi sub Domitiano erant *Pegasus* et *Rutilius Gallicus*. Vid. ad Sat. IV, 75 sq. et XIII, 157.

Ann. U. C. 836, Christi 83,
Juvenalis 42.

Domitianus, ridicula expeditione in Cattos facta, a Senatu triumphum et cognomen *Germanici* accipit. Cf. ad Sat. VI, 205. Hoc etiam anno tyrannus ille, repudiata Domitia, occisoque propter adulterium ejus *Paride* histrione (Sat. VII, 87), palam, tanquam cum uxore, consuescit cum *Julia*, Titi fratris sui filia, Sabino nupta, quæ coacta abortivis conceptum abigere, moritur, et ann. U. C. 844, Chr. 91, consecratur. Eodem tempore Domitianus severas de adulteriis et pudicitia leges, *Juliam* et *Scatiniam*, revocat. Confer ad Sat. II, 29—44. Dio LXVII, 3, et Dodwell. Annal. Quintil. § 14.

Ann. U. C. 837, Christi 84,
Juvenalis 43.

Domitianus decies, et App. Junius Sabinus consules. Hunc Junium nonnulli, Sat. XV, 27, innui putant.

Ann. U. C. 838—845, Christi 85—92;
Juvenalis 44—61.

Bellum geritur adversus *Dacos*, in quo App. Junius Sabinus et Corn. *Fuscus* pereunt. Domitianus tandem, annuo tributo promisso, pacem ab hoste emit, et tamen de victoribus falsum agit triumphum, cognomenque *Dacici* sumit. Conf. ad Sat. IV, 111; VI, 205, et Dodwelli Annal. Quintil. § 22, et p. 190; ubi suspicabatur etiam, eodem tempore ridiculum Patrum consilium de inusitatæ magnitudinis rhombo a Domitiano habitum esse (si verum fuit, non fictum), ante quam in *Dacos* mitteretur *Fuscus*, et quum tristes tam e *Britannia*, (cujus rex præter alios fuit *Arviragus* Sat. IV, 127), quam de *Cattis* et *Sygambris* nuntii venissent. Cf. ad Sat. IV, 37 sqq. 111, 126, 147. Ei consilio affuisse dicuntur *Pegasus* Jurisconsultus celeberrimus, qui sub Vespasiano consul fuit suffectus cum Pusione, et postea præfectus Urbi (vid. ad Sat. IV, 75 sq.); *Vibius Crispus*, senex jucundi et mitis ingenii (Sat. IV, 81 sq.); *Acilius Glabrio* cum filio (Sat. IV, 93—103); *Rubrius* (ibid. v. 104 sq.); *Montanus* abdomine tardus (v. 107); *Crispinus*, matutino sudans amomo, (qui servus olim fuerat Ægyptius: sed a Domitiano ad dignitatem provectus equestrem, luxuria diffluebat, de quo v. ad Sat. I, 26 sq. IV, 1 sq. 108, 109); *Pompeius* delator (Sat. IV, 110); Corn. *Fuscus* (ibid. v. 111, 112); *Catullus Messallinus* et *Fabricius Veiento*. (Vid. ad Sat. 113 sq. et sup. ad ann. U. C. 834.)

Ann. U. C. 839, Christi 86,
Juvenalis 45.

Agones Capitolini a Domitiano instituuntur in honorem Jovis Capitolini, et *Britannia* insula circumvehitur ab Agricola, octavo præfecturæ ejus in Britannia anno. Cf. ad Sat. VI, 397; VII, 86, et Dodwell. Ann. Quintil. § 22.

Ann. U. C. 845, Christi 92,
Juvenalis 51.

Quintilianus, Rhetor celeberrimus idemque ditissimus, institutioni filiorum sororis a Domitiano præficitur, et forte per patrem eorum, Flavium Clementem, ornamenta impetrat consularia. Vid. ad Sat. VII, 188—198.

Ann. U. C. 846, Christi 93,
Juvenalis 52.

Bæbius *Massa* accusatur a Plinio Juniore et Senecione, ac damnatur. Vid. ad Sat. I, 35.

Ann. U. C. 847, Christi 94,
Juvenalis 53.

Domitianus philosophos Urbe Italiaque submovet. Confer Dodwell. Ann. Quint. § 14, et 26.

Ann. U. C. 848, Christi 95,
Juvenalis 54.

Acilius Glabrio, qui cum Trajano consul fuerat, jussu Domitiani occiditur cum Herennio Senecione, L. Junio Rustico (vid. ad Sat. XV, 27), Sallustio Lucullo, Ælio Lamia, Metio Pompesiano et aliis. Vid. ad Sat. IV, 94 sq. 154. Eodem forte tempore Judæis, a Domitiano, ut quondam a Claudio, Roma pulsis locatur lucus Camœnarum, a Numa his sacratus, unde in Urbem mendicatum vaticinatumque veniunt. Conf. ad Sat. III, 13 sq. et VI, 542 sq.

Ann. U. C. 849, Christi 96,
Juvenalis 55.

Domitianus, qui omni nobilitate exstincta jam in plebem quoque sævire cœperat, trucidatur. Vid. ad Sat. IV, 153, 154. Eodem anno moritur *P. Papinius Statius* poeta, qui a Domitiano et Paride divitiis honoribusque auctus erat. Cf. ad Sat. VIII, 82—93.

Ann. U. C. 849—851, Christi 96—98,
Juvenalis 55—57.

M. Cocceius Nerva imperator est, ad quem forte spectat initium Sat. VII.

Ann. U. C. 851—870, Christi 98—117,
Juvenalis 57—76.

Regnat M. Ulpius Nerva *Trajanus*, ad quem nonnulli referunt principium Satiræ VII. Conf. ad Sat. VI, 205, 236, 245, 407 seq. 502.

Ann. U. C. 853, Christi 100,
Juvenalis 59.

Marius Priscus, direptis Afris, quorum causam agit Plinius Junior, repetundarum damnatur (vid. ad Sat. I, 47 sq. et VIII, 120,) hoc anno, quo tertium cum Trajano consul erat M. Cornelius *Fronto*, orator insignis et patronus virorum doctorum, qui poetis recitaturis ædes suas commodabat. Vid. ad Sat. I, 12, 13. Eodem anno Trajanus consulem sibi suffecit Plinium Juniorem.

Ann. U. C. 854, Christi 101,
Juvenalis 60.

Hoc forte anno *Martialis*, quem poetæ nostro familiarissimum fuisse ex ejus Epigr. 24 libri VII, intelligitur, obiit in patria (Bilbili, Celtiberiæ opp.), quam senex, relicta Roma ann. Chr. 100 (vid. Massoni vit. Plin. jun. pag. 112 sq.) vel, si Dodwello (Ann. Quint. § 38) fides habenda, ann. Chr. 103, repetiit, et ubi paulo post mortuus est. Ibidem scripsit Epigr. 18 libri XII. Unde Salmasius et Dodwellus recte collegerunt, Juvenalem tunc temporis Romæ fuisse, non in Ægypto. — Eodem anno, Trajano sexties Articuleio Pæto Coss. prætor fuit P. Juventius *Celsus*, jurisconsultus celeberrimus, qui, ann. U. C. 882, secundum gessit consulatum, regnante Hadriano. Vid. ad Sat. VI, 245, et VIII, 194.

Ann. U. C. 867, Christi 114,
Juvenalis 73.

Terræ motus Antiochiam et vicina loca concutit, quo tempore Trajanus expeditionem susceperat in Armenios et Parthos. Cf. ad Sat. VI, 407—411, et Dodwell. Ann. Quint. § 40.

Ann. U. C. 870, Christi 117,
Juvenalis 76.

J. Ælius *Hadrianus*, ab exercitu Antiochiæ imperator salutatus et Augustus, Romam venit; quo tempore Quintiliano data esse ornamenta consularia multosque poetas recitasse, in his quoque Juvenalem, suspicabatur Dodwell. Ann. Quint. § 36—41. Conf. ad Sat. I, 1 sq. et VII, 188—198. Hadrianus imperavit pæne annos XXI, et princeps fuit omnibus literis perpolitus doctorumque hominum amantissimus; unde ad eum videntur pertinere, quæ Sat. VII, pr. leguntur, et ad hæc tempora quæ refert Suetonius : *Mox magna frequentia magnoque successu bis ac ter auditus est* Juvenalis, *ut ea quoque, quæ prima fecerat, inferciret novis scriptis*, verb. caus. Sat. VII, 90—92.

Ann. U. C. 872, Christi 119,
Juvenalis 78.

Junio Rustico consule gesta sunt quæ Sat. XV, 27—92, memorantur de Ombitis et Tentyritis.

Ann. U. C. 873, Christi 120,
Juvenalis 79.

Hoc anno Juvenalis scripsit Satiram XIII, quod ex ejus vers. 16, et 17, intelligitur.

Ann. U. C. 874, Christi 121,
Juvenalis 80.

Satira XV, hoc forte anno scripta, non superiore; nam si tam recens factum esset, quod in ea narratur, poeta, opinor, v. 27, simpliciter dixisset *nuper*, neque adjecisset *consule Junio*.

Si recte annum U. C. 795 natalem Juvenalis statuimus, ille

hoc anno, quo tum octogenarius fuit, in suspicionem venit, quasi Sat. VII, 90 sq. tempora præsentia figurate notasset, ac statim per honorem militiæ Urbe submotus est, et ad præfecturam cohortis in Ægyptum missus, ubi intra brevissimum tempus angore et tædio periit. Cf. sup. ad ann. U. C. 795 et 833. De loco exsilii ambigitur: Salmasius putabat eum fuisse *Sienen;* Jo. *Malalas* vero in Chronogr. t. V, p. 341, cujus verba repetiit Suidas, *Pentapolin* Libyæ, h. e. Cyrenaicam (de quo vid. Plin. V, 5 pr.); vetus Schol. ad Sat. IV, 38, *Oasa* s. *Oases*, de quibus docte et copiose egit Michaelis nota 54, ad Abulfedæ descript. Ægypti p. 21—32, ubi docet, tres Oases et prope majorem fuisse præsidium Rom. hunc autem esse exsilii locum, e jure Romano et historia ecclesiastica (v. c. de Nestorio) notissimum, in quem, ut in insulas, deportati olim fuerint rei et relegati. Conf. Relandi Hist. Crit. t. VI, art. XI, et Wessel. ad Hieroclis Συνέκδημον p. 725, 731.

AULI PERSII FLACCI

VITA

AUCTORE SUETONIO.

Aulus Persius Flaccus natus est[1] pridie Nonas Decembris, Fabio Persico, L. Vitellio, consulibus. Decessit octavum Kalendas Decemb. Publio Mario, Asinio Gallo, consulibus. Natus in Etruria Volaterris, Eques Romanus, sanguine et affinitate primi ordinis viris conjunctus, decessit ad octavum milliarium via Appia, in prædiis suis. Pater ejus Flaccus pupillum reliquit moriens, annorum fere sex. Fulvia Sisennia mater nupsit postea Fusio, Equiti Romano : et eum quoque extulit intra paucos annos. Studuit Flaccus usque ad annum duodecimum Volaterris : inde Romæ apud grammaticum Remmium Palæmonem, et apud Rhetorem Virginium Flavum. Quum esset annorum sedecim, amicitia cœpit uti Annæi Cornuti, ita ut ab eo nusquam discederet[2]; a quo inductus aliquatenus in philosophiam est. Amicos habuit a prima adolescentia Cæsium Bassum[3] poetam, et Calpurnium Suram[4], qui eo vivo juvenis decessit. Coluit ut patrem Servilium Nonianum. Per Cornutum cognovit Annæum etiam Lucanum, æquævum auditorem Cornuti. Nam Cornutus illo tempore tragicus fuit, sectæ Stoicæ, qui libros philosophiæ reliquit. Sed Lucanus adeo mirabatur scripta Flacci, ut vix retineret se, illo recitante, a clamore, [quin « illa esse vera poemata » diceret[5].] Sero cognovit et

1. *Natus est*, etc. A. U. 787 : decessit ann. 815. *Publio* Mario pro *Rubrio* emendavit Lips. ad Tacit. Annal. XIV, 48.

2. *Nusquam*. Auctorem dedisse putamus *nunquam*.

3. *Cæsium Bassum*. Est idem cui Noster satiram sextam nuncupavit; quam vide, si vacat. Ed.

4. Ita Wolfius pro *Staturam*, ubi nullus sensus.

5. *Quin... diceret*. Desunt hæc in MMS. et quibusdam videntur minus apta.

Senecam, sed non ut caperetur ejus ingenio. Usus est apud Cornutum duorum convictu doctissimorum et sanctissimorum virorum, acriter tum philosophantium, Claudii Agathemeri, medici Lacedæmonii, et Petronii Aristocratis, Magnetis, quos unice miratus est et æmulatus, quum æquales essent, et Cornuto minores. Ipse etiam decem fere annis summe dilectus a Pæto Thrasea est, ita ut peregrinaretur quoque cum eo aliquando, cognatam ejus Arriam uxorem habente. Fuit morum lenissimorum, verecundiæ virginalis, formæ pulchræ, pietatis erga matrem et sororem et amitam exemplo sufficientis. Fuit frugi et pudicus. Reliquit circa HS vicies matri et sorori: scriptis tamen ad matrem codicillis, rogavit eam, ut daret Cornuto sestertia, ut quidam dicunt, centum; ut alii volunt, argenti facti pondo viginti, et libros circa septingentos, sive bibliothecam suam omnem: (verum Cornutus, sublatis libris, pecuniam sororibus, quam frater heredes fecerat, reliquit[1]). Et raro, et tarde scripsit. Hunc ipsum librum imperfectum reliquit. Versus aliqui dempti sunt ultimo libri: et quasi finitus esset, leviter retractavit Cornutus[2]; et Cæsio Basso petenti, ut ipse ederet, tradidit edendum. Scripserat etiam in pueritia Flaccus *Prætextam* [Vescio[3]], et Ὀδοιπορικῶν librum unum, et paucos uxori Thraseæ in Arriam matrem versus, quæ se ante virum occiderat. Omnia autem ea Cornutus auctor fuit matri ejus, ut aboleret. Editum librum continuo mirari homines, et diripere[4] cœperunt. Decessit autem vitio stomachi, anno ætatis tricesimo[5]. Sed mox, ut a schola et magistris diverterat, lecto libro Lucilii decimo, vehementer Satiras, componere studuit: cujus libri principium imitatus est, sibi primo, mox

1. *Verum Cornutus..... reliquit.* Ut spuriam, uncis inclusit hanc periodum Oudendorp.

2. *Et... leviter retractavit Cornutus.* Vulgo, « et... leviter *recitavit Cornuto.* » Vide Oudendorp. et Wolf.

3. *Vescio.* Suspectam vocem inclusimus uncis cum Wolfio.

4. *Editum librum... diripere.* Quod ad nostram vocem respondet: « *s'arracher un livre.* » Ed.

5. *Anno... tricesimo.* Immo *vicesimo octavo*: vide supra. Ita scripsit Wolfius. Plerumque in Suetonio, si is autor vitæ, consules et vitæ annos non convenire, antea demonstravimus.

omnibus detrectaturus, cum tanta recentium poetarum et oratorum insectatione, ut etiam Neronem culpaverit. Cujus versus in Neronem quum ita se haberet:

Auriculas asini [1] Mida rex habet,

In hunc modum a Cornuto ipso tantummodo est emendatus,

Auriculas asini *quis non* habet?

ne hoc Nero in se dictum arbitraretur.

1. *Auriculas asini*, etc. Sat. I, 121.

AULI PERSII FLACCI

VITA

PER ANNOS PROBABILIBUS CONJECTURIS DIGESTA.

A. U. C. 787, Christi 34,
Persii 1.

Temporum, quibus natus est Persius, imaginem vividis admodum coloribus expressit Vir. Cl. G. L. Kœnig, quam relatu perutilissimam existimavimus.

Debellatis tot tantisque nationibus a Romanis, omnique ratione expilatis, ingentes divitiæ, quæque ex his nasci solent, avaritia, luxuria, omniaque vitiorum genera, Romam confluxerant; quibus tandem corrupti victores et enervati omnem honestatis et libertatis sensum adeo amiserunt, ut gravissimum servitutis jugum, a turpissimis interdum hominibus sibi impositum, æquo animo paterentur. Prisca illa animi magnitudo et gravitas, qua Romani veteres reliquas nationes præstiterant, vili cessit adulationi puerilique levitati. Etenim ipsa frugalitas, mater pæne omnium virtutum, quibus nomen Romanum vel hostes infestissimos in sui admirationem rapuerat, opibus orbis terrarum in urbem congestis, expulsa adeo evanuit, ut in paucis admodum generosioris indolis, qui a communi vitiorum contagio intactum servaverant animum, vestigia ejus remanerent. Umbra libertatis, quam Augustus civibus, magis ut sui ipsius saluti, quam ut eorum commodis consuleret, reliquerat, a Tiberio funditus sublata, (Tacit. Annal. I, 15; Dio Cass. LVIII, 20, ibi V. Reimar. Sueton. Tib. 37; Pompon. II, § 9. D. de or. Jur.) Romani, cura rerum publicarum omissa, convertebant animos ad res privatas, atque amor patriæ studiumque rerum communium sen-

sim sensimque exstirpabatur. Quum jam ab unius benevolentia aut invidia omnia vel exspectanda vel timenda essent, id omnes agebant, ut, quibuscumque rebus possent, gratiam ejus aucuparentur, neque quidquam committerent, quod minus illi placeret. Delatorum porro greges, per Italiam omnesque provincias sparsi, non facta solum et dicta, sed ex iis etiam intima animi sensa rimabantur, et vel domesticorum fidem infestam reddebant. Quam ob rem nemo liberam vocem emittere audebat; vel taciti Imperatorum insaniam resque imperii ruentes adspiciebant, vel occulte et ambigue loquebantur, sortemque suam domi delitescentes lugebant. Inde quoque sermonis indoles et natura colorem traxit; quæ, quum antea simplex esset et aperta, quandoquidem nemini fraudi erat, ea proloqui, quæ cogitasset, nunc obscuritate quadam obvoluta erat et tecta, atque a naturali simplicitate in dies magis magisque deflexit. Ipsa eloquentia foro relicto vel in scholarum umbraculis abscondita situ corrumpebatur, vel in senatu peregrino fuco oblita, in laudandis Imperatoribus sententiisque illorum abjecte comprobandis erat occupata; quumque rerum argumentorumque magnitudo deficeret, inani verborum pompæ sententiarumque tumori studebat. (Senec. Controv. præf. ad lib. I; Quintil. Inst. IX, 3; Auctor de Corrupt. Eloq. c. 24, 28, 32.) Sensu sublimitatis veræ, decoris, et ingenuitatis obtuso, studium collocabatur in rebus minutis, et novitatis cupidine et acuminis jejuni scriptores obscuri et inepti fiebant. Mutata Reipublicæ forma moribusque pristinis exutis, sermo quidem novis subinde dicendi rationibus et verbis passim auctus est, præcipue a peregrinis, qui undique ex provinciis Romam confluxerant; at multa contraxit, quæ antiquam puritatem ejus candoremque contaminarent. Multa plebeia ei admixta sunt, multa adulandi studium invexit; major tamen corruptelæ pars grammaticorum et rhetorum scholis debetur, communique fere furori, quo ad versus conscribendos vulgo compellebantur, omnisque eloquentia et poesis, quam non in naturæ et ingenii dotibus, sed in observandis artium præceptis positam existimabant, in pueriles declamationes abiit, et in frigidum troporum et figurarum adhibendarum artificium Judi-

cio veri et pulchri semel corrupto, placendi quoque studium scriptores in fraudem illexit, ut non optima quæque sequerentur, exemplaque veterum scriptorum imitanda sibi proponerent, verum ut ea chartis illinerent, quæ multitudini probarentur, quæque in magna frequentia auditorum recitata maximas exclamationes plaususque excitarent. Neque vero ii, in quibus altior spiritus inerat, immunes erant omnino ab illis vitiis, quæ hujus ætatis essent; plerique vigore et vi destituti aliorum vestigiis inhæserunt, et in sententiarum vario ornatu occupati, inventionis et compositionis laudem neglexerunt.

Erant sane illa tempora nulli poeseos generi magis quam satirico accommodata; nam morum corruptela, luxuriæ et profusionis insania, vitiorumque omnis generis immanitas tanta erat, ut contemplanti hæc difficile esset, satiram non scribere.

Dum hæc agerentur tempora, prodiit in lucem Persius. Cassiodorus eum natum dicit anno sequenti; quod ab Eusebio forsan mutuatus est. Quem vide in Chron. ad ann. 2050.

Verum, ex pluribus, natus est A. U. C. 787, prid. Non. Decemb. Fabio Persico, Lucio Vitellio consulibus. Regnabat tunc Tiberius. De parentibus poetæ nostri satis gravia memoriæ prodita reperiuntur. Natus est Persius, equestri genere, sanguine et affinitate primi ordinis viris conjunctus.

Persii gentis raro in Romanorum monimentis mentio fit. Tempore belli Punici secundi circa 544, florebat C. Persius militari laude conspicuus. Annis post hunc paullo minus centum alter C. Persius urbanitate et doctrina insignis. (Cic. de Orat. II, 6.) Verum dubitari potest, an illi ad nostri Persii genus pertinuerint. Mentio quoque fit Persii, poetæ Phocæensis, apud Polluc. in Onom. IX, 6.

Patriam poetæ constat fuisse *Volaterras*, vetustum Hetruriæ oppidum.

A. U. C. 793, Christi 40,
Persii 6.

Persius Flaccum patrem amittit. Usque ad duodecimum ætatis annum *Volaterris manet.*

A. U. C. 795, Christi 42,
Persii 8.

Nascitur Cordubæ, in Hispania, Lucanus poeta; præcipuus poetæ nostri admirator. Moritur, eodem anno fortissime Arria, Pœti uxor, cujus virilem animum nemo nescit. Vide infra.

A. U. C. 799, Christi 46,
Persii 12.

Romam defertur Persius ad Rhemnium Palæmonem, grammaticum, et Virginium Flaccum, rhetorem.

Rhemnius Fannus Palæmon erat nobilis grammaticus tempore Claudii. Verna natus literas didicit quum pædagogus esset, deinde manumissus Romæ docuit. Erat « omnibus vitiis infamis, palamque et Tiberio et mox Claudio prædicantibus, nemini minus institutionem puerorum vel juvenum committendam. Capiebat homines cum memoria rerum, tum facilitate orationis; nec non etiam poemata faciebat ex tempore. » (Sueton. de Clar. Gramm. 23). Quadragena annua ex schola cepit, nec paulo minus ex re familiari, cujus erat diligentissimus. Ibid.

Virginius Flaccus rhetor sub Trajano mortuus est. Scripsit de arte dicendi. (Quint. Inst. III, 1; Tacit. Ann. XV, 71.)

A. U. C. 803, Christi 50,
Persii 16.

Persius venit in disciplinam Annæi Cornuti, philosophi Stoici, eoque patre magis et amico, quam magistro usus est.

Annæus Cornutus Afer, Stoicæ sectæ æmulus, magnam humanitatis disciplinarum gloriam nactus est. Philosophiam Romæ professus juventuti ad sapientiam erudiendæ omne tempus impendebat. Quum Neronem, insignem eruditionem

affectantem, libere dicto offendisset, in exsilium est ejectus. (Dio Cass. LXII, 29: cf. quæ ibi in notis laudantur. Suidas in Κορνοῦτος Cornutum historicum, Livii æqualem, cum hoc philosopho confudit: adde not. ad Pers. Sat. V, 16. Vid. præterea fragmentum huic Cornuto peculiariter addictum, in hoc volum. infra, pag. 555.)

A. U. C***, Christi ***,
Persii ***.

Auctor quidam memoriæ proditum reliquit, *in pueritia* Persium *Prætextam* et *Odoiporicon* librum unum et paucos versus in socrum Thraseæ Arriam matrem, quæ se ante virum occiderat, scripsisse, quæ omnia, Cornuto auctore, a matre Persii abolita sint.

A. U. C. 807, Christi 54,
Persii 20.

In solium ascendit Nero. — Imperatorem creditur carpi, Sat. I, vs. 121. Super his *Kœnig*: « Ridiculos prope dixerim eos esse, qui Persium obscuritati studuisse perhibeant, ut delatorum periculum effugeret, aut Neronis iram evitaret. Quasi istis temporibus vel levissima suspicio non vim ipsius delicti habuerit, aut Persius arbitratus sit, Neronem id non esse intellecturum, quod ab omnibus reliquis intelligi optaret. Mihi quidem verisimile videtur, Persium de edendis satiris tum, quum eas scriberet, ne cogitasse quidem, verum in animo habuisse, æquiora tempora exspectare, ut Juvenalis, ut ipse Tacitus fecit, sed morte ejus præmatura illud opus imperfectum in amicorum manus venisse, ut ipse vitæ auctor, quisquis ille tandem sit, testatur. Quid hi resecuerint vel immutaverint vel castigaverint, aut quando satiras illas vulgaverint, ipsi vitæ auctori ignotum fuisse videtur. Quod enim dicit, Cornutum unum versum in prima satira mutasse, ne eum ad se traheret Nero[1], tam absurdum est, ut mirer fuisse, qui hujusmodi quid

1. Verba, quæ leguntur Sat. I, vs. 121: « Auriculas asini Mida rex habet, » narrat vitæ auctor Cornutum ita satis absurde mutasse. « Auriculas asini quis non habet? »

serio repeterent, nec intelligerent, ex varia codicum lectione grammaticum nescio quem illud somniasse [1]. »

A. U. C. 811, Christi 58,
Persii 24.

Floret L. Ann. Seneca, magnæ laudis philosophus, quem sero cognovit Persius, non ita tamen ut caperetur ejus ingenio.

A. U. C. 816, Christi 62,
Persii 28.

Decessit Persius vel septimo, vel octavo anno imperii Neronis, octavum agens et vicesimum annum, non autem tricesimum, ut ait auctor Vitæ Juvenalis per annos digestæ; ut per numeros facile liquet. P. Mario Celso, L. Asinio Gallo consulibus.

Persii amicitiæ, indoles,
opera.

Amicos Persius habuit a prima adolescentia Cæsium Bassum [2], et Annæum Lucanum, quem per Cornutum cognoverat, poetas, quorum ille lyricum, hic epicum poeseos genus sequutus est. Erat Persius, ut auctoris ejus vitæ verbis utar, « morum lenissimorum, virginalis fere verecundiæ, formæ pulchræ, summæque pietatis in matrem, sororem, et ami-

1. Vitæ auctor præterea hæc habet: « Hunc ipsum librum imperfectum reliquit. Versus aliqui dempti sunt ultimo libri, ut quasi finitus esset. Leviter retractavit Cornutus, etc. » Sic hæc Reitzius exhibuit, quæ aliter apud alios, semper tamen ita leguntur, ut nullus sensus idoneus inde elici possit. Cæterum hoc ita non esse accipiendum, quasi nunc satira sexta manca sit, quæ procul dubio integra est, jam Casaubonus monuit; idemque existimat, versus illos deletos ad novam satiram pertinuisse inchoatam tantum nec dum finitam. Addit præterea: « Etsi vero certum est, recte Persii librum hodie in sex satiras distingui; in antiquissimis tamen membranis aliam distinctionem invenimus: in multis enim codicibus quinque solum satiræ numerantur, quarta ad tertiam adjuncta: in quibusdam continuus est unus liber, nulla satirarum facta distinctione. Sane Priscianus, atque alii grammatici antiqui, quoties Persium laudant, librum nominant, non satiras numerant. »

2. De hoc vide quæ notata sunt ad Sat. VI.

tam. » Accuratiorem naturæ ejus atque indolis imaginem in scriptis, quæ reliquit, expressam videmus, vividissimis quasi coloribus depictam, cujus pulchritudine accensi vel inviti cogimur in judicio de satiris ejus ferendo id potius spectare, quod perficere potuisset, si vel æquiori Musis tempore vixisset, vel longior ætas ei suppetivisset ad ea polienda, quæ satis pulchre inchoaverat, quam juveniles illos conatus ad severas critices regulas exigere. Est sane quod miremur, tantam gravitatem et constantiam in juvene præsertim locuplete fuisse, ut omnes voluptates, quibus, ex illius ætatis opinione, vel honeste frui potuisset, respuerit, tantum virtutis et honestatis ardorem, quo eum quavis pagina abreptum videmus, tantam severitatem in omni mollitie castiganda moribusque effeminatis acerbe notandis, ut barbatum aliquem ex priscis Romanis existimes audire. Quod autem maxime nos ei conciliat, est pietatis sensus, quem erga Cornutum præceptorem declarat, tam candidus et vehemens, ut quisque animadvertat, in rei magnitudine verbis assequenda eum magnopere elaborasse, nec tamen sibi satis fecisse. Quibus virtutibus instructus dignissimus sane fuit amicitia et consuetudine Pæti Thraseæ [1], summi et clarissimi viri, quocum etiam affinitate erat conjunctus.

Raro Persium et tarde scripsisse, librumque, quem nunc etiam habemus, ultimam manum ejus non esse expertum. In hujus ultima parte versus aliquot esse deinptos, ut finitus vide-

2. Thraseas Pætus Patavinus. Tacit. Annal. XVI, 21. Gener Cæcinæ Pæti et Arriæ, de quibus vide Martial. I, 14; Plin. Epist. III, 16; Dio Cass. LX, 16. Erat Stoicus et admirator Catonis Uticensis, cujus vitam scripserat, atque vir antiquæ plane virtutis et inter tot abjectissimos Neronis adulatores solus erectus et constans, intrepidus et gravis, notaque humanitate et clementia. Plin. Epist. VIII, 22, 3. Is Neroni invisus ob multas res, præcipue ob sententiam de Antistio, Tacit. lib. XIV, cap. 48. Tamen virtutem Thraseæ vel invitus agnovit. Plut. reipubl. ger. præc. cap. 14, t. XII. ed. Hutt. Accusatus deinde, Tacit. lib. XVI, cap. 21; mortis arbitrium accepit, venisque sectis, occubuit. Tacit. l. c. 31; Suet. Ner. 37; Schol. ad Juvenal. V, 36; Dio Cass. LXII, 26. Laudavit eum postea Arulenus Rusticus, quod ipsi sub Domitiano capitale fuit, liberque exustus est. Tacit. Vit. Agric. 2 et 45; Sucton. Domit. 10.

retur, Cornutumque ipsum nonnulla correxisse, Cæsioque petenti, ut ederetur liber, edendum tradidisse. Continet hic liber, a Quintiliano et Martiale laudatus[1], præter prologum sex satiras, non pari omnes dignitate, quarum prima ex duarum laciniis composita videtur, etiam ex quarta non pauca intercidisse probabile est. Ut accuratius de illis satiris judicari possit, res postulat ut dicatur de satira, de satirico genere, quod a Romanis inventum, excultum et perfectum est; ut conferantur cum Persio alii satirarum scriptores, etc. Quæ omnia suo loco quæque in hoc volumine digesta reperiet lector. (Vid. pag. 476 et seqq.)

Magno plausu satiras editas confestim exceptas esse, memoriæ prodidit Vitæ Persii auctor[2], idemque Martialis testatur et Quintilianus, Patribusque ecclesiæ probatum illum fuisse indicant loca, quæ passim ex Persio protulerunt[3]. Etenim vel ea ipsa, quæ nunc scriptoribus vitio vertere jure solemus, multis tum quodammodo probata erant, sententiarum argutiæ, dicendi genus concisum, translationes audaces et obscuritas quædam orationi inducta[4]. Verum fieri non potuit, quin, quum et res, quarum mentio fit in satiris, cœpissent ex parte ignorari, et dicendi genus a vulgari ratione in dies magis magisque discrepare, inter obscuros scriptores Persius referretur, grammaticique ad eum explicandum se accingerent. Fuerunt qui putarent Persii satiras a Cornuto scholiis instructas in lucem prodiisse, atque ex iis scholiis decerpta quædam fragmenta iis adhuc inesse scholiis, quæ nunc cir-

1. Quintil. X, 1 : « Multum et veræ gloriæ, quamvis uno libro, Persius meruit. » Martial. IV, 29, 7 seq. « Sæpius in libro memoratur Persius uno, Quam levis in tota Marsus Amazonide. »

2. « Editum librum continuo mirari homines et diripere cœperunt. » Et paulo supra : « Sed Lucanus adeo mirabatur scripta Flacci, ut vix retineret se, illo recitante, a clamore. »

3. E. g. Lactant. III, 16, 15; VI, 2, 11. Augustin. de Civ. D. II, 7.

4. Quintil. Instit. VIII, 2 : « At pervasit quidem jam multos ista persuasio, ut id jam demum eleganter atque exquisite dictum putent, quod interpretandum sit. » Et IX, 3 : « Verborum figuræ et mutatæ sunt semper, et, utcumque voluit consuetudo, mutantur. Itaque si antiquum sermonem nostro comparemus, pæne jam, quidquid loquimur, figura est. »

cumferuntur. A quorum opinione equidem tam longe absum, ut putem, Persium antiquitus nullis scholiis fuisse instructum, quum iis nihil opus esset æqualibus ejus, quibus et cognitæ res et sermonis ratio notior erat. Quin probabile est, ne Hieronymum quidem codicem manu exaratum Persii scholiis ditatum aut ante oculos habuisse aut cognovisse, alioquin tam acerbum de obscuritate illius judicium non tulisset. Neque in scholiis, ut nunc sunt, ullum antiquitatis vestigium apparet; pleraque sunt ejusmodi, ut unusquisque non plane ineptus, lecto aliquo loco, eadem allinere posset, quia nihil iis inest, quod non ipsis auctoris verbis contineatur; pauca tantum ex aliquo grammatico non nimis vetusto temere decerpta videri possunt. Sed nescio quo fato id accidisse dicam, ut nullus locus difficultate aliqua insignis aliquid lucis nactus sit ex illis scholiis; nam vel omnino silent, vel ea explicant, in quibus nemo hæreat. Nihilominus tamen ea scholia *utilissima* in Persium passim etiam a doctissimis viris vocantur. Verum quum in antiquioribus editionibus scholia proferantur pleniora, quam ea, quæ Casaubonus editioni suæ adjecit, nonnullaque a viris doctis inedita laudentur et in bibliothecis adhuc latentia, tota ista de scholiis disputatio ei, qui melioribus præsidiis instructus est, relinquenda nobis videtur.

DE SATIRA ROMANORUM.

Accurata hujus argumenti et copiosa pertractatio aliena est a consilio nostro, neque paucis absolvi potest verbis ac paginis. Qui eam desiderant, iis consulendi sunt virorum doctorum libri, in quibus omnia, quæ huc spectant, quoad per magnam rerum obscuritatem veterumque testimoniorum paucitatem fieri potuit, tam diligenter excussa sunt et subtiliter, ut novis vix curis conjecturisque locus sit relictus[1]. Equidem officio meo satis fecisse mihi videor,

1. Conferendi in primis sunt: Casauboni *de Satyrica Græcorum Poesi et Romanorum Satira Libri duo*, Hal. 1774. ed. Rambach. qui præter suas et Crenii notas adjecit etiam pag. 331 — 400; Spanhemii Diss. *sur les Césars de Julien et en général sur les ouvrages satiriques des Anciens;* quam is præfixerat versioni gall. Cæsarum Juliani Amst. 1728, 4; Dacier in *Préface de l'origine et du progrès de la Satire des Romains et de tous les changements qui lui sont arrivés*, in edit. Horat. t. VI, Paris. 1709; et in *Mémoires de l'Acad. des Inscr. et belles-lettres* t. II, p. 199 sq. Jos. Scaligeri *Castigatt. ad Manilium* v. 468, pag. 283; Jul. Scaliger *de Arte poetica* l. I, c. 12; Dan. Heinsius *de Satira Horatiana* in ed. Horat. Lugd. Batav. 1612; Vulpius *de Satiræ latinæ natura et ratione ejusque scriptoribus qui supersunt, Horatio, Persio, Juvenale.* Patavii 1744, 8; Dryden in *Essay concerning the origin and progress of Satir*, cujus commentat. versio germ. reperitur in *Sammlung vermischter Schriften zur Beförderung der schönen Wissenschaft. u. freyen Künste. V. Bd. 2. Stück.* Berol. 1762; Brumoy, *Discours sur le Cyclope d'Euripide et sur le spectacle satirique* in opere cui titulus *le Théâtre des Grecs*, t. VI, p. 357, sq. et t. X, p. 18, sq. Mascovii *Exercitat. I in Horatii Satiras.* Lips. 1714; Rigaltii Diss. *de Satira Juvenalis*, in edit. Juven. Hennin. Prolegom. Sect. III. Dusch *in Briefen zur Bildung des Geschmacks.* p. VI, pag. 1—77; Bresciano *della Satira* in *Lettere scelte di varie materie* t. III, Venet. 1753; Robortelli *lib. de Satira*, adjunctus Paraphrasi ejus in Horat. A. P. Patav. 1548; Cooke *Grunds. der dram. Kritik.* Heyde *de Satirica Poesi Græcorum et Satira Romanorum*, in ejusd. vers. Persii. Lips. 1738; Clodius *in Versuche aus der Literatur und Moral.* 1 *St.* p. 123 sq. Lips. 1767; Flœgels *Geschichte der komischen Literatur* t. I, — III;

si, quæ alii tum recte, tum copiose præceperunt, in epitomen redegero et capita adtigero harum rerum, quarum veras notiones mentibus informatas habere multum interest juventutis, cui potissimum opera mea consulere volui.

Ridendi et cavillandi mos communis est hominibus, quippe qui ipsa natura et hilaritate ad eum invitantur. Hinc idem quoque obtinuit in primis eorum conventibus, in lætissimis iisdemque vetustissimis festis, quæ post messem et vindemiam, rusticis laboribus vertentis anni exactis, in honorem deorum ruralium, Cereris potissimum et Bacchi, agebantur. In iis pubes rustica, curis vacua et genio indulgens, non modo diis gratias agere et primitias offerre, sed rudem quoque et cum gesticulatione conjunctum edere solebat cantum. Is primum ad laudes deorum heroumque spectabat, deinde, inter et

inpr. tom. III, Liegnitz 1784; Sulzers *Theorie der schönen Künste und Wissenschaften* t. I, v. *Comödie et Aristophanes*, et t. IV, v. *Satire*; Blankenburgs *Anm. z. Sulzer. l. l.* Eschenburgs *Theorie und Literatur der schönen Wissensch.* Berol. 1785; Buhle *Progr de Fabula satirica Græcorum*, Goetting. 1787, 4; Meiners *Geschichte des Ursprungs, Fortg. und Verf. der Wissensch. in Griech. u. Rom* t. II, lib. VI, c. 2; Eichstaedt *de Dramate Græcorum comico-satirico, inpr. de Sosithei Lytiersa;* Lips. 1793, 8; Conz *über die Satire der Römer und über Juvenal*, in s. Museum für die griech. und röm. Literatur III, St. p. 31 — 49. Zürich u. Leipz. 1795; Manso *über die römischen Satiriker*, in Nachträgen zu Sulzers allg. Theorie der sch. Künste. IV B. 2 St. S. 409 — 496; Kœnig *de Satira Romana ejusque auctoribus præcipuis*, Oldenb. 1796, 8; Wachsmuth im Athenæum, herausgeg. von Günther und Wachsmuth t. I, p. II, p. 209 — 222; Hal. 1817. Multi quoque editores Horatii, Persii, et Juvenalis in Prolegom. de Rom. Satira, sed parum subtiliter et brevissime, disputarunt. (Ne tamen sic judices de iis quæ nostras *Dussaulx* versioni suæ præfecit. Ed.) Mihi quidem non omnes, quorum titulos memorav., ad manus fuere libelli; at præcipui tamen, quibus refero eos quos scripsere *Casaubonus*, *Eichstaedt*, *Manso*, et *Kœnig*, quorum diligentiæ et acumini me plurimum debere gratus profiteor, quorumque nomina tantum passim laudasse sufficiet.

post epulas, ad dicteria deflectebat salsa versibusque plerumque alternis et incomptis s. extemporalibus (αὐτοσχεδιάσμασι vel αὐτοσχεδίοις ᾄσμασι seu ποιήμασι, *Inpromptus*, *Improvisare*) expressa, quibus agricolæ vino pleni et prætereuntes et se invicem lacessebant, animorum remissione et temulentia excusante jocandi et irridendi licentiam [1]. Sensim vero ars adhiberi cœpit rusticique homines ad numerum (ῥυθμὸν, μέτρα καὶ ἁρμονίαν) et canere et gesticulari seu saltare discebant. Inde *chorus*, qui principio e Satyris ut plurimum componebatur, ipsaque poesis (θεατρικὴ μουσική) originem duxit [2]. Duplex autem illud canticorum genus paulatim scenicam dramaticamque Græcorum artem, et alterum quidem *tragœdias*, (τραγῳδίας s. τρυγῳδίας) alterum *comœdias* (κομῳδίας) peperit [3]. Ex illis præterea choris Satyrorum, quos priscis temporibus ruricolæ, vino gaudioque exsultantes omnique dicacitatis et petulantiæ genere risum cientes, agebant, natæ sunt *Satyricæ* Græcorum *fabulæ*, quæ, quum argumento tragœdiis, compositione comœdiis proximæ essent, illarum severitatem harum hilaritate temperabant, et non ita multo post Thespidis inventoris tempora in scenicis tragicorum poetarum certaminibus s. τετραλογίαις, quæ tribus festis Bacchicis vel Liberalibus (Διονυσίοις τοῖς ἐν Λίμναις, τοῖς κατ' ἄστυ et τοῖς κατ' ἀγρούς) celebrabantur, trinis tragœdiis, ab eodem propositis poeta et argumento fere haud disparibus, eum in finem subjungi solebant, ut, quidquid tristitiæ ex illis forte haustum esset, his relaxaretur [4]. Præter has vero

1. Cf. loca class. Virg. Georg. II, 385 sqq. Horat. Epist. II, 1, 139 sqq. et Tibull. I, 7, 35 sq. II, 1, 51 sq. Scurrilitatis illius exempla nota ex Horat. Sat. I, 5, 51 sq. 7, 1 sq. 28 sq. Virg. Ecl. III.

2. Conf. Aristot. Poet. c. 4. Tibul. loc. laud.

3. Vid. Aristot. loc. cit. et Athen. II, pag. 40. ed. Casaub. Blankenburg. I, pag. 504 sq.

4. Conf. Casaub. lib. I. c. 2—6.

fabulas tragico-satyricas, e quibus una tantum, Cyclops Euripidis, integra superest, fuere etiam *comico-satyricæ*[1], non a tragicis, sed comicis scriptæ poetis, (nam, quæ his tribuuntur dramata satirica, non tragica fuisse, sed comica, vel ex eo intelligitur, quod quilibet poeta Græcorum non nisi unum poeseos genus tractare et excolere solebat) quæ, illis jam deflorescentibus, diu adhuc viguere, sed raro et inscriptionis tantum, non argumenti, ratione habita memorantur, et vel simpl. nominibus Satyrorum insignitæ[2], vel variis titulis designatæ[3], vel communi comœdiarum genere comprehensæ videntur: unde difficillimum dictu, quæ vera comicæ Græcorum Satyrices fuerit indoles, et quibusnam in rebus a tragica discrepaverit[4].

inpr. pag. 117—125. Buhle l. laud. Eichstaedt p. 25 seq. Flögel t. I, p. 337 seq. Potteri Arch. Gr. t. I.

1. Id quidem non fugit Casaubonum et Spanhemium, sed leviter tantum (ille pag. 154; hic pag. 316) rem tetigerunt, quam prolixe primus, et non minus ingeniose quam docte, tractavit Eichstaedt l. laud.

2. Sic Athenæus laudat Anaxandridam ἐν Σατύρῳ, Cratinum, Ecphantidem et Phrynichum ἐν Σατύροις (quæ vox plur. num. sæpe unam tantum fabulam significat, quo res magis turbatur), Timoclis Ἰκαρίους Σατύρους et Δημοσατύρους.

3. Eichstaedt eo refert Κωμῳδοτραγῳδίαν Alcæi, Παροτραγῳδίας Rhintonis et *Tragico-comœdiam* in Plauti Prol. Amphitr. vs. 59 seq. ubi poetæ menti Amphitryonem Rhintonis obversatum esse suspicatur.

4. Eichstaedt, loc. laud. pag. 46—85; conjecturis, non certis quidem, at probabilibus, saltem ingeniosis, ductus, hæc inter utrumque satiricæ poeseos genus discrimina intercessisse arbitratur. «1° Tragici poetæ, uti tragœdiarum, ita satiricorum quoque dramatum, materiem e cyclo mythico petiere, qui plurimum iis præstabat et commoditatis ad fingendi probabilitatem, et varietatis ad spectatorum delectationem. Quæ argumenta licet comici poetæ non prorsus adspernarentur; multi tamen e vita communi maluerunt quotidianaque consuetudine ea repetere: in quo utique diversum sunt a Tragicis consilium sequuti. Nimirum a Comœdiis scribendis quoniam ad fabulas accesserant satiricas, ad has ita quasi transfudisse videntur Comœdiæ indolem, ut quum alii maledicendi licentiam ex ea adsumpsissent, alii in tragœdiarum essent perversa et ad risum composita imitatione occupati, prosemina-

In his Græcorum fabulis satyricis, præcipue comicorum poetarum, et comœdiis, antiqua in primis et media,

rentur duæ velut familiæ, multis ornandæ fabulæ generibus sociæ, in hoc quidem certe aliquantum disjunctæ, quod delectationem spectatorum approbationemque *diversa argumenti tractatione* quærerent. Etenim qui in domesticis argumentis habitarunt, priscæ Comœdiæ os dicacitatemque æmulati, dicteriis in populares conjiciendis risum excitare voluerunt. Contra, qui ad mythicum se orbem contulerant, non tam id unice et inprimis animo videntur intendisse, quod perficere Tragici studebant, ut actionis quadam et orationis ridicula commixtione spectatorum hilararent animos et Satyrorum protervitate delectarent, quam hoc, ut tragœdias turpicula imitatione deformarent, earum et argumenta juvante mythorum varietate, ad ludum et jocum converterent et personas populo deridendas proponerent. Quamvis enim media, quam vocant, Comœdia hanc sibi provinciam tanquam propriam vindicavisset; comica tamen Satirice eam et crebrius invasit, et obtinuit diutius. Comica Satirice, quod e Romanorum Atellanis, ejus imitatricibus, concluditur, æque ac tragica, priscam quidem retinuit adornationis simplicitatem, ita ut fabulæ nec implicatæ essent, nec valde productæ; sed in notandis civibus licentia ei dissimilis fuit. Hæc enim pristinam maledicendi libidinem etsi non exuit, tamen temperavit. Ista vero ratio omnis populares cavillandi in Attica scena transmissa est ad Comicos, quibus proprium hoc puto fuisse, ut non solum æqualium mores et instituta carpendi malevolam libertatem adsumerent, sed omnis generis scurrilitatem et licentiam amplexarentur. Equidem Tragicos dixerim, severitati aptiores, virilem sapientiam ac sententiarum gravitatem Satyrorum juvenili hilaritate temperasse; Comicos, animo ad irridendum nato, ad solutissimas descendisse jocationes ac subabsurda quævis et ridicula versibus effutiisse. Quippe illi delectationem spectatorum cum utilitate quadam copulabant; hi, plebis tantummodo favori velificati, adhibere animis voluptatem eosque dare jucunditati volebant. 2° Tragici poetæ, antiquæ retinentissimi simplicitatis, Satyrorum saltantes choros introduxere, comici aut excluserunt plane, aut, serioribus certe temporibus, vicem eorum et munus irrisionis causa ad alios detulerunt. Quos enim superstitio in Bacchi quoddam quasi satellitium adsciverat, Sileni Satyrorumque chori, quum rudi agricolarum imitatione repræsentati primordia dedissent istis fabulis, inter cætera Dionysiorum solennia celebratis: Tragici pæne necessariam judicaverunt hanc Satyrorum inductionem, et antiquitatis satis longa consuetudine probatam, et ad relaxandos animos, tragicarum forte rerum atrocitate paulo affectos vehementius, mire accommodatam. Limata subinde hæc ratio arte poetarum, accepit aliquam suavitatis velut accessionem, quæ perseve-

harumque choris (quorum cantus, cum musica et saltatione conjuncti, non sermones, cum actione potissimum copulati, mediæ comœdiæ temporibus conticuere, post-

rantiam ejus retinendæ afferret. Longe alia fuit in dispari consilio Comicorum ratio, qui jocularibus fundendis ita peragrabant per animos hominum, ita sensus mentesque permulcebant, ut opus non esset isto novæ et aliunde arcessitæ choragio delectationis. Multi quoque Comici res, e vita communi petitas, adeoque non eas consectati sunt, in quarum communionem quamdam Satyri possent probabiliter adduci: ut taceam, neque de choris Satyrorum in fabulis comico-satyricis, neque de choris earum in universum quidquam relatum inveniri. Quemadmodum vero poetæ comico-satyrici, qui contumeliæ et irrisionis causa fabulosa sumpserant a Tragicis argumenta, heroibus prisci ævi mores tribuere inhonestos, et ridiculum habitum adfingere solebant, qui Satyrorum pæne turpitudinem exæquaret; ita in fabulis, ad domesticæ vitæ imaginem adumbratis, si civi cuipiam illudere vellent atque incommodare, hæc videtur non raro fraus versata esse, ut eum Satyri personam et mores gestu juberent atque habitu referre. Quod quidem poetarum institutum mediæ in primis ac novæ Comœdiæ temporibus mirifice juvabatur insigni illa personarum seu larvarum, quibus instructi histriones prodibant, et varietate et deformitate. Quo magis autem Satyri tum corporis vitiis, tum lascivie omnique dedecore erant infames; eo amplior suppetebat poetis ad jocandum maledicendumque materies, eoque ducendum erat ignominiosius, Satyrorum habitu indutum exagitari in theatro. 3° Aliud discrimen cernebatur in loco actionis deligendo scenaque dramatis instruenda. Nam quum tragici poetæ, priscum morem sequuti, Silenis ac Satyris primarias quasdam partes detulissent: consentaneum, uti erat, ita putabant, scenam ruri aperire eamque ornare arboribus, speluncis, montibus reliquisque agrestibus rebus, in topiarii operis speciem deformatis, quoniam Bacchus ejusque socii silvestres colere regiones ac frequentare credebantur. Major erat hac in re libertas Comicis permissa. Hi enim ut, Satyris expulsis, vetere et tradito quasi ornatu denudarant Satyricen, nihil obstabat, quo minus actionem fabulæ ex agris in urbem deducerent scenamque ad comœdiæ similitudinem compararent. 4° Quum tragica Satyrice plausum esset consequuta celebritatemque, non sustinebat in scenam prodire, nisi ad publicam communitatem cum tragœdiis consociata. Comica solam sese et sine præeunte comite offerre populo nihil verecundabatur. Tametsi enim comicis poetis æque ac tragicis artis quædam erant certamina; ea tamen, ob diversum poetarum consilium, non eodem fuerunt instructu fabularum comitatuque ornata. »

quam publica lege non chorus, sed maledica ejus licentia sublata erat, et ingentes sumptus, in illius apparatum impendendos, ultra suppeditare recusaverant ii, quos ille sæpius acerbiusque perstrinxerat; (de quo Vir. Cel. Eichstaedt de Dram. Græc. comico-sat. pag. 73), maxime dominabatur intemperans illa cavillandi civiumque deridendorum libido. Eamdem vero spirabant non modo *dramatica* Græcorum carmina, sed etiam *epica* (vid. c. illud, quod inscriptum est Μαργίτης et perperam Homero tribuitur, de quo vid. Fabric. Bibl. Græc. vol. I, pag. 383, ed. Harles), *lyrica* vel *iambica* (ut Archilochi, quem, ut verbis Horat. Ep. ad Pis. v. 79, utar, *proprio rabies armavit iambo*[1], et Hipponactis, inventoris versus iambici scazontis, amaritudine carminum quosdam ad laqueum compulisse credebatur, teste Plin. XXXVI, 5, quod etiam de Archilocho præter alios tradit Horat. Epod. VI, 13, et Epist. I, 19, 25[2]), et *didactica*, ut Simonidis poema de mulierum moribus et *Silli*, Σίλλοι s. Σιλλοί, carmina maledica, non a dicacibus Σιλήνοις, sed a σίλλειν vel σιλλαίνειν, per ludibrium oculos agitare et dicteriis aliquem proscindere, sic dicta (unde etiam σιλλὸς scomma et dicacitas vocatur), qualia Timon Phliasius Ptolemæi Piladelphi ætate, et Xenophanes Lesbius heroicis, iambicis et elegiacis versibus scripsere: nam plurium Sillographorum vix nomina innotuere, et horum quoque pauci tantum versus restant, a Diogene Laertio Sextoque Empirico memorati et ab Henr. Stephano (in Poesi philos.); Langheinrich (in Diss. II, de Timone Lips. 1720, 1721); Casaubono (de Sat. Rom. pag. 222, 223); et Brunckio

1. Ex his verbis male quidam colligunt, Archilochum fuisse inventorem Iambi s. iambici versus, qui jam multo ante ad dicteria adhibitus iisque proprius fuit; unde ἰαμβίζειν *conviciari*, et ἴαμβος *carmen maledicum*.

2. «Animos.. sequut. Archil. etc.»

(in Anal. V. P. t. II, pag. 67 sq.) collecti, quibus philosophi cujuscumque generis dicaciter illuduntur et a Timone graves sæpe et magnificæ Homeri locutiones, ut in παρῳδίαις fit, transferuntur ad res ludicras. Quæ Xenophanes præterea γέγραφε ἐν ἔπεσι καὶ ἐλεγείαις καὶ ἰάμβους (forte ἐλεγείαις et ἰάμβοις) καθ' Ἡσιόδου καὶ Ὁμήρου, ἐπικόπτων (f. ἐπισκώπτων) αὐτῶν τὰ περὶ θεῶν εἰρημένα, si Laertio IX, 18, extr. fides habenda, interciderunt.

A Græcorum carminibus maledicis jam progrediamur ad Romana et simul a Græcæ poeseos primordiis et incrementis, quæ paucis delibavimus, ad similem, neque a Græcorum imitatione (quæ tunc demum cœpit, quum ingenium arte formaretur), sed a natura profectam originem lentumque progressum Romanæ poetices. Ex locis classicis Virg. Geor. II, 385 seq. et Horat. Epist. II, 1, 139—167, intelligitur, priscis temporibus ab agricolis Latii Liberalia et festos dies post messem conditam eodem fere modo, quo a Græcis, eademque ludicra per pagos acta esse; eos in deorum ruralium honorem cecinisse hymnos et non modo oscilla, sive larvas e corticibus factas arboribus appendisse, ut his Bacchi imaginibus vento quaqua versus agitatis maxima agrorum ubertas diffunderetur, sed iis quoque ora obduxisse sua; eosdemque ita personatos et vino graves prætereuntibus sibique invicem ingessisse dicteria et probra, versibus ut plurimum inconditis, amœbæis et extemporalibus (αὐτοσχεδίοις ᾄσμασι s. ποιήμασι) temere ac sine arte adumbrata. Tales versus erant *Saturnii*, h. e. prisci ac rudes, et *Fescennini*, a Fescennia, Etruriæ oppido, sic dicti, obscœnis illi procacibusque jocis pleni, nec ullis vel honesti et decori, vel metri legibus adstricti, quamvis rhythmi non plane expertes, quos, ut verba Ennii mea faciam :

..... olim Fauni vatesque canebant,

Quum neque Musarum scopulos quisquam superarat,
Nec dicti studiosus erat.

Horum versuum frequens fuit et diuturnus Romæ usus, tum in festis, tum in aliis solennibus, præcipue nuptiarum et triumphorum:

Libertasque recurrentes accepta per annos
Lusit amabiliter, donec jam sævus apertam
In rabiem verti cœpit jocus et per honestas
Ire domos impune minax. Doluere cruento
Dente lacessiti: fuit intactis quoque cura
Conditione super communi: quin etiam lex
Pœnaque lata, malo quæ nollet carmine quemquam
Describi. Vertere modum, formidine fustis
Ad bene dicendum delectandumque redacti.

(Horat. Epist. II, 1, 146 seq.) Hæc est lex illa XII Tabularum et quidem Tab. VII: « *Si qui pipulo* (publice, vel convicio) *occentasit* (al. actitavisset) *carmenve condisit, quod infamiam faxit flagitiumve alteri, fuste ferito*[1]. »

Eorumdem versuum usus *Saturam* s. *Satiram* Romanorum, et primum quidem *dramaticam*, deinde vero *didacticam* quoque procreavit. Illud docet insignis de origine rei scenicæ locus Livii lib. VII, cap. 2, quem apponere liceat et paucis adnotationibus illustrare: « Et hoc et insequenti anno (A. U. C. CCCXC), C. Sulpicio Petico et C. Licinio Stolone consulibus, pestilentia fuit. Eo nihil dignum memoria actum, nisi quod pacis Deum exposcendæ causa tertio tum post conditam urbem lectisternium fuit (primum A. U. C. CCCLVI, et eamdem ob causam factum esse, tradit idem Liv. V, 13.): et quum vis morbi nec humanis consiliis nec ope divina levaretur, victis

1. De versibus *Saturniis* et *Fescenninis* cf. Casaub. pag. 177, et Wieland ad Horat. Epist. II, 1; not. 22 et 23.

superstitione animis, ludi quoque scenici, nova res bellicoso populo (nam Circi modo spectaculum fuerat), inter alia cælestis iræ placamina instituti dicuntur. Cæterum parva quoque (ut ferme principia omnia) et ea ipsa peregrina res fuit. Sine carmine ullo, sine imitandorum carminum actu, ludiones ex Etruria acciti, ad tibicinis modos saltantes, haud indecoros motus more Tusco dabant[1]. Imitari deinde eos juventus, simul inconditis inter se jocularia fundentes versibus (simul ad tibiam alternis canentes versus Saturnios et Fescenninos, actionemque adjungentes saltationi vel gesticulationi) cœpere; nec absoni a voce motus erant (non a cantu abhorrebant gestus). Accepta itaque res sæpiusque usurpando excitata. Vernaculis artificibus, quia *hister* Tusco verbo ludio vocabatur, nomen *histrionibus* inditum; qui non, sicut ante, Fescennino versu similem[2] incompositum temere ac rudem alternis jaciebant, sed impletas modis Saturas[3],

1. Etrusci *ludiones* vel *histriones*, h. e. Mimi (quæ propria illorum verborum vis est, et hinc translata ad omnes fabularum actores, qui simul erant mimi), ad tibicinis tantum *modos* (numeros, ῥυθμὸν καὶ ἁρμονίαν) *saltabant*, h. e. gesticulabantur vel mimum agebant (nam saltatio veterum magis fere manuum, quam pedum motu artificioso continebatur), *sine ullo carmine*, cantu et declamatione, *sine actu*, dramatica et mimica repræsentatione *carminum*, eorum, quæ canenda, declamanda et *imitanda*, scita imitatione aptisque gestibus exprimenda erant: nam *carmen* h. l. est, quidquid canitur et declamatur, quo sensu etiam mox *suorum carminum*, dramatum, *actor* dicitur. Hoc est primum ac rude mimorum genus, sine verbis actum: postea enim iis propria fuit conjunctio sermonis cum gesticulatione, vel actio ad modos et tibiam facta; quam mox saltationi adjunxissse dicitur *juventus* Romana. Qua in re potissimum *Mimi* differebant a *Pantomimis*, qui non sermone, sed sola gesticulatione utebantur, ac præterea exquisitiori cum arte et psallebant et saltabant, nec nisi Augusti ævo celebritatem consequuti videntur. Cf. *Ziegler* de Mimis Romanorum, Gott. 1788.

2. Legendum crediderim: « Fescennino versui similem, i. e. compositum temere, » nisi malis: « vel compositum temere ac rudem. »

3. Hæc est prisca Romanorum *Satura* s. *Satira*, eaque dramatica,

descripto jam ad tibicinem cantu, motuque congruenti peragebant. Livius post aliquot annos, qui ab saturis ausus est primus argumento fabulam serere[1] (idem scilicet, id quod omnes[2] tum erant suorum carminum actor), dicitur, quum sæpius revocatus vocem obtudisset[3], venia petita puerum ad canendum ante tibicinem quum statuisset, canticum egisse aliquanto magis vigente motu, quia nihil vocis usus impediebat[4]. Inde ad manum cantari histrionibus cœptum, diverbiaque tantum ipsorum

(*Farce*, *Mischspiel*) e Saturniis et Fescenninis versibus enata, vel ad eorum similitudinem efficta (nam Livius mox dicit, his *versibus ridicula fuisse intexta*, quæ *juventus* Romana *inter se more antiquo jactitaverit*), illisque substituta in scenis, sed minus *rudis* vel *temere composita* et *impleta modis*, ad modulos certos legesque rhythmi descripta et quodam saltationis actionisque artificio constans, *cantu jam* ad tibiarum modos sonumque moderato. Erat quidem fabula, sed rudis adhuc et incondita, neque unius ac certi alicujus, sed mixti argumenti; a cujus etiam varietate, æque ac posterior et didactica Romanorum *Satira*, nomen traxit, quod infra monebimus. Eædem *Saturæ* postea vocabantur *Exodia*. Cur et quando hoc factum sit, mox docebit nos Livius.

1. L. aut M. *Livius* Andronicus, Græcus, M. Livii Salinatoris libertus, a. U. C. DXIV. C. Claudio Appii Claudii Cæci filio et M. Tuditano Coss. anno ante natum Ennium et post confectum bellum Punicum uno (vid. Cic. Brut. 18, et Tusc. Quæst. I, 1; Gell. XVII, 21, et ad hh. ll. Intpp.), *ab Saturis*, post Saturas, quæ diu in scenis viguerant, *ausus est primus fabulas* (ex Græco in Latinum sermonem versas), *serere*, construere, *argumento*, h. e. scribere, docere et agere fabulas unius ejusdemque argumenti quæ partibus inter se connexis et aptis constarent, non, ut Saturæ, confunderent et miscerent res plane diversas ac varias. Distinctius hæc expressit Valer. Max. II, 4, 4, ubi Livium excripsit: « A Saturis primus omnium poeta Livius ad fabularum argumenta spectantium animos transtulit. »

2. *Omnes* scil. fabularum auctores, vel poetæ dramatici. Ellipsis dura est, et verba quoque, parenthesi inclusa, videntur loco suo mota esse, atque post voc. *revocatus* vel *obtudisset* ponenda.

3. *Vocem obtudisset*, sæpius cantando vocem fecisset infirmiorem et raucam.

4. Livius Andronicus, quum raucus esset factus, puerum accivit, qui ad modos tibiæ caneret s. declamaret, ipse vero *canticum egit motu* scil. manuum et totius corporis, h. e. soliloquium, quod a puero canebatur, histrionum more expressit gesticulatione (quo sensu etiam *canticum agere* dixit

voci relicta[1]. Postquam lege hac fabularum ab risu ac soluto joco res avocabatur et ludus in artem paulatim verterat; juventus, histrionibus fabellarum actu relicto, ipsa inter se more antiquo ridicula intexta versibus jactitare cœpit[2]: quæ inde *exodia* postea appellata[3] conserta-

Suet. Galb. 13, ubi vid. Ernesti.), et quidem multo acriori ac vehementiori, quum non simul canere vocemque intendere opus esset. Ita quoque Valer. Max. II, 4, 4; hæc verba interpretatus est: « Adhibito pueri et tibicinis concentu gesticulationem tacitus peregit. » — *Canticum* Romani vocabant μονολογίαν vel soliloquium, quod scil. ad modos tibiæ canitur aut recitatur; *diverbia* autem dialogum s. colloquia duorum pluriumve actorum. Diomedes III, p. 488, collect. Putsch. « Membra, inquit, comœdiarum tria sunt, diverbium, canticum, chorus. Diverbia sunt eæ comœdiarum partes, in quibus diversorum personæ versantur. In canticis autem una tantum debet esse persona; aut, si duæ fuerint, ita debent esse, ut ex occulto una audiat, nec colloquatur, sed secum, si opus fuerit, verba faciat. In choris vero numerus personarum definitus non est. »

1. Interpretes tantum non omnes junxisse verba *ad manum histrionibus*, eaque pro *ad manum histrionum* posita accepisse videntur. Gronovius et Rambach. ad Casaub. p. 183 exponunt: tacitæ histrionis gesticulationi, quæ saltando fiebat et loquaci manu, cantando respondere et pronunciare modulate, quæ histrio agat. Turnebus in Animadv. III, 23, et Ferrarius: histriones cœperunt *ad manum*, in promptu, in præsentia (*zur Seite*), habere, qui cantaret, et quo pronunciante ipsi saltarent. *Kœnig*: « Histriones dicebantur, qui saltabant et gesticulabantur, quorum voci etiam *diverbia* (dialogus, das, was gesprochen wurde) relicta erant, *cantica* autem (soliloquia) relata ad tragœdos, qui ad histrionum gestus accommodate canebant. » Ernesti: « *Cantare ad manum* dicitur de histrionibus, quum recitantes s. cantantes illud ipsum exprimunt, quod ab saltatoribus gesticulando significatur. » Salmasius ad Vopisc. Carin. 19, emendabat *ad manum saltari*, χειροκρατεῖν.—Equidem verba *ad manum cantare* eodem sensu capio, quo Livius modo dixerat *canticum agere motu*, ut sententia h. l. sit: Inde ab histrionibus cantica gesticulatione, sola vero diverbia voce s. canendo exprimi cœpta.

2. Bene hæc παραφράζει Casaubonus, p. 182: « Fabularum compositione inventa, refrixit initio Satira; verum hoc tantisper, dum mos obtinuit, ut ipsi poetæ suas in scena fabulas agerent: ubi vero agendi partes ad histriones sunt translatæ, retulit in scenam ipsa juventus Romana risus jocosque priorum Satirarum; non quidem, ut fabulas excluderent, sed ut fabulis ipsis, præsertim autem Atellanis, adjungerentur sive insererentur. »

3. Satiræ quum fabulis adjungerentur, *Exodia* (*Intermezzi, Nach-*

que fabellis potissimum Atellanis sunt. Quod genus ludorum ab Oscis acceptum tenuit juventus, nec ab histrionibus pollui passa est. Eo institutum manet, ut actores Atellanarum nec tribu moveantur, et stipendia, tanquam expertes artis ludicræ, faciant. » In his fabulis, ab *Atella*, Oscorum in Campania oppido, sic dictis (unde actores earum Osce etiam loquebantur), sermo quidem rudis erat et impolitus, sed facetus potius et ridiculus, quam obscœnus et lascivus, argumentum quoque castum et sententiæ puræ atque honestæ: unde Valer. Max. II, 4, 4, dicit, *hoc genus delectationis Italica severitate*[1] *temperatum ideoque vacuum nota* fuisse. Videntur illæ prorsus fere congruisse fabulis Græcorum comiro-satyricis, tum in argumenti delectu et tractatione, in petulantia, dicacitate et audacia dictionis, in actorum et saltationis indole et in ipsa actione, tum in eo, quod seorsum, nec adjunctæ tragœdiis, exhiberentur. Vid. Eichstaedt de Dram. Græc. com. sat. pag. 53, 64, 65, 75 seq. et 84, ubi etiam de noto Diomedis loco lib. III, pag. 487, ed. Putsch. ita disputat: « Diomedes Atellanæ Romanæ a Græcorum Satyris distantiam sic aperuit, utriusque ut Satyrices, a Græcis tractatæ, speciem et formam quodam modo indicasse

piele) dici cœpere. Confer Juvenal. III, 175; VI, 71, Sueton. Tiber. 45, et Domitian. 10. Casaub. pag. 184 seq. « Ut Satiricæ, inquit, tragicis dramatis adjectæ sunt a Græcis ad temperandam tragœdiæ mœstitiam; sic Satiras sive Exodia, simillimam ob causam post tragœdias produci solita, memoriæ quidam prodiderunt. » Scholiastes Juvenal. III, 175: « Exodiarius apud veteres in fine ludorum intrabat, quod ridiculus foret, ut, quidquid lacrymarum atque tristitiæ coegissent ex tragicis affectibus, hujus spectaculi risus detergeret. » — « *Exodium* ita dictum, vel quia singulorum diverbiorum fini subjiciebatur, vel quia extremæ fabulæ semel. Sic inter chorica mele Græcorum dramatum, quod ab introeuntibus in scenam cantabatur, εἰσόδιον dicebant; quod ab exeuntibus, ἔξοδον. » Confer Eichstaedt, p. 84.

1. Hac *italica severitate* designari Satiram, Atellanis conjunctam, non persuasit nobis Casaub. p. 184.

videatur. *Latina*, inquit, *Atellana a Græca Satyrica differt, quod in Satyrica* fere *Satyrorum personæ inducuntur, aut si quæ sunt ridiculæ, similes Satyris, Autolycus, Busiris; in Atellana Oscæ personæ, ut Maccus*[1]. Quo in loco duo se nobis offerunt digna observatu; alterum, quod Satyrorum inductio ab Atellanis plane aliena judicatur; alterum, quod eadem Græcorum satyricis fabulis non sine exceptione quadam tribuitur. At vero si fabulas unice respiciamus, a tragicis poetis profectas, ignoraverunt sane hanc exceptionem Græci. Diomedem itaque arbitror fabulas comico-satyricas simul mente descriptioneque comprehendisse et, sicuti tragicis Satyros, ita his Autolycum et Busirin adscripsse. » Conf. tamen extrema hujus Comment. verba.

Præter illa, quæ breviter memoravi, carmina Romanorum maledica, etiam *iambica*[1] ab iis Græcorum exemplo et imitatione scripta, sed sero demum, etsi jam a Catullo, Bibaculo et aliis ante Horatium, qui tamen illorum nomina gloriamque obscuravit, et hinc gloriatur in Epist. I, 19, 23—34. *Parios ego primus Iambos Ostendi Latio* (in Epodis et Odis quibusdam contumeliosis), *numeros animosque sequutus Archilochi, non res et agentia verba Lycamben*, etc. Conf. Horat. Od. III, 30, 13, 14; Propert. III, 1, 3, 4, et ad hh. ll. Intpp. Quintilianus (Inst. Or. X, 1, § 96), *Iambus*, inquit, *non sane a Romanis celebratus est, ut proprium opus; a quibusdam interpositus: cujus acerbitas in Catullo, Bibaculo, Horatio; quanquam illi* (Catullo) *epodos intervenire* (h. e. ex interpretatione Gesneri, ἐπῳδούς, versiculos breviores longioribus, dimetros trimetris, quasi *accinentes* s. *succinentes*, i. e. sub-

1. Ita hunc locum emendarunt Casaubonus p. 95, 96; Voss. Inst. Poet. II, 35, § 6. Et doct. Blankenburg ad Sulzer. tom. I, pag. 518.

2. Confer superiorem notam n° 1, pag. 482.

junctos, ut in XI prioribus Horatii Epodis) *non reperiatur.*

Ad *Satiram* Romanorum δραματικὴν et διαλογικὴν, quæ antiquissima fuit et tum ante Livii Andronici tempora, tum *Exodiorum* nomine post illa diu viguit (vid. sup. not. 3, p. 485.), accessit deinde *Satira* διδακτικὴ et διηγηματικὴ, et quidem duplicis generis, *Enniana* et *Luciliana;* nam *Varroniana*, de qua infra disputandi locus erit, commode ad priorem referri potest. *Q. Ennius*, poeta celeberrimus, Græcis literis jam aliquantum imbutus et Scipioni Africano majori familiarissimus, qui natus est Rudiis, oppido Calabriæ prope Tarentum sinumque Tarentinum[1], et vixit ab A. U. C. DXV ad DLXXXV[2], non modo carminis Romanorum heroici poetarumque epicorum parens fuit, sed etiam Horat. Sat. I, 10, 66, *rudis* (h. e. novi et adhuc impoliti) *et Græcis intacti carminis* (Satiræ didacticæ) *auctor* dicitur[3]. Quot Satiras scripserit, non constat: lib. IV a Porphyrione, et VI a Donato ad Terent. Phorm. II, 2, 25, laudatur (nisi librariorum incuria numeri sunt confusi); et singuli libri singulas comprehendisse videntur Satiras, unde illi plerumque, non hæ memorantur. Earum non nisi perpaucæ inveniuntur reliquiæ, quas e Gell. II, 29, XVIII, 2, Servio ad Virg. Æn. XII, 121, Nonio (in voce, *obstringillare*, *politiones* et *criminat*) aliisque Grammaticis collegere Columna, Merula, Hesselius et Casaub. de Sat. Rom. pag. 193, 194, ubi nota exhibet duo majora fragmenta, sed fontem, unde hausta sint, non indicat. Alterum astrologos somniorumque interpretes notat, et Juvenalis forte menti in Sat. VI, 511—591,

1. Inde *Rudius homo* dicitur Cic. Arch. 10. *Rudinus* Cic. Or. III, 42 extr. et Auson. Idyll. XII, 17. *Tarentinus* Hieron. Chron. Euseb. Olymp. 135.

2. Vide quæ apud Ciceronem Brut. c. 18, et de Senectute c. 5.

3. Casaubonus pag. 197, ingeniose suspicatur legendum esse: (illiusque de ea re sententiam amplectimur) *Quam Rudius, Græcis intacti carminis auctor.* Cf. modo n. 1.

obversabatur: alterum venustam libidinosæ mulieris descriptionem continet. Illud legitur ap. Cic. Div. I, 58, et ibi Ennio certe tribuitur: utrumque vero e Satiris potius, quam fabulis hujus poetæ depromptum esse crediderim. Cæterum de indole Satirarum Ennii ab antiquis scriptoribus haud scio an quidquam memoriæ proditum sit, nisi quod Quintilianus Inst. Or. IX, 2, 36, tradit, Mortem ac Vitam contendentes ab eo inductas esse, et aliis laudatur Asotus s. Sotadicus, titulus Satiræ Ennianæ, in qua luxuriosi vel dissoluti hominis imaginem adumbrasse videtur [1]. Ex his tamen indiciis et ex ipsis fragmentis hujus poetæ probabili judicio colligitur, Satiras ejus fuisse *varios* carminum lusus, magna et metri et argumenti diversitate conspicuos, et non plane quidem respuentes dialogi formam, sed animandis tantum orationis coloribus adhibentes, neque comicum derisum, sed risum potius satiricum sectantes [2] in rebus, e vita communi petitis, et ad utilitatem communem moresque hominum spectantibus.

Ab hac *Satira Enniana* differebat *Luciliana*, cujus auctor *C. Lucilius*, Eques Romanus magnusque Pompeii Magni avunculus, qui a patria, Suessa Aurunca, opp. Campaniæ, Juven. I, 20, *magnus Auruncæ alumnus* dicitur, vixit ab a. U. C. DCVI ad DCLI et Satirarum libros XXX (vel totidem forsan Satiras) scripsit, quarum fragmenta tantum, sed non pauca, supersunt [3]. Is enim primum heroico plerumque metro usus est, et raro tantum iam-

1. Vid. Flögel tom. II, pag. 7, et Blankenburg tom. IV, pag. 143.

2. Ita *risum* a *derisu* distinxit Eichstaedt pag. 62, duce Quintil. Inst. O. VI, 3, et inpr. Platnero in Nova Anthropol. t. I, p. 389—406.

3. Collecta sunt ea primum a Stephanis, deinde a Fr. Dousa Lugd. Bat. 1597, 4. Quam editionem recudendam curarunt Vulpius Patavii 1739. Maittarius in Corp. Lat. Poet. Havercamp. ad calcem Censorini Lugd. Bat. 1743, 8. Et editores Bipont. Juven. et Persii.

bico vel trochaico. Deinde tum facetior et urbanior, tum limatior fuit, quam Ennius et poetarum seniorum turba[1]. Denique Satira ejus ab Enniana discrepat et in materia et in forma, sive in argumento et in ratione consilioque, quod in eo tractando sequutus est: non enim sæpe, ut Ennius, sed unice ac semper id egit, ut mores hominum, et quidem acerbissime, notaret; nec vitia tantum, sed personas quoque, iis contaminatas, nominatim et summa libertate, nulla dignitatis ratione habita, perstringeret[2]; quumque veteris Græcorum comœdiæ studio ingenium ejus formatum, hujusque veluti succo nutritum esset, illius non modo sermonem quotidianum ac pæne pedestrem, qui satiris inde proprius fuit (vid. Horat. Epist. I,

1. Vid. Horat. Sat. I, 4, 7, 8, et 10, 64 seq. Cic. Orat. I, 16; II, 6, et ad Div. IX, 15, ubi *antiqua* ejus et *vernacula festivitas* laudatur, quæ videtur præcipua fuisse causa, quare Lucilius ejusque Satira Romanis tam diu in deliciis fuerit. Vid. Wieland ad Horat. Sat. I, 4, not. 1, et Manso pag. 419—442. Nam idem Horatius ll. ll. Sat. 1, 4, 8 seq. et 10, 1—30, 46—71, contendit, eum fuisse *durum componere versus — pigrum ferre recte scribendi laborem — eum fluere lutulentum, sæpe ferentem plura tollenda relinquendis*, — qui *detereret sibi multa, si foret hoc nostrum fato delatus in ævum*, et qui *non magnum fecit, quod verbis Græca Latinis miscuit*. Hoc judicium improbat Quintilianus Inst. Orat. X, 1, 93: « Lucilius quosdam ita deditos sibi adhuc habet amatores, ut eum non ejusdem modo operis auctoribus, sed omnibus poetis præferre non dubitent. Ego quantum ab illis, tantum ab Horatio dissentio, qui (Sat. I, 4, 11.) *Lucilium fluere lutulentum, et esse aliquid quod tollere possis*, putat. Nam et eruditio in eo mira, et libertas atque inde acerbitas et abunde salis. Multo est tersior ac purus magis Horatius et ad notandos hominum mores præcipuus. » Enimvero Horatius easdem ei laudes tribuit, et quæ vituperat, recte vituperasse videtur, immo excusare, partem vitiorum tempori imputans. Cf. Wieland et Manso ll. ll. — De Lucilio pauca attingit nostras *Boileau*, Art. Poet. ch. II, vs. 145 sqq. « Lucile, le premier, osa la faire voir (la vérité); aux vices des Romains présenta le miroir; » et quæ sequuntur. Ed.

2. Dousa (in nota pag. 185 ed. Havercamp.) monet, in pauculis fragmentis exagitari XVI clarissimos Romanos, et mortuos quoque poetas, Euripidem, Ennium, Cæcilium, Pacuvium, Accium. — Retulimus nos in Procœmio Terentii Nostri, t. I, p. XXXVIII, sq. Ed.

4, 1, et Sat. I, 4, 39—62; II, 6, 17), sed venenatos etiam sales et dicacitatem æmulatus est. Et hæc est illa *libertas verborum*, quæ ei a Cic. ad Div. XII, 16, et aliis tribuitur; hic est *styli nasus* (dicacitas), *ab eo primum conditus* (vid. Plin. Præf. Hist. Nat.), et singularis ille *character Lucilianus* (Varr. R. R. III, 2, 17), et Satiræ Lucilianæ, qui tam ex fragmentis ejus, quam ex veterum scriptorum testimoniis (inpr. Horat. Sat. I, 4, 1—8; I, 10, 1—30, 43—71; II, 1, 62—70; Pers. I, 114 seq. et Juvenal. I, 152 seq. 165 seq.) cognoscitur. Diomedes lib. III, pag. 482, ed. Putsch. « Satira, *inquit*, est carmen apud Romanos nunc quidem maledicum et ad carpenda hominum vitia archææ comœdiæ charactere compositum : quale scripserunt Lucilius et Horatius et Persius. Sed olim carmen, quod ex variis poematibus constabat, Satira dicebatur, quale scripserunt Pacuvius et Ennius. Quintilianus Inst. Or. X, 1, 93 : « Satira tota nostra est : in qua primus insignem laudem adeptus est Lucilius. » Evanthius, seu quisquis auctor fuit libelli de Trag. et Com. (in Thes. Gronov. t. VIII, et in editt. Terent. Westerhov. t. I, pag. LV, Lindenbrog. pag. 27, et Zeuniana) : « Quum poetæ abuti licentius stylo (in versibus Fescenninis) et passim lædere ex libidine cœpissent plures bonos, ne quisquam in alterum carmen infame proponeret, lege (in XII Tabulis) lata, siluere. Et hinc deinde aliud genus fabulæ, id est, *Satira*, sumpsit exordium (Fescenninis versibus in scena successit Satura prisca et dramatica [1]) : quæ a Satyris, quos illotos semper ac petulantes deos scimus esse, vocitata est; etsi aliunde nomen traxisse prave putant alii. Hæc quæ Satira dicitur (et

1. Ita obscurum Grammatici locum intelligo, quem alio sensu cepit Casaub. p. 23, alio Blankenb. ad Sulzer. t. IV, p. 126, 138, alio Eichstaedt, p. 56, 57, et alio denique Manso, p. 410, 411.

Exodia), ejusmodi fuit, ut in ea quamvis duro et veluti agresti joco, de vitiis civium tamen sine ullo proprii nominis titulo carmen esset. Quod item genus comœdiæ (Satira dramatica) multis obfuit poetis, quum in suspicionem potentibus civibus venissent, illorum facta descripsisse in pejus ac deformasse genus stylo carminis; quod *primo* Lucilius *novo* conscripsit *modo*, ut poesin inde faceret (singulare carminum genus, quod non ageretur in scena, sed legeretur, non dramaticum esset, sed didacticum), id est, unius carminis plures libros. »

Satira itaque a Lucilio inventa, et præcipue ab Horatio, Persio ac Juvenale, sed ab unoquoque diversa ratione exculta, est illud carminum genus, quod vivis coloribus imaginibusque mores hominum adumbrare, et tum virtutem præceptis, quorum gravitas comitate plerumque ac festivitate condita est, commendare, tum errores potissimum ac vitia, luculentis exemplis salibusque modo urbanis, modo nigris, vel risui, vel invidiæ exponere, adeoque multiplici poeseos, dramaticæ potissimum, arte argumenta e vita quotidiana deprompta tractare, et sic lectores tam delectare, quam docere et emendare conatur. Utrum hæc Satira sit justum poema necne, in quæstionem vocarunt Horat. Sat. I, 4, 39—64; Wieland ad h. l. not. 7; Casaub. de Sat. Rom. II, 5 (ubi conf. Rambach) et alii, qui in poeseos naturam diligentius inquisivere, inpr. Astius de Platonis Phædro pag. 44 seq.

Jam si quæritur, num et nomen et ipsum carminis genus, sive alterutrum, Romanis proprium fuerit, an a Græcis, ut quidquid ad artes scientiasque spectat, petitum et satiricæ eorum poesi cognatum;

Grammatici certant et adhuc sub judice lis est.

Illud propugnarunt in primis Jos. Scaliger, Casaubonus,

Spanhemius, Rambachius, Rigaltius, Dacerius, Manso et Kœnig; hoc Jul. Cæs. Scaliger [1], Dan. Heinsius, Vulpius, Flogelius, Blankenburg et Conz. Hinc etiam nomen varie scribitur; ab his *Satyra*, ab illis vero, quos sequutus sum, *Satura* vel *Satira;* nam utraque scriptura in plerisque Satiricorum codicibus MSS. reperitur, et nihil differt inter eas, ut inter *optumus* et *optimus*, *maxumus* et *maximus* aliaque. *Saturam* nonnulli dictam existimant a *saturitate* sive abundantia (voce et significatione a Græcis desumpta, quod colligitur ex Hesychio, qui docet, σατορας s. σατηορους esse σκαφας βοτρυων, vasa racemorum plena, παρα Λακωσι), alii a nomine *satur* (v. c. Isidorus, qui facete monet: *aut a saturis nomen Saturæ dictum, qui multa habent; vel ob ea, quæ per vinolentiam* (libere et mordaciter) *dicunt, ut ebrii*, quam posteriorem rationem distinctius exponit Porphyrion), plerique autem a rebus *saturis*, h. e. multiplicibus et miscellis (v. c. *gestu* vel *lance satura*, variis primitiis referta et oblata diis ruralibus, vel *lege satura*, multa capita variasve res comprehendente [2]), ad-

1. In Art. poet. lib. I, c. 12: « Idcirco falluntur, inquit, qui putant, Satiram esse latinam totam: a Græcis enim et inchoata et perfecta primum, a Latinis deinde accepta, atque extra scenam exculta. Quamobrem non a satura vel lege vel lance dicta est, ut frustra et temere satagunt grammatici: quin has a Satyris dictas puto. Cum lancibus enim prodibant et canistellis pomorum omni genere plenis, quibus Nymphas allicerent. » Fuere etiam Grammatici, qui *Satiram* vel potius *Satyram* a *Satyris* dictam putarent, v. c. Evanthius in loco supra adscripto, et Diomedes, qui mox a nobis laudabitur, sed dubitanter scripsit.

2. Casaub. p. 250—255: « Erat mos antiquorum, quando Cereri, Baccho, aut aliis diis agri annua vota solverent pro lato frugum fructuumque proventu, ut primitias rerum collectarum in lancem congestas cuique deo pro ratione ejus cultus offerrent. In ritibus Græcorum hujusmodi sacra miscella vocantur πάγκαρπος θυσία et πανσπερμία, aut πυανία vel πυανεψία, quum leguminibus fiebat sacrum; item ἱρασώνη. latini vero lances ita refertas variarum rerum copia *lances saturas*, vel simpl. *saturas* appellarunt. *Satur* enim pro pleno et cui nihil deesset, usurpabant: sic *color satur*, cui ad perfectionem nihil deest, quando lana colorem

eoque a mixtura variarum rerum, vel argumenti, vel metrorum, vel sermonis poetici et pedestris. Quam etymologiam omnibus Satiræ Romanæ speciebus (antiquissimæ, Ennianæ, Lucilianæ et Varronianæ[1]) congruere dicunt, eamque firmant, tum verbis Juven. I, 85, 86:

> Quidquid agunt homines, votum, timor, ira, voluptas,
> Gaudia, discursus, nostri est farrago libelli:

δυσοποιὸν imbibit. A similitudine hujus lancis etiam aliarum rerum mixturas appellarunt *saturas*. Verrius Flaccus: *Satura cibi genus, ex variis rebus conditum*. Hoc quoque uberius Diomedes: « Quoddam, inquit, genus farciminis multis rebus refertum Saturam dicit Varro vocitatum. Est autem hoc positum in libro secundo Plautinarum quæstionum. Satura est, ubi uva passa et polenta et nuclei pinei ex mulso conspersi: ad hæc alii addunt et de malo punico grana. » Sic et voces παντοπαρμία et πάγκαρπος quamlibet mixtionem e multis diversisque rebus ac κυκεῶνα denotant: et quum in foro leges unica rogatione ferebantur multorum capitum, aut veteres leges interpolabantur adjectione novorum capitum, *saturas* vocabant, hoc est, miscellas, quomodo a Jurisconsultis lex Julia Papia Poppæa nominatur *miscella*, quia et multa et diversa capita continebat. Hinc natum proverbium, *per saturam legem ferre*, quum raptim, neque viritim dictis sententiis aliquid senatores decernebant; et ut apud Festum loquitur Lælius, *quasi per saturam sententiis exquisitis*. Confer Crenii notas ad Casaub. p. 253, 254; adnotata ad Sallust. bell. Jugurth. cap. 29; et Ernesti clav. Cic. ad leg. Cæciliam Didiam. Laudatur etiam Lactant. I, 21. Pescennius Festus in libris *Historiarum per saturam*; hoc est, ut Græci similes libros inscribere soliti, Ποικίλης ἱστορίας, vel Ἀμαλθείας κέρας, aut Τῶν σποράδην λεγομένων, aut denique, Sosipatro interprete, Παιδέκτης ἱστοριῶν. Propius ad vocem *Satura* accesserunt, qui libros suos inscripserunt Πίνακας h. e. lances (immo tabulas) vel Πιναχίδια. Quarum ἐπιγραφῶν exempla in Præf. Plinii et ap. Sueton. in Aurelio Opilio Grammatico. » (Conf. Gell. I, 8.)

1. De Satira Varroniana sermo erit in commentatione seq. De reliquis jam supra egi. Qui vero *Satiram* hinc ita definierunt, ut sit carmen, cujus argumentum farragine vel mixtura diversorum vitiorum contineatur, nominis potius vim et etymologiam, quam carminis naturam respexerunt, quod recte jam explosit D. Heinsius. Omnino autem notandum, Græcis et Romanis non, ut nobis, distinctas fuisse et accuratas diversorum poeseos generum carminumque divisiones, neque ex natura semper cujusque petitas, sed sæpe a metro (unde *Iambi* v. c. dicti), vel aliunde desumptas. Veteres quoque scriptores libros suos plerum-

tum testimoniis veterum Grammaticorum; verb. caus. Diomedis lib. III, pag. 483, collect. Putsch. « Satira dicta sive a *Satyris*, quod similiter in hoc carmine ridiculæ res pudendæque dicuntur, quæ velut a Satyris proferuntur et fiunt; sive a *Satura lance*, quæ referta variis multisque primitiis sacris Cereris inferebatur; vel a copia et saturitate rei Satura vocabatur: cujus generis lancium et Virg. in Georg. II, 194, et 394, meminit. Alii dictam putant a lege Satura, quæ uno rogatu multa simul comprehendat, ut scilicet et Satira carmina multa simul et poemata comprehenduntur: cujus legis Lucilius meminit in primo: »

Per Saturam Ædilem factum, qui legibu' solvat.

Isidor. Orig. V, 6 : « Satura vero lex est, quæ de pluribus rebus simul loquitur, dicta a copia rerum et quasi a *satietate*, unde et Satiram scribere est poemata varia condere, ut Horatii, Juvenalis et Persii. Conf. Festus in voc. *Satura*, et Acron vel Porphyr. ad Horat. Sat. I, 1, pr.

Meo qualicumque judicio omnis quidem res, toties et a tam multis in quæstionem vocata, non magni adeo momenti est, et quemadmodum Casaubonus aliique, qui *Saturam* vel *Satiram* ita definiunt, ut sit carmen, cujus argumentum farragine seu mixtura diversorum vitiorum rerumque contineatur, nominis potius vim et etymologiam, quam carminis naturam respexisse, ita Jul. Scaliliger, Dan. Heinsius aliique similitudini vocabulorum *Satyrice*, *Satyri* et *Satyra* nimium tribuisse videri possunt, et quamvis nomen omnino Græcæ sit originis, tamen *Satura* rectius scribitur, quam *Satyra* et *Satira;* nam veteres Romani Græcum υ ut breve Gallorum *u* pronuntiabant, Grammatici vero substituebant *y* et indocti, aut qui sibi

que sine titulo in vulgus videntur emisisse, vel de eo non admodum laborasse: et inscriptiones illorum Grammaticis fere debentur. Conf. notam quæ paulopost sequitur; in qua de ea re fuse agitur.

forte docti videbantur, *i*, v. c. *inclytus* et *inclitus*, *lacrymæ* et *lacrimæ* pro *inclutus* et *lacrumæ*, quæ vera scriptura in multis codd. MSS. reperitur. Multo autem probabilius est, non modo hoc carminum genus, de quo quæritur, sed etiam nomen ejus, saltem hujus usum, Romanis proprium fuisse, quam a Græcis profectum. Nam primum omnem fere dubitationem eximunt testimonia Horatii (Sat. I, 10, 66, ubi Ennius *rudis et Græcis intacti carminis auctor* dicitur) et Quintiliani (Inst. Or. X, 1, 93: *Satira tota nostra est, in qua primus insignem laudem adeptus est Lucilius*), quæ profecto longe digniora sunt fide, quam incertæ recentiorum Criticorum conjecturæ[1]. Deinde illa carpendi alios pravosque hominum mores ridendi ratio neque a Græcis verbo aliquo, a Satyris petito, insignita est (nam ipsum σατυρίζειν lasciviam potius petulantem, quam mordacitatem, significat, et Satyri quoque salaces quidem vel petulantes et saltatores, non autem

1. Hæc sunt clariss. viri Wielandi verba not. 15 ad Horatium l. l.: « Vermuthlich ist hier der alte Dichter Ennius gemeint. Wie übrigens, nachdem Horaz, der mit der griechischen Literatur sehr bekannt war, die Satyre so ausdrücklich zu einer römischen Erfindung macht und hierin von einem beyder Sprachen so kundigen Kunstrichter, als Quintilian war, unterstützt wird, ein moderner Grammatiker sich einfallen lassen konnte, das Gegentheil zu behaupten, würde kaum begreiflich seyn, wenn es nicht Jul. Cæs. Scaliger wäre. Jene konnten mit voller Kenntniss der Sache sprechen; denn sie hatten noch alle Producte der griechischen Literatur vor sich. Wir sprechen vom *Margites* des Homer, von den sogenannten *Sillen* des Xenophanes und Timon, *die wir nicht mehr haben*, und also mit den Satyren der Römer nicht vergleichen können, und wollen gleichwohl mehr von der Sache wissen als Horaz und Quintilian! Hr. Flögel hat diese Materie in s. Gesch d. kom. Lit. II, B. S. 18 ff. mit so vieler Sachkenntniss, als davon zu haben ist, aüs einander gesetzt, und gegen die Behauptung des H. und Q mit vieler Bescheidenheit Zweifel vorgetragen, die, wie mich daucht, blos deswegen nicht aufzulösen sind, weil keine griechische Gedichte mehr vorhanden sind, die mit den Lucilischen, Horaz. oder Juven. Satyren vergleichen werden könnten. »

dicaces fingi solebant), neque singulare aliquod, a Græcis excultum, poeseos carminumque genus unquam constituit, ad quod illa, quam supra dedi, Ennianæ et potissimum Lucilianæ Satiræ descriptio ita transferri queat, ut non magna deprehendatur dissimilitudo [1]. Aliquam quidem cum hac Satira cognationem habuerunt fabulæ Græ-

1. Kœnig p. VI: « Omnino, inquit, hæc vitia, stultitiam et pravos hominum mores ridendi et vituperandi ratio nunquam singulare aliquod carminum genus, proprio aliquo nomine insignitum, apud Græcos constituit, sed modo epica, modo lyrica, modo dramatica, modo didactica forma prodiit induta, ita tamen, ut dicacitas semper fere in certos quosdam homines, non in vitia ipsa, a personarum complexu disjuncta, exerceretur. » Pag. 23: « Sed sit nomen vel maxime Græcæ originis, quod de multis verbis latinis probabili ratione disputare possis, hoc tamen constat, Græcos eodem ad carminis aliquod genus, præsertim satiricum, nunquam fuisse usos; adeoque usus saltem, ad quem Romani illud adhibuerunt, novus est dicendus. » Pag. 24: « Genus hoc carpendi alios et ridendi verbisque mordacibus incessendi nusquam Græci vesbo aliquo, a Satyris petito, insigniverunt, sed aliis omnibus potius usi sunt, σκωπτειν, διασυρειν, κωμῳδειν, λοιδορειν, ἐμβριζειν, ipsumque σατυριζειν de lascivia petulanter se exserente, non de mordacitate et subsannatione acceperunt; atque του παιζειν vis et significatio, quod Satyrorum proprium esse dicitur, de petulanti eorum saltatione potius, quam de dicacitate in alios se exserente interpretandum est. Satyri quidem erant salaces, petulantes, saltatores; eos autem dicteriis alios incessisse, nusquam apud Græcos, eo saltem nondum tempore, quo drama satyricum vigeret, legere me memini, neque hoc in illo dramate, in scena agendo, obtinuisse existimo. » Pag. 25: « Nomen *satiræ* ad Ennianas et Pacuvianas satiras, in quibus primum adhibitum est, proprie pertinuit, non ad singula carmina Horatii, Persii et Juvenalis. Nam ab Ennio et Pacuvio libros integros *Satirarum* nomine insignitos fuisse, non singula librorum segmenta, quorum varietate erant compositi, satis constare videtur ex Varrone, illorum virorum imitatore, cujus satiram eamdem Gellius I, 22 sub *satiræ*, et XIII, 11, sub *libri* nomine excitat. (Cf. quæ supra de Ennio dixi.) Forsan etiam Lucilius libros, non eorum diversi argumenti sectiones, *Satiras* inscripsit. Verum progressu temporis tandem verbum hoc antiquam suam vim amisisse, et ad scribendi genus Lucilianum translatum esse, valde probabile est. Cf. Horat. Sat. II, 1, 1, et Stat. Sylv. I, 3, 103. Sed Horatium singulis carminibus Satirarum nomen non imposuisse, Cruquius in comm. suo ex vetustiss. codd. in quibus hæc carmina *Eclogæ* inscribuntur, extra omnem dubitationis aleam mihi videtur po-

corum satyricæ, in primis comicorum poetarum, et majorem forte Silli, de quibus supra disputavi. Sed illarum et materies et forma fuit diversa [1] : hi vero didactica quidem

suisse. Ex ipsis etiam carminibus constat, singula primum ad amicos esse missa et paucis admodum recitata, Sat. I, 4, 73 sq. deinde vel ab ipso auctore, vel ab alio Venusinæ musæ amante (immo a Grammaticis; cf. Heyne de carm. bucol. t. I, edit. Virgil. sec. p. 18.), *eclogæ* nomine singulis fortasse indito, in libros collecta et digesta videntur. In ipsorum numero quædam quoque sunt, quibus *Satiræ* titulus, sive antiquam verbi vim retinueris, sive novam illam subjeceris, parum convenire videatur, nisi contenderis, Horatium vel ea

mina, quæ certo et finito alicui generi subjungi non potuissent, eadem inscriptione, cui minime responderent, gaudere voluisse. Pari modo *Sermonum* et *Epistolarum* inscriptionem ab Horatio esse profectam, probari nullo modo potest, quanquam ipse huic rei occasionem dederit, Sat. I, 4, 39 sq. Epist. I, 4, 1; II, 1, 250 sq. (*libellos* vocat Satiras, Epist. I, 13, 4). Sed vetustam eam esse probat Sidon. Apollin. Epist. ad Tonant. Etiam Grammatici *epistolas* Horatii et *sermones* citant. De Persio, quomodo librum suum inscripserit aut singula carmina, nihil certi liquet. Pithœus in vetusto aliquo cod. in singulis paginis hunc titulum invenisse testatur : *Thebaidorum Persii Satyra*, et in extremo : *Explicuit Theb. P. satyra feliciter*. Cæterum a Sosippo Charis. p. 66, in collect. Putsch. *Satira* I Persii citatur. In Juvenale autem libri a Grammaticis semper memorantur. Quia autem Horatius, Persius et Juvenalis Lucilii scribendi genus, sua tamen quisque ratione, sequuti sunt, inter eos auctores, qui saturam seu saturas scripserunt, jure sunt relati, eorumque libris seu carminibus singulis is titulus, cujus ipsi auctores forsan non fuerunt, a librariis est inscriptus. »

1. Cel. Eichstaedt p. 59—64: « In *tragicis*, inquit, Græcorum Satyris, ad quos revocata fere est omnis quæstio, quemadmodum permulta sunt, quæ diversa reperiantur a Romanæ ingenio Satiræ : ita si hanc conferre cum ea Satirica instituerimus, quam *comici* Græcorum poetæ variis modis excoluerunt (vid. sup. not. 4, p. 479.), facillime arctiorem quamdam fuisse harum propinquitatem ac necessitudinem, intelligemus. Nam ut omittam nunc Satyrorum choros, quos comica Græcorum Satyrice, æque ac Romanorum Satira, aut parcius adscivit, aut penitus sustulit (vid. sup. not. 4, p. 479.); utramque etiam hac in re deprehendimus conspiravisse, quod argumenta peterent e vita quotidiana, quod notarent et designarent turpitudinem domesticam, sæpe numero etiam turpiter, quod æquales vi ridiculi vulnerarent. Quorum nihil cadit in tragicam Satyricen. Verum enim vero propter hanc similitudinem equidem non ausim partes illorum sequi, qui græcam Satyricam procreatricem quamdam lati-

erant carmina, at differebant argumento ejusque tractandi consilio, quod ad solos vel philosophos vel poetas eorumque errores, non ad vitæ quotidianæ mores horumque emendationem spectabat; neque dubito, quin rerum quoque tractationem magnopere discrepasse intelligeretur, si integri superessent Silli, nec potius perpauca eorum fragmenta, quæ exactam comparationem non ad-

narum Satirarum et quasi parentem judicaverunt. Nam et gravissimi auctores, Horatius et Quintilianus, inventioni eas Romanorum vindicant, et a veri specie neutiquam abhorret, eas e compositis temere ac rudibus jocis et dicteriis fuisse enatas, quæ priscis temporibus juventus Romana per otium et lasciviam alternis soleret in scena effundere. Præterea non modo in argumento ejusque tractandi consilio, verum etiam in ipsa tractatione magna reperitur dissimilitudo. Primum enim si *argumentum* spectetur, quod situm est in variis ridiculi generibus, cum fabulis comico-satyricis Græcorum componi nullo pacto potest Horatiana Satira, potest quodam modo Luciliana, quæ imaginem referebat antiquæ Comicorum dicacitatis. Quippe quam Horatii venusta urbanitas coluit, Persii gravitas acuit et Juvenalis austeritas tanquam veneno armavit, Satira, quod a morum integritate severitateque profecta, judicio de rebus humanis liberali mentisque generosæ honesta indignatione niteretur (vid. Dusch. Briefe zur Bild. d. Geschmacks P. VI, p. 1—77), materiem omnem ridiculi repetiit ab istis gravioribus vitiis, quæ essent in vita hominum et moribus, quæque satyricis salibus perfricata coerceri possent et salutis publicæ causa emendari. Græcorum contra Satyrice, dicacitatis laude contenta, non tam risum sectata est satyricum, quam comicum derisum (cf. sup. not. 2, p. 491), et cavillandi magis libidine excitata, quam corrigendi studio impulsa, modo fortunas civium, modo corporis deformitatem et alia leviora vitia, quæ Comicorum solent ludibriis agitari, contumeliarum aculeis lacessivit, ita ut ne ingenuitatem quidem præstaret et ruborem suum verborum turpitudine et rerum obscœnitate vitanda. Quam quidem ridiculi speciem, in oratione Comicorum velut exuberantem, longe superavit Romanorum poetarum, quos supra nominabam, liberalis festivitas, non illa quidem in celeritate atque dicto posita, sed in perpetuitate sermonis: quanquam propius ad illam accessisse superiorem Lucilianæ Satiræ videntur, quarum plerisque par fuit ridendi materies, simile consilium, eadem impudentia, gemina audacia. Deinde ubi de *tractandi ratione* quæritur, deducenda sine dubio erit disputatio ad certas quasdam satyricæ poeseos formas, quibus externo etiam habitu, seu componendi lege et artificio, impressa similitudinis vestigia in-

mittunt. Non etiam repugnabimus, si quis contenderit, Ennium et præcipue Lucilium ejusque imitatores duxisse colores quosdam et sales hausisse ex Græcorum vetere comœdia (vid. Horat. Sat. I, 4, 1 seq. 10, 14 seq. et Pers. I, 123 seq.); Iambis, Sillis et fabulis satyricis. Verum propterea neque Græci Satiras scripsisse, neque Romani has illis acceptas retulisse censendi sunt. Præterea Romanam, non Græcam, Satiræ originem fuisse, ex historia et ipsa quoque nominis forma probabile fit. Temporibus priscis, quibus nec Satyri et Satyrica dramata, nec ulla græcæ poeseos genera, jam innotuerant Romanis, versibus Saturniis Fescenninisque in scena successit *Satura*, ut supra vidimus; et hæc deinde appellatio propter similitudinem aliquam, quæ argumenti potissimum varietate continebatur, tam ad illa carminum genera, quæ ab Ennio, quam ad ea, quæ a Lucilio inventa dicuntur, ab auctoribus eorum grammaticisque translata est. Enimvero neque Græcis scriptoribus hæc carmina et, quæ vulgo iis tribuuntur, nomina, *Satura*, *Satira* et *Satyra*, memorantur, neque Romanis aut *Satira* sua unquam *Satyrice*, aut satyrica Græcorum poesis s. fabula s. dramata *Satiræ* vel *Satyræ* dicuntur. Romani quoque vix ullam *satyricarum*

veniantur. Jam vero illud perspicuum est, satyrica Græcorum *dramata* non comparari cum Lucilii aliorumque *didacticis* Satiris satis insignite atque commode posse. At tametsi Romani in scribendis Satiris interdum proxime reperiuntur abfuisse a dramatico genere, quod spretis viæ angustiis, quibus docendi ratio includitur, liberiore cursu fertur rerumque tractationi varietatem dialogi impertit ac subitaneam quamdam vim: tamen omne hoc dramaticæ compositionis artificium frequentatum demum est ab iis poetis, qui poliundis Satiris limam adhibuissent suam, et in medio est posita Comœdiæ Romanæ species, arctiore dramaticæ actionis vinculo istis Græcorum fabulis adstricta. Atellanæ cui non succurrunt fabellæ, quas finitimas esse Græcorum Satyris veteres jam universe pronuntiarunt, quorum judiciis eam licebit moderationem adhibere, ut comicam maxime Satyricen ad comparationem vocemus?»

fabularum, vel nominis certe hujus, mentionem faciunt; neque ab iis carmina ejusmodi scripta (nisi forte a Lucano, cui satyricæ fabulæ XIV tribuuntur, quæ tamen cujusmodi fuerint, non constat), aut Satyri unquam Romæ inducti videntur. Contrarium certe mihi non persuaserunt, qui provocant ad loca Horatii Ep. ad Pis. vid. 220—250; Dionysii Halic. VII, 72 (pag. 460, ed. Hudson. et t. III, pag. 1491, ed. Reisk.); Athenæi VI, 7 (pag. 261, ed. Lugd. 1612; VI, 78, t. II, pag. 500, ed. Schweigh.); et Marii Victorini lib. IV, pag. 2591, collect. Putsch. Horatius l. l. non de Romanorum, sed de Græcorum fabulis satyricis, et de norma, ad quam illæ sint exigendæ, judicium fert criticum, docetque, quam rationem *Satyrorum scriptor* (vid. 235), h. e. si ipse satyrica scriberet dramata, sequendam putaret[1]. Dionysius, qui et populi Romani et omnium ejus rituum originem a Græcis deducit, illos ab iisdem tradit hunc adscivisse morem, ut in vetustissimis triumphorum pompis non modo exercitus victor imperatorem triumphantem, sed etiam *Satyri* quoscumque spectatores jocis dictisque petulantibus lacessierint, quam κέρτομον καὶ σατυρικὴν παιδίαν appellat. Ille vero non a Græcis repetendus est, sed ab antiquissimis potius temporibus similibusque priscorum festorum et pomparum solennibus, de quibus supra dixi, et exinde jam viguisse videtur non alius mos, quam notissimus ille, quem Dio-

1. Kœnig putat, pag. 24, Horatium loqui velle de Satyris græcis, latino sermone imitandis; Hurdius in Commentar. ad Epod. Horatii (tom. I, pag. 173, *vers. Eschenb.*) Horatii ætate Oscas personas in Romana scena Satyris cessisse; sed Eichstaedt, p. 78, autumat Horatium, scenicæ poeseos, quæ inter Romanos viguerit, intelligentissimum et censorem et emendatorem, suasisse id æqualibus, ut relicta Oscarum personarum ignobilitate, Græcos Satyros introducerent, paululum tamen illos politos et ad sæculi elegantiam formatos; incertum autem esse nobis, utrum ea res, eventum habuerit, an intra consilii fines steterit.

nysius seriori tantum ævo tribuit : νῦν δὲ ποιήματα ᾄδουσιν αὐτοσχέδια, h. e. versus inconditos et Fescenninis similes [1]. Præterea Satyros illos non nisi Mimos fuisse, ex his ejus verbis cognoscitur : Οὗτοι δὲ Σάτυροι κατέσκωπτόν τε καὶ κατεμιμοῦντο τὰς σπουδαίας κινήσεις, ἐπὶ τὰ γελοιότερα μεταφέροντες. Neque illud mirabitur, qui meminerit, non tantum græcas voces σάτυροι, σατυρίζειν et σατυρικὸς ad omnes personas et res jocularis atque hilaritatis parum honestæ plenas transferri [2], sed Mimos etiam et Pantomimos sæpe tum induisse personas Satyrorum ridiculas, tum egisse. Hinc quoque ad Mimos potius, quam ad fabulas sive satyricas sive Atellanas, retulerim loca Athenæi et Marii Victorini, quæ supra laudavi. Hic affert versum iambicum dimetrum : *Agite, fugite, quatite, Satyri;* quo finem factum esse Mimo, probabile fit ex Cic. pro Cœlio, cap. 27 : « Mimi jam exitus est, non fabulæ : in quo quum clausula non invenitur fugit aliquis e manibus, deinde scabella concrepant, aulæum tollitur [3]. » Ille memorat, Sullam insigni favore amplexum esse Mimos et *patrio sermone* scripsisse

1. Cf. *Nadal, in Hist. de l'Acad. des Inscr.* t. III, p. 96; Casaub. p. 244, et Eichstaedt p. 54, 55.

2. Cf. Casaubon. pag. 94, 95, Heins. pag. 18, Voss. Inst. Poet. II, 19.

3. De *scabellis* s. *scabillis* eorumque crepitu vid. Ernesti clav. Cic. et Ziegler de Mimis Rom. pag. 26. De versu autem illo, quem ex fabula aliqua satyrica petitum putabant Casaub. p. 243, Kœnig. p. 24, et alii, ita disputat Eichstaedt, p. 79 : « Ille versus primum universe allatus est, et eo modo, quo Grammatici abuti solent, id est, non indicato fonte, unde ductus sit. Deinde tanto ei minus fidei habendum duco, quanto manifestius est, Marium, ut singula metrorum genera exemplis illustraret, et alibi suopte ingenio confinxisse versus, qui declaratis numeris responderent, et metra in primis, Græcorum tantummodo poetarum usu nobilitata, latinis numeris expressisse. Cujus rei luculentum exemplum inveni lib. II, p. 2546. » Cæterum ex Cic. l. l. intelligitur, Mimis, si non unitatem actionis, nexum tamen et solutionem, gravissima fabulæ momenta, defuisse; et ex eodem forte loco petenda est lux, quam adhuc desiderare videntur verba Juvenal. VIII, 187, et XIII, 111.

κωμῳδιας σατυρικὰς, h. e. mimos, imitatione expressos ex dramate Græcorum comico-satyrico [1]: quæ forte explicatio non displicebit ei, qui modo dicta et seriem narrationis expenderit: Νικόλαος (Nicolaus Damascenus, philosophus peripateticus, poeta, orator et historicus, ab Herode M. Judæorum rege orator missus ad Augustum Imp.) ἐν τῇ ἑβδόμῃ καὶ εἰκοστῇ τῶν Ἱστοριῶν Σύλλαν, φησὶ, τὸν Ρωμαίων στρατηγὸν, οὕτω χαίρειν μίμοις καὶ γελωτοποιοῖς φιλόγελων γενόμενον, ὡς καὶ πολλὰ γῆς μέτρα αὐτοῖς χαρίζεσθαι τῆς δημοσίας. Ἐμφανίζουσι δ' αὐτοῦ τὸ περὶ ταῦτα ἱλαρὸν αἱ ὑπ' αὐτοῦ γραφεῖσαι σατυρικαὶ κωμῳδίαι τῇ πατρίῳ (id Schweigh. ex MSS. restituit pro πατρῴῳ) φωνῇ. — Quid vero? nonne fabulis Græcorum comico-satyricis Atellanas, ab Oscis inventas, simillimas fuisse supra professi sumus? Id quidem non dissimulamus: enimvero hæc convenientia, si non tota, certe maximam partem, fortuita potius fuisse videtur, quam ab imitatione profecta. Ea quoque non nisi ex Grammaticorum (Diomedis III, pag. 487, et Marii Victorini II, pag. 2527, ed. Putsch.) testimoniis, quibus non nimium tribuerim, suspensa est; et neutiquam dubitamus, quin præter personarum diversitatem (vid. sup. not. 1, pag. 489.), alia quoque deprehenderentur discrimina, si vel unius fabulæ et comico-satyricæ et Atellanæ exempla haberemus, quæ comparare liceret. Quæ facultas quum nobis prærepta sit tristi literarum fato, et illius dramatis vix ulla fragmenta, aut dubia tantum (qualia sunt Sositheanum et alia, quæ eo referun-

1. Eamdem explicationem, quam nobis suggessit narrationis series, in *Jen. Allg. Lit. Zeit. a.* 1796, *N.* 191, proposuit vir quidam doctus, cui acceptum referimus judicium, quod de illo Marii Victorini versu modo tulimus. Atellanas fabulas, hilaritatis minus honestæ plenas, designari existimant Eichstaedt, p. 77; Schweigh. ad Athen. loc. l. et Casaub. p. 243, al. 307, seq. qui tamen, p. 94, dubitanter dixerat, fabulas illas vel Atellanas fuisse, vel tabernarias, aut certe mimos quosdam. Ipsa dramata satyrica significari vult Kœnig, p. 24, ne frigeant verba extrema τῇ πατρῴῳ φωνῇ.

tur), hujus vero admodum pauca reperiantur; omnis hæc disputatio, quamvis doctissima et ingeniosissima, qualem Cel. Eichstaedt instituit (cujus præcipua fere momenta ex utriusque fabulæ exacta convenientia pendent), incertis nititur conjecturis.

Cæterum notandum etiam est, Græcis scriptoribus et Romanis neque accuratas, ut nobis, fuisse diversorum poeseos generum divisiones, vel ex natura semper cujusque petitas, sed sæpe a metro (unde *Iambi* verbi c. dicti), vel aliunde desumptas, neque morem librorum cum titulis in vulgus emittendorum. Sic Horatii carmina, quæ vulgo *Satiræ* et *Epistolæ* appellantur, ab ipso singula primum ad amicos sunt missa et admodum paucis recitata, deinde vero a Grammaticis tum in libros collecta atque digesta, tum *Satirarum* vel *Eclogarum* vel *Sermonum* et *Epistolarum* titulis insignita. Utrum et quomodo Horatius ipse et Persius Juvenalisque libros suos singulave carmina sive inscripserint sive digesserint, ignoramus. (Cf. sup. not.) Illud quoque *Satiræ* nomen a Grammaticis demum singulis Horatii, Persii et Juvenalis carminibus inditum est: nam olim et primum integros Satirarum libros, non horum diversi argumenti sectiones, significasse videtur. Iisdem quoque Grammaticis synonymæ voces fuere *satira* et *liber;* Gellio certe Satira Varronis eadem I, 22, *satira* et XIII, 11, *liber* dicitur. Conf. Horat. Epist. I, 13, 4.

DE SATIRICIS ROMANORUM POETIS.

In superiore commentatione ostendimus, Saturam sive Satiram Romanorum tum dramaticam fuisse, tum didacticam, et hanc, sive Ennianam, sive Lucilianam. Jam breviter recensebimus poetas, qui vel Ennium vel Lucilium imitati, adeoque vel varia argumenta versibus persequuti, vel in vitia sæculi sui invecti sunt[1]; et simul ostendemus, quam varie ab iis tractata sit Satira et quam diversas inde species induerit. Quod consilium vellem accuratius perfici posset: sed primum duplex hoc carminum genus, præcipue Lucilianum, quod gliscente morum corruptela sub malorum Principum dominatu et indignatione versum faciente (Juven. I, 79), præ cæteris arrisisse non est quod miremur, multorum haud dubie ingenia exercuit, quorum omnis intercidit memoria; deinde plerorumque poetarum, quos memorabimus, nomina tantum nobis innotuere, non carmina quoque relicta sunt; denique novimus quidem, ab his vel illis Satiras esse scriptas, sed ignoramus sæpe, utrum Ennianæ fuerint illæ, an Varronianæ, an Lucilianæ, an adeo dramaticæ. Rem quoque turbarunt viri docti, qui vel in cæcam molem congessere carmina omnia, quæ satirici

1. Conf. inpr. Casaub. de Satyr. Græc. poesi et Rom. Satira lib. II, cap. 2 et 3, p. 198—211, 225—240, et Wernsdorf Poet. Lat. Min. t. III, p. 13—27, 45—70 quorum commentationes a nobis modo amplificatas, modo contractas, modo emendatas videbis.

quid, h. e. sive miscelli sive dicacis, spirarent[1], vel recentiora antiquis auctoribus tribuere[2], vel ea adeo commenti sunt, quæ nemo scripsit[3]. Neque dissimulamus, nos ipsos etiam vereri, ne, finibus terminisque ultra, quam satis sit, prolatis et multis diversisque satiricorum carminum generibus coagmentatis, implicatior facta sit disputatio nostra. Quidquid vero ita peccavimus, juvenum causa peccatum est eoque consilio, ut hi omnium poetarum latinorum, qui inter satiricos vulgo referuntur, veram indolem perspectam haberent, et, quoties horum nomina vel legerentur ab iis vel audirentur, recte de iis judicarent.

1. Quo refero, 1° Satiras, in singulares adversarios scriptas, v. c. a *Lenæo* Grammatico, Pompeii Magni liberto, in Sallustium historicum (vid. Sueton. Gramm. c. 15); ab *Ovidio* in adversarium nobis ignotum, quod carmen invectivum Callimachi exemplo *Ibin* inscripsit; ab *Eucheria*, muliere Aquitanica vel Gallica, quæ forte sæc. quinto vel sexto vixit, in servum quemdam, ejus nuptias ambientem (vid. Wernsdorf l. l. pag. 65 et sq. et ipsam Sat. ibid. pp. 97 sq.). Similia carmina famosa sive maledica a multis in multos scripta, v. c. a Sex. Vestilio in C. Cæsarem (vid. Tac. Ann. VI, 9); ab Antistio Sosiano in Neronem (Tac. Ann. XIV, 48, et XVI, 14); ab Ælio Saturnino, C. Cominio et Sextio Paconiano in Tiberium (Dio Cass. lib. LVII extr. Tac. Ann. IV, 31 et VI, 39); a Lucano in Neronem et potentissimos ejus amicos (Sueton. in vita Lucani), a Nerone in Afranium Quinctianum (Tac. Ann. XV, 49), etc; quæ non magis huc spectant, quam epigrammata Martialis aliorumque. 2° Carmina detestanda Curtii Montani (vid. Tacit. Ann. XVI, 28). 3° Diras, v. c. Val. Catonis, qui in iis primum agros licentia Sullani temporis amissos, deinde Lydiam amasiam sibi ereptam esse queritur (vid. Wernsdorf. l. laud. p. 46 sq. qui et carmen ipsum typis recudendum curavit, p. 7 sq.)

2. Sic Pithœus, Henr. Stephanus et Casp. Barthius veteri cuidam poetæ tribuendam putarunt Epistolam s. *Satiram de Lite*, cujus auctor potius fuit *Mich. Hospitalius*, celeberrimus Franciæ Cancellarius et vir summi ingenii, qui ann. Chr. 1573, die Martis decima tertia, mortuus est octavum agens et sexagesimum annum. Vid. Fabric. Biblioth. Lat. IV, 1; t. III, pag. 244; et Wernsdorf l. laud. pag. 54, 55.

3. Ita *Stratonicum* Satirarum scriptoribus adnumeravit Schottus in Indice Auctorum Plinii Majoris, Antwerp. 1616, in-8°. Sed Stratonicus sculptor fuit, qui Satyrum finxit. Vid. Plin. XXXIII, 12.

Cn. Nævius, antiquissimus Romanorum poeta, qui bellum Punicum primum, quo stipendia fecerat, versibus descripsit Saturniis, Satiram quoque composuit, teste Festo, pag. 411 edit. Dacerii. Hæc vero haud dubie fuit dramatica: nam Nævius, jam inde ab A. U. C. DXIX, adeoque quadriennio post natum Ennium, fabulas dedit (vid. Gell. XVII, 21 extr.), et mortuus est A. U. C. DXLIX, vid. Hieron. in Chron. Euseb. ad Olymp. CXIV, ubi etiam tradit, eum ob maledicentiam Scipioni Africano et Metello invisum fuisse, et primum in carcerem a triumviris capitalibus conjectum, deinde in exsilium actum, nec inde rediisse Romam, sed Uticæ obiisse. Talem quoque suspicor fuisse Satiram *L. Pomponii*, quæ in sexto Prisciani libro laudatur. Fuit is Bononiensis et clarissimus Atellanarum scriptor, quem Velleius Pat. II, 9, Sullanis dicit temporibus vixisse, ac sensibus fuisse celebrem, verbis rudem et novitate inventi a se operis commendabilem. Atellanæ ejus memorantur, Gell. X, 24; XII, 10; XVI, 6; XVIII, 6. Ad idem forte Satirarum genus referendæ sunt illæ, quas *T. Quinctius Atta*, Ciceronis ætate, præter Togatas fabulas et Epigrammata, scripsisse perhibetur. Vid. Diomed. et Macrob.

Ennianas Satiras scripsit *M. Pacuvius*, poeta tragicus et pictor, Ennii nepos ex sorore, si Plinio XXXV, 4, vel ex filia, si Hieronymo fides habenda in Chron. Euseb. Olymp. CLVI, 3, ubi is hoc anno illum Brundisii natum esse et prope nonagenarium Tarenti obiisse refert. Utrum vero pressius Ennii vestigia persequutus, an proprio consilio usus sit, non constat: quin satiricum quoque poetam eum fuisse ignoraremus, nisi id docuisset nos Diomedes, lib. III, pag. 483, ed. Putsch. cujus verba jam supra laudavimus: «Olim carmen, quod ex variis poematibus constabat, Satira vocabatur, quale scripserunt

Pacuvius et Ennius.» Pacuviana quidem servarunt Cicero (de Div. I, 57, et ad Heren. II, 23), Gellius (I, 24, II, 26; IV, 17; IX, 14; XIII, 2, 8, 29; XIV, 1), et alii: sed hæc tragœdiarum ejus vel epigrammatum, non satirarum, fragmenta sunt et tituli. De ingenio illius ita judicavit Quintilianus, Inst. Orat. X, 1: «Hic gravitate sententiarum, pondere verborum, auctoritate personarum clarissimus fuit, citra tamen nitorem.»

Quinam poetæ præter Pacuvium Ennianas conscripserint Satiras, non habeo dicere. In eorum forte numerum tum quidam ex iis referendi sunt, quos infra in Lucilii imitatores reposui, tum *Sævius Nicanor* Grammaticus, qui Varronis ævo, vel non ita multo post vixisse videtur, et de quo hæc memoriæ prodidit Sueton. de ill. Gramm. cap. 5: «Fecit præter commentarios, quorum tamen pars maxima intercepta dicitur, et Satiram quoque, in qua libertinum se ac duplici cognomine per hoc indicat: Sæviu' Nicanor Marci libertu' negabit; Sæviu' Postumianus idem, sed Marcu' docebit.»

Ad Ennianæ Satiræ similitudinem accessit *Varroniana*, quæ tamen non varia tantum metra et argumenta, et seria cum jocis, sed pedestrem quoque sermonem cum poetico et, ut Luciliana, Græca cum Latinis miscuit. Quintilianus, qui in Inst. Or. X, 1, 93, de Satira Luciliana disputaverat, mox 95 hæc adjungit: «Alterum illud est et prius Satiræ genus (scil. Ennianum, quod antiquius est [1]), quod non sola carminum varietate (sed etiam orationis, prosæ et numeris adstrictæ, latinæ et græcæ) mixtum condidit *M. Terentius Varro*, vir Romanorum

1. Gesnerus ad Quintil. l. l. putabat, *prius genus* hic dici præstantius, vel illud *prius* ex compendio vocis *posterius* ortum esse, nostram vero interpretationem diserte contradicere iis, quæ X, 1, 93 disputaverit Fabius; quod equidem non assequor; eum tamen non satis perspicue loquutum esse crediderim.

eruditissimus. Plurimos hic libros et doctissimos composuit, peritissimus linguæ latinæ et omnis antiquitatis et rerum Græcarum nostrarumque, plus tamen scientiæ collaturus quam eloquentiæ [1]. » Quod consilium sequutus sit Varro in Satiris suis, quæ et *libri* passim dicuntur et quarum non nisi pauca supersunt fragmenta et tituli [2], ipse declaravit ap. Cic. Academ. Quæst. I, 2, his verbis: « Quæ nemo adhuc docuerat, nec erat, unde studiosi scire possent, ea, quantum potui (nihil enim magnopere meorum miror), feci, ut essent nota nostris: a Græcis enim peti non poterant, ac post L. Ælii nostri occasum ne a Latinis quidem. Et tamen in illis veteribus nostris, quæ, Menippum imitati, non interpretati, quadam hilaritate conspersimus, multa admixta ex intima philosophia, multa dicta dialectice: quæ quo facilius minus docti intelligerent, jucunditate quadam ad legendum in-

1. Vir et doctissimus fuit, et ingeniosissimus ac πολυγραφώτατος (vid. Dionys. Hal. II, 2; Senec. Cons. ad Helv. 8; Cicer. ad Attic. XIII, 18), natus a. U. C. 638; mortuus a. U. C. 726 vel 727 (cf. Plin. XXIX, 4, s. 18). Magistro usus eruditissimo L. Ælio Stilone (Gell. I, 18; XX, 11; Cic. Acad. Quæst. I, 2, et Brut. 56), in Ciceronis aliorumque virorum clarissimorum familiaritate versatus (Cic. Acad. Quæst. I, 1, et ad Div. XIII, 10), tribunatu et aliis muneribus functus, Pompeii partes amplexus in bello civili (Plin. VII, 30, Appian. b. Mithrid. 95), Cæsari reconciliatus et ab eo Bibliothecis comparandis et digerendis præfectus (Plin. VII, 30), ab Antonio autem a. U. C. 710, proscriptus (Appian. bell. civ. IV, 47). Ipse ap. Gell. III, 10 extr. memorat, se jam duodecimam annorum hebdomadam (annum ætatis 84) ingressum esse, et ad eum diem septuaginta hebdomadas librorum (h. e. 490 libros) conscripsisse, ex quibus aliquam multos, quum proscriptus esset, direptis bibliothecis suis non comparuisse (conf. Gell. XIV, 7, et XIX, 14). Hodie ex iis non nisi libri tres de re rustica, sex de lingua latina et pauca reliquorum fragmenta et tituli restant.

2. Conf. Gellium I, 17, et 22; III, 16, et 18; VI, 5; VII, 16; XIII, 4, 11, 16, 21, 28, et 30; XV, 19; XIX, 8; et Macrobium Sat. I, 7; II, 8 et 11; III, 8 et 12; Fabricium Bibl. Lat. lib. I, cap. 7, edit. Ernest. tom. I, pag. 128 seq.

vitati, in laudationibus, in iis ipsis antiquitatum proœmiis philosophiæ, scribere voluimus, si modo consequuti sumus[1]. » Varro itaque in hoc opere numeroso et multiplici orationis rerumque, ex omnibus literarum et artium generibus decerptarum, varietate conspicuo philologiam cum philosophia temperavit, et imitatus est in scribendi genere *Menippum*, philosophum Gadarenum, Cynicum et σπουδογελοῖον; unde etiam tum ipse, tum Satiræ ejus olim dicebantur *Menippeæ* et *Cynicæ*[2]. Hanc et denominationem et imitationem ad solum scribendi genus ejusque similitudinem spectasse, jam monuit Probus, ad Virgilii Ecl. VI, his verbis: « Varro Menippeus non a magistro, cujus ætas longe præcesserat, nominatus, sed a societate ingenii, quod is quoque omnigeno carmine expoliverat satiras suas, » h. e. libros suos, Romanis satiris similes: nam Probus, non ipse Menippus, ita eos appellasse censendus est[3].

Menippi et Varronis exemplo etiam alii prosam vario carminis genere tanquam interjectis gemmulis ac stellulis distinxere; verb. caus. *Julianus*, tum in libello de Cæsaribus, in quo primos perstrinxit Imperatores, tum in Satira, cui titulus est Μισοπώγων, seu, *barbæ osor*, et in qua acerbe notavit mores Antiochensium, quibus barba,

1. Ita hunc locum ingeniose emendavit Ernesti.

2. Conf. Gell. I, 17; II, 18; XIII, 29, al. 30; Macrob. Sat. I, 11; Strab. XVI; Athenæus, XIV, 7; Casaub. de Sat. Rom. p. 202 seq. Diog. Laert. VI, 99, ibique Menag.

3. Quod quum non reputaret Casaubonus l. l. p. 205 sq. nodum in scirpo quæsivit. Id jam fuse et ample tractatum est a Cl. V. *Kœnig* de Sat. Rom. pag. 32, et præterea hæc: « Quod Casaubonus de scribendi genere Menippeo dicit, non puto ad omnia ejus scripta transferenda esse, inter quæ etiam ea poterant esse, quorum stilum Varro sequi potuerit. Hoc quoque cum eo non statuerim, Menippum a Luciano t. I, p. 455 sq. ed. Reitz. epicorum et tragicorum flosculis utentem, ad ejus scribendi genus ridendum inductum esse, sed ut illorum poetarum tumorem exagitantem, quod ipse Lucianus multis locis facit. »

quam alebat, ludibrio fuerat: *L. Annæus Seneca*, in lepidissimo ludo de morte Claudii Cæsaris, in quo confingit, hunc ingentis stuporis hominem non in deos, sed in cucurbitas relatum esse: nam esu venenati boleti, κολοκύντης s. κολοκύνθης, Claudius, hujus cibi avidissimus, periisse credebatur, et inepti homines cucurbitis comparari solebant (cucurbitæ caput habere dicuntur, Apul. Met. I, pag. 109, ed. Elmenh.); unde Seneca libellum suum, non *Satiram*, neque ἀποθέωσιν, sed ἀποκολοκύντωσιν facete inscripsit: *T. Petronius Arbiter* (Massiliensis, equestri genere natus, consularis, Neroni familiaris et elegantiæ *arbiter*, sed artibus Tigellini æmuli ad mortem compulsus, quam sibi lente, incisis venis, intulit; de quo vid. Tac. Ann. XVI, 18, 19), in *Satirico* vel *Satiricon libris*[1], in quibus mores suæ ætatis, præcipuæ avaritiam, luxum, superbiam aliaque vitia, discordias bellaque civilia gignentia et reipublicæ conversionem minantia stylo mordaci et plano describit, insertis passim carminibus, modo longioribus, inprimis de bello civili vel de mutatione rei-

1. Casaubonus loc. l. pag. 259: « Petronii, inquit, libellus mera est Satura Varroniana: ipse tamen *Saturicum* sive *Satiricum* maluit inscribere; quomodo *Commentarium* dicitur pro commentario libro, *Apologeticus* pro apologetico libro. At qui *Satyricon* titulum Petronii reliquiis imposuerunt, ii sine dubio græcam vocis Satiræ originem spectabant: cujus rei nunquam auctori venisse in mentem, pro certo habeo. De *Martiano Capella* minus ausim affirmare propter antiquitatem hujus erroris. Et tamen ipse in causa explicanda, cur opus suum *Satiram* inscripserit, nobiscum facit. Sic enim ait: « *Tandem senilem Martiane fabulam Miscillo lusit quam lucernis flamine Satira.* » P. Burmannus in Præf. edit. suæ Petronii libros Græca forma *Satyricῶν* s. *Satiricῶν* scil. libros appellari malebat, ut Ovidii *Metamorphoseῶν*, Hygini *Poeticῶν Astronomicῶν*, Fulgentii *Mythologicῶν*, Solini *Ponticῶν*, etc. Eorum vero argumentum plane convenit et temporibus Neronianis et ingenio moribusque illius Petronii; neque sententiam suam nobis persuasere, qui auctorem illorum vel Claudii, vel Severi, vel Antoninorum ætate vixisse opinati sunt. Prius P. Burmannus, alterum Statilius, et posterius Valesii contenderunt.

publicæ, modo brevioribus; unde intelligitur eum non magis Varronem, quam Lucilium sibi imitandum proposuisse, et novum aliquod mixtumque Satiræ genus tractasse. Ad quod tamen Juliani quoque et Senecæ libelli modo laudati quodam modo referri possunt *Martianus Mineus Felix Capella* Madaurensis, vel Carthaginiensis, scriptor semibarbarus, qui sæc. quinto, temporibus Leonis Thracis vixit, in *Satira* sua, cujus duo priores libri Philosophiæ ἀποθίωσιν, sive fabulam de nuptiis Philologiæ et Mercurii, reliqui vero septem singularum artium liberalium, Grammaticæ, Dialecticæ, Rhetoricæ, Geometriæ, Arithmeticæ, Astronomiæ et Musicæ, laudes ac præcepta continent. Anicius Manlius Torquatus Severinus *Boethius* consularis (natus Romæ ann. Chr. 455, et securi percussus ann. 524, quum reus majestatis factus esset), in libris præclaris et tam argumento quam stylo conspicuis de *Consolatione philosophiæ*, quos in carcere scripsit, in quem jussu Theodorici Gothorum regis conjectus erat. Aliæ *Satiræ Menippeæ* etiam ab aliis, tum ante, tum post renatas literas scriptæ sunt, v. c. a *P. Cunæo*, jurisconsulto Batavo, « Sardi Venales, seu Satira Menippea in sui sæculi homines inepte eruditos; *a Justo Lipsio*, Somnium s. Satira Menippea in criticos, et poetas inscitos; *a Dan. Heinsio*, Hercules tuam fidem, sive Munsterus Hypobolimæus, id est, Satira Menippea de vita, origine et moribus Casp. Scioppii. »

Sed jam progrediamur ad recensum eorum, qui *Lucilium* et Satiræ ab eo inventæ genus imitati sunt. Huic Satiræ primum novam plane multoque meliorem induit formam ingenium *Horatii*, qui maculas et labes, tum incuria auctoris, tum sæculi genio ei adspersas, eluit, verborum contumeliis et petulantiæ jocos et sales, orationi-

que subitæ et incuriosæ, horridæ et scabræ, obscœnæ et procaci, tersam et limatam, puram et æquabiliter fluentem, facetam et urbanam substituit; et neque Græca immiscuit Latinis, neque alio quam heroico versu usus est. Illum sibi exemplar proposuere posteriores poetæ satirici, etiam secundi ab eo, *Persius* et *Juvenalis*: at quisque eorum singulari genere dicendi usus est et diversa ratione, pro ingeniorum temporumque diversitate, argumenta tractavit. Quod intelligitur ex proxima commentatione, in qua de *Horatio*, *Persio* ac *Juvenale* seorsum disseremus, et hos poetas satiricos, quorum opera manibus adhuc nostris teruntur, inter se comparabimus. (Vide commentationem quæ statim infra, pag. 524, sequitur. Ed.) Nunc sufficiat breviter recensuisse cæteros *Lucilii* imitatores, quorum Satiræ tantum non omnes interciderunt; quod gravius doleremus, nisi fortuna nobis triumviros illos servasset.

Ante *Horatium*, qui A. U. C. 689, adeoque XL fere annis post Lucilii mortem natus est, non defuisse, qui hujus quidem exemplo, sed parum prospero conatus successu, ad Satiras scribendas animum appellerent, ille nos ipse docet, Sat. I, 10, 46 seq.

> Hoc[1] erat, experto frustra Varrone Atacino
> Atque quibusdam aliis, melius quod scribere possem,
> Inventore minor.

Hic est *P. Terentius Varro*, natus circiter A. U. C. 670, et a patria Atace, Galliæ Narbonensis vico (vid. Hieron. in Chron. Euseb. ad Olymp. 174, a. 2.), vel ab Atace, Narbonensi fluvio (vid. Porphyr. ad Horat. l. l.), dictus *Atacinus*. Is præter Satiras, scripsit Argonautica bellum-

1. Satiricum poema intellige Satiricum carmen.

que Sequanicum, et judicio Quintil. X, 1, 87: «In iis, per quæ nomen est adsequutus, interpres fuit operis alieni, non spernendus quidem, verum ad augendam facultatem dicendi parum locuples.» Præter hunc, quosdam alios satiricum dicendi genus frustra ante se expertos esse tradit Horatius, loco citat. at quinam hi fuerint ignoramus. Casaubonus huc refert *Sævium*, seu *Suevium Nicanorem*, et *Lenæum*, Pompeii Magni libertum, Grammaticos (vid. Macrob. Sat. II, 14, et Suet. de Ill. Gramm. cap. 5, et 15); quorum Satiras forte non Lucilianas fuisse supra diximus. Omisit autem *L. Albutium*, quem nos in horum locum substituimus, ex Varrone de Re Rust. III, 2, 17: «Nonne item L. Albutius homo (ut scitis) apprime doctus, cujus Luciliano charactere sunt libelli, dicebat in Albano fundum suum pastionibus semper vinci a villa? agrum enim minus dena millia reddere, villam plus vicena.» In optimis Varronis codicibus legitur *Abuccius*, ut et III, 6, 6, sed prænomen forte, non nomen emendandum et reponendum *T. Albutius* s. *Albucius*. Is fuit æqualis Lucilio, qui passim ejus meminit in Satiricis (verb. caus. ap. Cic. Fin. I, 3, et Orat. 44), Proprætor Sardiniæ, A. U. C. 648 (Cic. Divin. 19, Pis. 38; Off. II, 14; Prov. 7; Brut. 26.), perfectus Epicureus et pæne Græcus, qui primum adolescens et postea exsul Athenis vixit (Cic. Brut. 30, et Tusc. Qu. V, 37.).

Horatii ætate *Julius Florus*, et, si Porphyr. ad Horat. Epist. I, 3 fides habenda, «hic Florus fuit Satirarum scriptor, cujus sunt electæ ex Ennio, Lucilio et Varrone:» adeoque diversa Satiræ genera tractavit, vel miscuit. Ei inscriptæ sunt Horat. Epist. 3, lib. I; et 2, lib. II; ex quibus (et quidem ex Ep. III, 21, 24; et II, 59, 60). Casaubonus pag. 230, et Wielandus (ad Horat. Ep. tom. II, pag. 129), conjiciunt, eum non nisi Ἐρωτικά

scripsisse. Ingenium tamen ejus varium fuisse et ad diversa scribendi genera aptum, ex eadem Epist. III, 22 seq. cognoscitur : ex quo loco etiam probabile fit, de eodem Floro loqui Quintil. X, 3, 12 seq. et Senec. Controv. XXV. Hic memorat, eum declamatorem; ille vero, eum principem in eloquentia Galliarum et inter paucos disertum fuisse.

Post Horatium, præter *Persium* et *Juvenalem* horumque ætate, multi alii exstitere Satirarum scriptores, *Turnus*, *Lenius*, *Silius*, *Sulpicia*, *Tucca*, *Manlius Vopiscus*, forte et *Julius Rufus*, *Cornutus*, *Gavius Bassus* et *Rabirius* s. *Rubrius*, aliique, *quos fama obscura recondit.* Quintil. X, 1, 94, laudatis Lucilio, Horatio et Persio, hæc subjungit: *Sunt clari hodieque, et qui olim nominabuntur.* Tres priores, Auruncæ natos; quæ Lucilii quoque patria fuit, memorat vetus Scholiastes Juvènalis ad Sat. I, 20, ubi hæc notavit : « *Turnum* dicit Scævæ Memoris tragici poetæ fratrem, qui libertini generis ad honores ambitione provectus est, potens in aula Vespasianorum Titi et Domitiani : vel *Lenium* dicit, qui et ipse Satiras scripsit : vel *Silium*, et ipsum sui temporis Satiricum. Qui omnes ex Aurunca fuerunt. » *Lenius* et *Silius*, quod sciam, non aliis laudantur, nisi potius illi nomen fuit *Lenæo*, de quo supra dixi, et huic cognomen *Basso* vel *Sparso*, qui rhetores fuere (vid. Senec. Controv. III, VI, et VII). *Turni* autem Satiras amplissimis verbis ornant Martial. VII, 97; XI, 10; Rutil. in Itiner. I, 600; et Sidon. Apollin. Carm. IX, excusat. ad Felicem vs. 267. Confer Wernsdorf. P. L. M. vol. III, pag. 59 sq. Qui non vanis rationibus ductus suspicatur, eum auctorem fuisse Satiræ prolixæ, quæ Neronis vitia sceleraque omnia liberius et longo ordine enarrasse videtur et cujus fragmentum, triginta versus complectens, ex P. Burman.

Anthol. Lat. tom. II, pag. 645, ille cum notis exhibuit ibid. pag. 77 seq. Ex eadem vel alia Turni satira petiti duo versus, qui admodum corrupte leguntur in vett. Scholiis Juvén. ad Sat. I, 71 : *Ex qua Cæsareas soboles horrida Locusta Occidit cura sui verna nota Neronis.* Quos varie emendarunt viri docti : Casaubonus de Satira Romanorum pag. 231 : *Ex quo C. s. homicida L. Occidit curæque veneni admota Neroni est;* Barthius Adversar. XXIV, 11 : *Circes vi vernæ nota Neroni*, vel *cura vivaria* (h. e. prædia a Nerone donata) *nacta Neronis;* vir doctus in Miscell. Obss. tom. V, pag. 264, coll. Sueton. Neron. 33 : *Et quo Cæsaream sobolem Locusta cecidit Horrida, cæde suis vernæ jam Nota Neroni;* Wernsdorf. l. l. pag. 82, *Ex quo C. s. horrenda Locusta Occidit, Circe inter vernas nota Neronis*, vel *curans sævi fera vota Neronis.*

Sulpicia seu *Sulpitia*, Caleni uxor, præter carmina amatoria Satiram de corrupto reipublicæ statu temporibus Domitiani tunc scripsit, quum tyrannus ille edicto philosophos Urbe expulisset. Ea adhuc exstat, et multis exemplaribus tam Ausonii (inter cujus carmina primum reperta est et edita ann. 1500 a Thaddæo Ugoleto), tum Petronii, Catalectorum, Persii et Juvenalis adnexa est; recepta quoque a Wernsdorfio in Poetis Latinis minoribus, tom. III, pag. 83 seq. (Nos quoque eam huic editioni inseruimus, sup. pag. 441. Ed.) Ipsa poetria impense laudatur a Martiale X, 35, et 38; et Scaliger in Hypercritico monet, « in ea multum dexteritatis ad satiricam amarulentiam adspirantis esse, numeros vero, ut in eo genere poematis, non contemnendos. » Contra Casaubonus de Sat. Rom. p. 236, « Non erraverit judicio meo, inquit, qui Satiram id poema nominaverit : eruditionem tamen et probitatem nobilissimæ feminæ ex carmine potius laudes, quam acrimoniam et ad satiricos morsus

εὐφυΐαν; lacertis enim caret oratio et ἀγωνιστικῷ spiritu. » Conf. Wernsdorf l. l. pag. 60 seq.

Tucca ineptus fuit Satirographus et deridetur a Martiale XII, 95, alio 94, et alio 96. E cujus epigramm. versu 7:

Audemus Satiras: Lucilius esse laboras.

Casaubonus et Wernsdorfius colligebant, Martialem, si eum serio scripserit, ipsum quoque satiricorum poetarum choro inserendum esse. Qui totum vero perlegerit epigramma, non ita judicabit.

Manlii Vopisci ingenium et ad alia carmina, et ad Satiras scribendas aptissimum Statius summis laudibus celebrat in Sylv. I, 3, 101 seq. idemque in Epistola ad Stellam, Sylvis præfixa, Vopiscum appellat *virum eruditissimum, qui præcipue vindicet a situ literas jam pæne fugientes.*

Satiricis horum temporum poetis adnumerantur etiam *Julius Rufus, Cornutus, Gavius Bassus* et *Rabirius* s. *Rubrius*: sed Rufus nullas forte Satiras, et reliqui alias, quam Lucilianas, scripsere. *Julii Rufi* mentionem facit Martialis in disticho, figuræ Socratis subscripto, lib. X, epigr. 99:

Si Romana forent hæc Socratis ora, fuissent,
Julius in Satiris qualia Rufus habet.

Casaubonus de Satiris Romanorum, pag. 231, existimat, his verbis gravitatem Rufi in Satiris laudari, Crenius autem ibid. in adnot. et Raderus ad Martial. l. l. suspicantur, hunc virum illustrem fuisse et doctum, ad quem Plinius Epist. V, 21, et VII, 25, scripserit. Sed Wernsdorf. l. l. pag. 17, jam bene contra eos ita disputavit:

« Ut hoc affirmari vix tuto licet, quum plures Rufos in epistolis memoret Plinius, ita et illud valde dubium, an Satiricam Rufi poesin Martialis laudare voluerit. Nam quum de imagine Socratis sermo sit, quem simo vultu et Silenis simile fuisse gemmæ antiquæ docent, potest hæc esse sententia Martialis, ut dicat, vultum Socraticum Rufi quasi inter Satyros fuisse, aut eum irrisum a Satiricis poetis. »

Annæus Cornutus, philosophus Stoicus, tragicus poeta (vid. Sueton. Vit. Persii) et præceptor Persii (cujus Satira quinta ei inscripta est), multa scripsit philosophica et rhetorica (vid. Euseb. in Chron. ad a. 2083, Hieron. in Epist. ad Magnum oratorem, et Suidas, qui tamen multa de eo falsa, et inepta tradit), forte et libellum de Natura Deorum, qui Phurnuti vulgo nomen præ se fert, nec non commentaria in Virgilium et libros de figuris sententiarum (vid. Gell. II, 6; IX, 9, et Macrob. V, 19): a Nerone autem propter liberius de ejus carminibus judicium exsilio mulctatus est (vid. Euseb. l. l. et Dio Cass. LXII, extr.), et postea interfectus cum Musonio (conf. Suidas et Voss. de hist. lat. I, 26, ubi diversas narrationes illas ita conciliavit). Eumdem composuisse Satiras, colligitur ex verbis Fulgentii Planciadis in exposit. serm. ant. *Titivillitium dici voluerunt fila putrida, quæ de telis cadunt. Plautus Casina* II, 5, 39,

Non ego istud verbum emsitem titivillitio,

id est, re admodum vilissima. Nam et M. Cornutus in Satira ait : Titivilles Flacce do tibi. Ita hunc locum exhibuit Muncker. in Mythogr. Lat. tom. II, pag. 174. Casaubonus vero de Sat. Rom. pag. 234 et 235, ita citavit postrema verba : *Titivillitii sat cedo tibi,* et hæc adnotavit : « Fortasse legendum : *Titivillitio istas cedo tibi* (sed vid. Gro-

nov. ad Plaut. l. l.). Videtur hic esse Annæus Cornutus: quam ob rem verba Persii Sat. V, 15, quæ sub persona Cornuti pronunciantur:

> ..... pallentes radere mores
> Doctus et ingenuo culpam defigere ludo,

ita puto accipienda, ut dicat Cornutus, se Persium discipulum suum in scribendis Satiris exercuisse, et hac occasione interdum, velut exempli causa, Satiras scripsisse. » — Satira *Gavii* (non *Galbii* vel *Gabii*, quæ ignota sunt gentium nomina) *Bassi*, forte ejus, quem Trajanus Ponticæ præfecit oræ (vid. Plin. Ep. X, 18, et 32) laudatur eidem Fulgentio lib. I, pag. 179: « *Vervina* jaculi genus longum, quod alicui *verutum* nominant. Gavius Bassus, Satira: Vervina confodiende, non te nauci facio. » Sed Wernsdorf. jam bene monuit l. l. pag. 19, vocabulo *Satiræ* commentarium fortasse miscellarum observationum indicari, quales Bassi fuerint libri de Diis et de origine verborum, de quibus vid. Macrob. Sat. I, 9; II, 14, et Gell. II, 4; V, 7; XI, 17.

Rabirii Satiram (sed qualem?) memorat idem Fulgentius l. l. pag. 183 (ubi in quibusdam codd. *Rubrius* legitur), *Abstemius observans. Rabirius in Satira: Abstemium merulenta fugit Methenia nomen.* Vulgo putant, C Rabirium designari, poetam epicum et secundum a Virgilio; de quo vid. Vellei. II, 36; Ovid. Ep. ex Ponto IV, 16, 5; et Quintil. X, 1, 90.

Seriores Satirographi fuere *L. Apuleius*, quem vide in Floridis pag. 346, et p. m. 363, edit. Elmenh.

Tetradius, Ausonii Burdigalensis amicus, a quo Satiræ ejus et sales laudantur in Epist. XV.

Cæcina Decius Albinus, Præfectis Urbi et Tusciæ regnantibus Honorio et Theodosio secundo, aut potius

DE DIVERSA SATIRARUM LUCILII, HORATII, PERSII, JUVENALIS INDOLE;

DEQUE FRUCTU EX EARUM LECTIONE PERCIPIENDO.

Declaratis jam variis Satiræ Romanæ generibus, poetisque satiricis breviter recensitis, superest, ut horum principes, Lucilius, Horatius, Persius et Juvenalis, inter se conferantur; quæque cuivis et virtutes et vitia sint propria, ostendatur [1]. Comparatio illa jam a multis est instituta: sed dici vix potest, quantopere inter eos discrepet [2]. Neque hoc adeo mirum videri debet: nam, ut ta-

1. De fructu ex Horatii, Persii et Juvenalis lectione percipiendo, pauca tantum infra disputavi, quum de poetici studii utilitate in universum jam multi accurate atque copiose præceperint et pleraque, ad illam rem proprie spectantia, sint talia, ut, nisi quis tardissimi sit ingenii, hæc facile ex iis, quæ de poetarum illorum virtutibus ac propria indole dixi, colligere possit.

2. Horatio D. Heinsius de Sat. Horat. et Dacierius in Præfat. editioni hujus poetæ præfixa; Persio Casaub. in Prolegom. in Pers. Juvenali Scaliger in lib. III, et VI, Poet. Lipsius Epist. Quæst. II, 9, et Rigaltius in Diss. de Sat. Juven. palmam deferunt. Conf. etiam Vulpius de Sat. lat. c. XI, et XII; Cunæus in Orat. XI, XII, et alii. Nemo autem vel copiosius vel accuratius de vera cujusvis poetæ atque propria indole disputavit, quam Manso in libro, qui inscriptus est *Nachträge zu Sulzers Theorie* t. IV, Fasc. II, p. 446—496 (quæ tamen commentatio nondum absoluta est et ad Lucilium tantum Horatiumque spectat), et Kœnig de Sat. Rom. p. 34—104; quos libellos legisse neminem pœnitebit. Nos primas modo lineas duximus, et neutro jam consulto eadem fere animo nobis informaveramus judicia.

ceam, eum plerumque scriptorem aliis ejusdem generis a nobis anteferri, cujus ingenium moresque cum nostris maxime congruant, quique adeo nobis potissimum in deliciis sit; viri docti non satis reputasse videntur, illam comparationem fere totam pendere a diversitate temporum, ingeniorum, morum studiorumque cujusvis poetæ. Omnis vero disputatio fluctuet necesse est, si non nisi in universum res aliqua in quæstionem vocatur, neque certa constituitur formula regulaque, ad quam judicia exigantur.

In diversis Satiræ generibus auctoribusque dijudicandis ratio præcipue habenda est sæculi, quo poeta quisque vixit, et morum studiorumque, quæ eo viguerunt. Nulla enim inter varia genera poesis est, quæ magis sit filia temporis, quam Satira, quia inde depromit argumenta et omnem fere succum atque colorem ducit. Præterea dispiciendum est, quod cuivis poetæ fuerit ingenium, quæ institutio et victus consuetudo.

Lucilius, ut de eo primum quædam et seorsum dicamus, ab obsessa Carthagine ad initium quinti consulatus Marii, in quo Cimbri et Teutones victi sunt, adeoque ea vixit ætate, qua in dies quidem ardescebat quasi certamen, in quod antiqui mores cum novis, probitas cum improbitate, descenderant, sed virtus pleniore adhuc ore palamque laudabatur et innocentia a multis protegebatur; qua numerus infirmorum ægrotorumque quotidie gliscebat, sed non deerant medici, quorum remedia si non arcerent contagionem pestemque ex Asia, Græcia et Macedonia importatam, saltem vim ejus infringerent; qua adhuc bonis potius quam malis artibus, et virtutibus magis quam nobilitate et divitiis summus dignitatis gradus obtinebatur, et juvenes virique natalium splendore conspicui, bonis exemplis, adspectu imaginum et memo-

ria rerum a majoribus gestarum, ad mores eorum constanter tuendos, et ad ea, quæ honesta, præclara et magnifica sunt, sectanda inflammabantur; qua libertas loquendi scribendique nondum vel legibus vel metu tyrannorum præcisa erat, neque magna vel generis vel ordinis ratio habebatur; quæ præterea Romani, scriptis Menandri aliorumque Græcorum exculti, jam pæne exuerant rusticam jocorum morumque asperitatem, et linguam suam plane ad græcam formare cœperant. Idem poeta Lælii, Scipionis aliorumque summorum virorum consuetudine politus, hilari et prompto ad jocandum animo et ingenii dotibus egregie a natura instructus erat (vid. Horat. Sat. II, 1, 62—74). Hinc illa audacia magnaque verborum libertas, qua Lucilius sensa mentis palam expromit et explicat, neque tam vitia quam ipsos stultos et improbos cujuscumque generis, loci ac dignitatis vel nominatim insectatur; hinc antiqua ejus et vernacula festivitas et sales magis nigri quam urbani, ex auctoribus veteris Græcorum comœdiæ hausti; hinc incondita orationis asperitas et versus illi, græca sæpe verba latinis inserentes, atque limatiores quidem Ennianis, sed minus politi et comti, quam poetarum, quos Cæsaris et Augusti sæculum tulit. (Conf. sup. de Sat. Rom. pag. 492 et not. 1, et 2.)

Ab ævo Luciliano multum differebat Horatianum. Statum reipublicæ Romanæ luxus, avaritia cæteraque vitia, quæ una cum divitiis peregrinis immigraverant, in dies magis labefactabant et mirum in modum concutiebant primum Gracchanæ, Drusianæ, Apuleianæ aliæque seditiones tribunitiæ, mox bella civilia, proscriptiones, dictaturæ perpetuæ et triumviratus. Mores enim, antea sensim paulatimque lapsi, jam cœperant præcipites ire, et abundantes divitiæ atque voluptates pepererant desiderium,

per ambitionem atque potentiam audendi perdendique omnia, donec ad ea perveniretur tempora, quibus perditi atque profligati homines non amplius vel vitia sua, vel remedia, quæ morbo quidem adhibebantur, sed salutem minuebant, pati poterant, aut ferre libertatem, quæ, quum a Cæsariano inde Pompeianoque bello ad pugnam Actiacam vel septimum Augusti consulatum velut moriens reluctata esset dominatui, tandem ei cedere cogebatur. Romani cives, qui olim, quamdiu adhuc parsimoniæ paupertatique honos steterat, disciplinam severam, inopem duramque vitam, justitiam aliasque virtutes coluerant, inde a Sullana ætate opum et coacervandarum et profundendarum inexplebili atque insana cupiditate ardebant; mulieresque non minus turpiter vivebant quam viri. Censura non satis severa erat aut efficax, et institutio liberorum perversa, hominibus sæpe vilissimis turpissimisque tradita et a parentibus vel plane neglecta vel pravis vitiorum exemplis corrupta. Cicero non uno loco deplorat summam, in quam prima ætas sua incidisset, perturbationem disciplinæ veteris, tam publicæ, quam privatæ, cum qua rempublicam potentiamque Romanorum et stetisse et cecidisse sapientissimi viri judicarunt, et in Orat. pro Cœlio c. 17, continentiam dicit aliasque Camillorum, Fabriciorum, Curiorumque virtutes non solum non in moribus hujus ævi, sed vix jam in libris reperiri; chartas quoque, quæ illam pristinam severitatem continuerint, obsolevisse. Exemplum deinde Augusti, principis magnifici et luxuriosi; maxime vero Mæcenatis, hominis otio ac mollitiis pæne ultra feminam fluentis (Vellei. II, 88; Juvenal. I, 66; XII, 39), opes immensæ, ex provinciis Romam confluentes, securitas ac quies imperii, tam diutinis procellis ac turbulentis tempestatibus vexati, exiguas simplicitatis, magnitudinis animi alia-

rumque virtutum morumque veterum reliquias exstinguebant, animosque omnium pronos reddebant ad luxuriam, effeminatum languorem et libidines, quæ consiliis imperatoris novoque civitatis statui quam maxime congruebant, mentem vero abalienabant a studiis severioribus, ejusque viresfrangebant. Idem Augustus, ut animos civium a sensu libertatis amissæ et diligenti mutatæ reipublicæ consideratione avocaret, ipse autem potentiæ securus esset, callido Mæcenatis consilio, servata externa civitatis forma relictisque omnium magistratuum veterum nominibus, commodis, honoribus, omnem ad se trahebat potestatem; et plebem tam congiariorum, quam spectaculorum, munerum ludorumque adsiduitate, varietate et magnificentia in turpem inertiam atque torpedinem resolvebat; homines autem sanioris mentis tum beneficiis honoribusque sibi devinciebat, tum ad studia excitabat artium literarumque, quarum amorem inani laudis cupiditate ductus simulabat. Magna rerum mutatio novam loquendi, cogitandi et agendi rationem inducebat, et in locum liberæ vocis, olim vel scriptis expressæ, vel toties in concionibus, curiis, foro et rostris auditæ, nunc succedebat oratio adulatorum, calumniatorum et servorum, qui se totos ad domini arbitrium nutumque fingebant. Hinc vera eloquentia Cicerone necato obmutescebat, et poetæ tantum non omnes erant imitatores servum pecus. Nihilo tamen secius sæculum Augusti multo melius feliciusque erat extremis liberæ reipublicæ temporibus. Princeps imperio quietem atque dignitatem civibusque securam bonorum possessionem reddebat, et multa vitia severe coercebat legibus saluberrimis. Ipse etiam, quamvis in adolescentia dedecorum quorumdam et in triumviratu sævitiæ infamiam subierat, postea magnis virtutibus pensabat vitia, et clemens erat dominus ac

patronus, amicus comis ac fidelis, bonus paterfamilias et Imperator, neque patris patriæ nomine indignus. Idem artes scientiasque fovebat et cives ad virtutem si non colendam, certe similandam, præmiis pœnisque incitabat. Decor itaque et honestas, judicium et sensus veri, boni ac pulchri, nondum plane exstincta erant, et acuebantur literarum græcarum studio, quod adhuc vigebat.

Hac ætate (ab ann. U. C. 689, ad ann. 746) vixit *Horatius*, homo hilaris ac suavis, comis et humanus, urbanus et facetus, levis et Veneri Bacchoque non minus, quam Musis carus, fidus et candidus, gratus et officiosus, ingeniosus et doctus, patre nec ingenuo, nec claro, sed bono et honesto, adsiduo morum filii custode et rectore, virtutumque et præceptore et exemplo, natus (vid. Sat. I, 4, 105 seq. 6, 65 seq.), præclara præditus indole, artibus imbutus liberalibus et honestis, familiaritate Græcorum et multo rerum usu subactus, elegantissimorum summorumque virorum consuetudine politus, gratia Cæsaris principumque civitatis florens ac tutus, non adsectator eorum vel adsentator humilis et mancipium, nulla philosophiæ disciplina adstrictus, sed modo ex Zenonis, modo ex Epicuri hortis flores decerpens (vid. Epist. I, 1, 13 seq.), privatam virtutem, quum nulla amplius publica esset, colens ac præcipiens, fractis Bruti Cassiique opibus et summa rerum ad unum senatus populique consensu delata, cedens fortunæ, et vitam liberam, commodam, nullis vel curarum vel negotiorum publicorum molestiis vexatam, otium liberale securamque mediocritatem sectans, animo, paupertate et gloriæ amore ad carmina facienda impulsus.

Post Augustum valde mutabatur rerum status, et libidines vitiaque, pudore et legibus adhuc refrenata, aut clam magis quam palam exercita, vinculis ruptis effuso

ferebantur cursu, et vel publica auctoritate exemplisque Cæsarum muniebantur. Pessimi Imperatores erant *Tiberius*, homo ad sævitiam et omne genus vitiorum, quæ vivis Augusto et Germanico Cæsare metu dissimulaverat, natura propensus; qui comitiis populo adēmtis, castris prætorianis extra Urbem exstructis et institutis judiciis majestatis delationibusque, quibus maxime innocentes ab eo cæterisque tyrannis opprimebantur, dominationem firmabat; *Caius Caligula*, monstrum hominis cum ratione insaniens; *Claudius*, ingenio præditus tardo et uxoribus libertisque addictus; *Nero*, sceleribus non minus infamis, quam ineptiis; *Galba* avarus; *Otho* mollis et delicatus; *Vitellius* sævus, ignavus, et non profundæ modo, sed intempestivæ etiam ac sordidæ gulæ. Quo occiso respublica ex tanta quasi fluctuum jactatione in tranquillum quidem redigebatur frugalitate *Vespasiani* et liberalitate *Titi*, amoris atque deliciarum generis humani; sed mox avaritia et crudelitate *Domitiani* iterum profligabatur, neque ferre poterat munificentiam et mansuetudinem *Nervæ*, quæ contemptui habebantur. Nova ei lux affulgere cœpit inde ab ann. U. C. 850, regnantibus *Trajano* et *Hadriano*. Ille libertatem ac salutem, securitatem atque otium universis et singulis reddebat, et imperium tam bene et clementer administrabat, ut senatus decreto, et consentiente omnium voce, *Optimus* appellaretur: hic legibus civitatem condebat, provincias et literatos liberalitate sublevabat, judicia, rem militarem disciplinamque diligentissime constituebat. In illo temporum rerumque statu, ante Vespasianum et Nervam, vix umbra vel frugalitatis, pudoris, magnitudinis animi aliarumque virtutum pristinarum, quibus nec honor, nec pretium erat ullum, vel metus legum, libertatis atque religionis, relinquebatur, et vigebant omnia vitiorum genera,

nec minus prorupta audacia deorumque contemptus, quam servile obsequium et anilis superstitio. Honores non virtutibus meritisque patebant, sed vel divitiis et nobilitati, vel sordibus artibusque inhonestis. A studiis severioribus plane abhorrebant hominum ingenia, quum luxuria atque libidines non corporis tantum, sed animi etiam vires vigoremque omnem exstinguerent. Qui philosophorum nomen et munus profitebantur, si Senecam et Cornutum Stoicos, aliosque admodum paucos exceperis, vel voluptatum illecebris capti Aristippi et Epicuri, vel disputandi tantum cupiditate ducti Academiæ disciplinam sectabantur, vel sola vanæ ostentationis causa Stoicorum præcepta et gravitatem, non vita et moribus, sed verbis, barba, supercilio, vestitu et victus asperitate exprimebant, vel denique nulli sectæ addicti, apum instar, quæ arriderent, undique delibabant. Eloquentia, libertate primum et deinde comitiis populi a Tiberio sublatis mutatisque moribus ac studiis, a lumine forensi et causarum tam veritate quam gravitate ad judicia centumvirorum, ad adulatorios panegyricos in senatu habendos et ad scholarum umbram fictarumque causarum simulacra traducebatur, et sic omnis oratio a naturali pulchritudine ac veritate, a simplicitate, gravitate et sublimitate, ad rhetorum subtiles argutias et puerilem in dicendo ornatum, ad quæsitam quamdam elegantiam et verborum luxuriem, robore nervisque destitutam, ad inanem doctrinæ ostentationem affectationemque artis deflectebat. Poetica oratio, vis et facultas a natura, ingenio rectoque judicio, a quibus tota pendet, ad artem et præcepta, quæ sine illis parum valent, quæque sensum verum ac pulchrum, acrem et acutum, alere quidem et regere, non vero in illis, quibus a natura denegatus est, gignere et excitare possunt, jam exeunte sæculo Augusteo deverte-

bat, et exinde magis vana eruditione atque Asiatico tumore vel jejunitate, ornatus verborum phrasiumque aucupio et variatione, servili imitatione aliorum et frigida sermonis ubertate, transitionum audacia et inversionum duritie, dialectico sententiarum acumine rerumque obscuritate et amplificatione, comparationum, figurarum troporumque multitudine et insolentia, verborum vel antiquorum obsoletorumque sectatione, vel vulgarium perplexa structura, declamatoria vanitate et prolixis sine succo ac sanguine disputationibus, quam naturæ simplicitate ac venustate, genuino urbanitatis veritatisque colore, nullo fuco illito, ingenii ubertate atque elegantia quadam admirabili, inventionis pulchritudine ac novitate, imaginum veritate, et proprietate sententiarum ac verborum, argumenti exquisito delectu et scita tractatione, apta serie et collocatione rerum et orationis ad eas accommodatione continebatur. Hæc corrupti sermonis indoles, hæc oratorum poetarumque oratio, consentanea erat genio illius ævi, quo homines in dies magis a natura recedebant, eorumque ingenia non amplius diligenti Græcorum lectione et accurata humanæ naturæ rerumque cognitione alebantur, sed grammaticorum rhetorumque, stolidorum plerumque inanis doctrinæ ostentatorum, institutione præpostera et assidua declamandi recitandique consuetudine formabantur [1].

1. Digna sunt quæ juvenum causa adscribantur verba Petronii. Confer hujus Sat. in principio: « Num alio genere furiarum declamatores inquietantur, qui clamant: Hæc vulnera pro libertate publica excepi, hunc oculum pro vobis impendi?.... Hæc ipsa tolerabilia essent, si ad eloquentiam iturls viam facerent: nunc et rerum tumore et sententiarum vanissimo strepitu hoc tantum proficiunt, ut, quum in forum venerint, putent se in alium terrarum orbem delatos. Et ideo ego adolescentulos existimo in scholis stultissimos fieri, quia nihil ex iis, quæ in usu habemus, aut audiunt, aut vident; sed piratas cum catenis in litore stantes et tyrannos edicta scriben-

His temporibus vixere *Persius*, qui annos vix duodetriginta natus obiit nono imperii Neronis anno, et *Juvenalis*, qui octogenarius ab Hadriano in Ægyptum missus, et paulo post mortuus est. Ille, Volaterris in Etruria, nobili genere natus, opibusque magnis innutritus, postea Romæ disciplina usus est Palæmonis primum grammatici et Verginii Rufi rhetoris, ab anno autem ætatis decimo sexto Annæi Cornuti philosophi Stoici, cujus lateri adhæsit perpetuo. Fuit verecundiæ virginalis (si Suetonio vel auctori vitæ ejus fides habenda), mentis generosæ et ad severitatem pronioris, morum sanctissimorum, uni æquus virtuti et constans vitiorum hostis, sed felicior forte Zenonis et Chrysippi, quam Lucilii et Horatii imitator. Satiræ ejus non, ut Horatianæ, mox in vulgus edebantur, sed singulæ amicis tantum, quibus eadem erat mens et de quorum fide ipsi constabat, Cornuto, Basso, Plotio Macrino et aliis, innotescebant et omnes eo demum

tes, quibus imperent filiis, ut patrum suorum capita præcidant; sed responsa in pestilentia data, ut virgines tres aut plures immolentur; sed mellitos verborum globulos et omnia dicta factaque quasi papavere et sesamo sparsa. Qui inter hæc nutriuntur, non magis sapere possunt, quam bene olere, qui in culina habitant. Pace vestra liceat dixisse : primi omnium eloquentiam perdidistis. Levibus enim atque inanibus sonis ludibria quædam excitando effecistis, ut corpus orationis enervaretur et caderet. Nondum juvenes declamationibus conterebantur, quum Sophocles aut Euripides invenerunt verba, quibus deberent loqui. Nondum umbraticus doctor ingenia deleverat, quum Pindarus novemque Lyrici Homericis versibus canere timuerunt. Et ne poetas quidem ad testimonium citem, certe neque Platona, neque Demosthenem ad hoc genus exercitationis accessisse video. Grandis et, ut ita dicam, pudica oratio non est maculosa nec turgida, sed naturali pulchritudine exsurgit. Nuper ventosa isthæc et enormis loquacitas Athenas ex Asia commigravit, animosque juvenum ad magna surgentes veluti pestilenti quodam sidere afflavit, simulque corrupta eloquentiæ regula stetit et obmutuit. Quis postea ad summam Thucydidis, quis Hyperidis ad famam processit? Ac ne carmen quidem sani coloris enituit; sed omnia quasi eodem cibo pasta non potuerunt usque ad senectutem canescere, etc. »

mortuo divulgabantur, quam ob causam libere poterat scribere, quidquid indignatio dictaret. Juvenalis nulli, ut Horatius, philosophorum sectæ fuit addictus[1], nec inferior ingenio ac superior forsan exquisita rerum cognitione atque doctrina, sed affectator nonnumquam artis, quam diu diligenterque in rhetorum scholis exercuerat. Idem non funesta tantum reipublicæ tempora vidit, sed felicia quoque, quibus ea ex diuturno quasi morbo a Vespasiano primum ac Tito, et deinde a Nerva, Trajano et Hadriano, remediis interdum vehementioribus recreata, omnibus fere partibus convaluit : unde satiras quoque, quas juvenis scripserat et diu ne modico quidem auditorio committere ausus erat, tum in vulgus tuto edere, tum politius limare potuit.

Ex his, quæ de temporibus, ingeniis, studiis moribusque Horatii, Persii et Juvenalis diximus, facile vel colligi vel explicari possunt virtutes et vitia eorum tam communia, quam cuivis propria, quæ nunc eadem brevitate recensebimus.

Triumviris quidem illis consilium commune erat cum omnibus poetis satiricis : et docere et delectare moresque hominum tanquam in picta tabula adumbrare, sed varia ratione, pro temporum ingeniorumque diversitate, conabantur. Nam Augusti ætate, rebus adhuc lætis et imperio legibusque vigentibus, ridere licebat; Neronis vero et Domitiani temporibus, quum omnia pessum irent, vitiaque in præcipiti jam starent et acribus aut violentis egerent remediis (vid. Juvenal. I, 45 seq. 63 seq. 73 seq. 147 seq. II, 25 seq. 121 seq. 162 seq. III, 150 seq.), risu parum proficiebatur, et probi sapientisque hominis mens angebatur dolore, qui diu alteque pressus ad indignationem et iram exardescebat. Præterea Horatii ingenium

1. Vid. Horat. Epist. I, 1, 13 sq. et Juvenal. XIII, 121 sq.

elegantissimorum principumque virorum familiaritate subactum et ad hilaritatem propensius erat, quam ad gravitatem. Idem quoque censoriam forte acerbitatem ipse reformidabat; et vario rerum usu intimaque naturæ humanæ cognitione imbutus didicerat, tum erroribus et animi vel levitate vel infirmitate plura, quam ejus pravitate, gigni vitia, tum facilia remedia sæpe salubriora esse et efficaciora vehementibus, tum satius esse, tempori servire et mores hominum humaniter patienterque ferre, quam nimis acrem eorum animadversorem judicemque severum esse, et sic potius se stultis, quam hos aliis deridendos propinare (conf. Sat. I, 10, 7 — 15). Quæ quum ita essent, Horatius non tam vitia notat, quæ publice adhuc coercebantur, quam stultitiam et errores humanos, qui pœnis non tenentur. Neque id potissimum agit, ut hominibus hujus ævi vel ruborem eliciat, vel vitæ officiorumque præcepta subtiliter graviterve inculcet, quam ut eos scita, venusta ac jucunda ratione convincat, ipsos non tales esse, quales videri cupiant, neque iis, qui sapiant, imponere posse vel fraudem facere [1]. Hinc etiam

1. « Vitia immania notare suum non erat, sed philosophiam illam, quam non doctorum formulis, sed multa rerum experientia sibi comparaverat, et quæ in omnibus vitæ partibus plus utilitatis habet, quam omnium philosophorum scrinia, cum aliis voluit communicare, præceptaque sua in hominum animos cum eorum voluptate inducere: voluit docere, instruere, errores, quibus animi opprimerentur, evellere, opiniones hominum pravas et temere acceptas tollere, aut emendare rationem, qua optime, secure, tranquille, honeste et cum voluptate vivere possis, ostendere, et hæc omnia ita, ut nulla magistri severitate, nullo philosophi supercilio, nulla docti cujusdam ostentatione offenderetis, sed ut amico ludenti, aut potius veritati ipsi, habitu cultuque simplici et amœno, multa cum urbanitate loquenti, operam dare tibi videreris. Ex hoc consilio et ratione, qua id persequutus sit, si eum judicaveris, palmam sane omnibus, qui in hoc genere eum sequuti sunt, præripiet, non quidem Juvenali, qui aliud et plane diversum consilium alia et diversa ratione persequutus est. Non magis verum illud videtur: Horatianam rationem, ri-

stultos fere et ineptos homines, velut aliud agens, ridet, malos vero pugione magis pungit aut stringit, quam alte vulnerat. Quin, ut majorem sibi justioremque alios carpendi libertatem vindicet, sibi ipse non parcit, nec melior, quam est, videri cupit [1]. — Persius errores ad Stoicorum placita, vitiaque ad rigidæ virtutis regulas exigit, et vel juveniliter ac generose ardet, vel morose atram bilem effundit. — Juvenalis, sive graviter præcipit virtutem et severi monitoris partes agit, sive, ira et indignatione inflammatus, in ipsa plerumque vitia invehitur, vel scutica cædens, vel tollens cachinnum [2]. Acrimoniam vero Archilochiam sæpe temperat risu et gravitatem comitate condit. Virus quoque acerbitatis in primis potissimum satiris evomit; in iis, quæ viri ætate provectioris maturiorisque ingenii fetus videri possunt, iræ æstus fere deferbuit et frigori cessit declamationis: in his etiam rarius singuli, et dente minus maledico acutoque carpuntur, ut in Horatii epistolis.

Persius præcepta ac tela tantum non omnia ex Porticu petit et schola: Horatius et Juvenalis ex philosophia vera et populari, quæ ex multa rerum experientia atque in-

dendo scilicet errores corrigendi, meliorem esse, quam qua Juvenalis usus sit, ut in invidiam vitia adduceret indignationemque moveret; sed Horatium, quod sibi proposuerit, non tam bene adsequutum esse, quam Juvenalem, qui feliciori successu in suo genere usus sit; illum nempe raro risum movere potuisse, hunc semper indignationem excitasse. » Ita optime judicat vir cl. Kœnig de Satira Romana p. 62.

1. Vid. Wieland ad Horat. Sat. II, 3, et 7.

2. « Quum inter eos homines viveret, quorum animi vitiorum diuturnitate callum jam duxerant ingeniaque obtusa erant luxuria, urbanitate et facetiis, quæ Horatium nobilitaverant, jocisque subtilibus et acutis vix poterat uti. Accedit, quod is, quem indignatio, ex sceleribus, improbitate et turpitudine orta, instigat, nihil potest suspenso brachio notare, nihil facete illudere; in summam invidiam contra adducit, quæ vituperanda sunt, et risus lenis et jucundus, quo ab animi permotione liber usus fuisset, nunc in cachinnum abit. » Kœnig l. l. p. 87.

teriore generis ingeniique humani cognitione hausta est, et ad præsentem vel animi sensum, vel rerum conditionem, vel indolem argumenti se et judicia sua componit. Ille cæco vitæ ac disciplinæ Stoicorum amore captus non videt, quid in hac vel illa displicere possit: his philosophorum, præcipue Stoicorum Cynicorumque, mores, habitus, paradoxa, argutiæ, arrogantia, dissimulatio aliaque vitia largam ridendi irascendique materiam præbent[1]. Illius argumentatio est subtilis et acuta, nec alte in animum descendens, horum simplex, ad uniuscujusque captum usumque accommodata, ab ipsa veritate suggesta, menti penitus infixa hærens et eam suaviter afficiens. Horatii præterea philosophia est illa vitæ, quæ docet, potentiam, divitias, externum splendorem et vulgaria hominum studia contemnere ac deridere, nil admirari, h. e. valde vel metuere vel cupere, tranquillitatem mentis, otium et mediocritatem securam hominis, non in aula, sed in recessu libere ac sibi viventis, summorum bonorum loco putare, rebus suis, etiam exiguis, contentum esse, præsentibus læte frui, non sollicitum de futuris, vel externis obnoxium esse, neque extra, sed intra se veram quærere felicitatem, fortunam a Deo petere et a se ipso sumere sapientiam animique æquitatem.

Horatius, ut lectores et suavius afficeret et vehementius, multis satiris vel epistolarum vel dramatici carminis formam induit. Utramque rationem sequuti sunt Persius et Juvenalis. Sed, ut taceam, ab his unam tantum alteramque sententiam et argumenti partem, nunquam vero illud totum in drama et actionem converti, Persii dialogus poeticæ similior est figuræ, quam, ut Horatianus, vividæ rerum repræsentationi, quæ magna sententiarum

1. Vid. Juven. Sat. II; Wieland ad Horat. Sat. I, 3; et Manso, loco laud. p. 469 sq.

varietate, gratia ac novitate, ingenioso personarum delectu et insigni earum cogitandi loquendique proprietate mirifice delectat[1]. Juvenalis sæpius docentis aut declamantis partes sustinet, quam alios colloquentes inducit: hujus tamen artis Horatianæ defectum compensat vividis rerum imaginibus, sententiarum veritate et gravitate dictionisque proprietate. — Ab iisdem poetis, sed a Persio et Juvenale sæpius, quam ab Horatio, induci solent adversarii, ne ficto quidem nomine insigniti. Quæ ars non est, quod nobis displiceat: nam pulchrior est imago et efficacior, quæ personis animatur. Enimvero multa occurrunt loca in quibus non satis manifestus est dialogus, et in dubio positum, utrum verba, quæ leguntur, sint adversarii aliquid opponentis, an poetæ ironice loquentis.

Quod ad epistolas attinet, Horatianæ maxime excellunt urbanitate, argumenti præstantia et eximia arte, qua easdem sæpe res varia ratione tractat, lectores diversis excursibus observationibusque vel delectat vel docet, utile dulci miscens, sensus suos sive tectius expromit sive liberius, et eos, ad quos scribit, laudat vel carpit, et hortatur vel dehortatur. Idem Horatius satiras epistolasque notissimis plerumque et clarissimis inscripsit viris, Persius et Juvenalis ignotis fere et obscuris. Illud plurimum facit ad fidem et auctoritatem augendam: hoc vero temporum diversitati tribuendum est, neque poetis vitio dandum. Multi præterea homines, nominibus tantum noti, eorumque stultitia aut turpitudo a triumviris illis uno fere alteroque verbo, a Juvenale vero passim copiosius notantur. Hac ratione nonnunquam vis satirica minuitur; illa tenebræ multis obducuntur locis, ad quorum sententiam penitus perspiciendam plurimum refert

1. Wieland ad Horat. Sat. II, 2, 3, 4 et 5.

bene nosse homines ac res de quibus agitur. Obscuritas tamen hæc, ex ignorantia multarum rerum, ad quas latenter alluditur, profecta, omnibus poetis satiricis est communis, neque vitio iis vertenda, quippe qui suis potissimum popularibus scribunt, quibus multa sunt notissima, quæ nos ignoramus [1]. — Cæterum in Satiris et Epistolis Horatii, non levis conspicitur et formæ, et argumenti, et orationis, et ipsius denique metri disparilitas, de qua *Morgenstern* V. C. in singulari libello, ann. 1803, edito, docte disseruit, et Ill. *Eichstadius*, in Epistola ad Astium, hujus comment. de Platonis Phædro (Ien. 1801), adnexa pag. 168 seq. præclare ita disputat: «Quod ad *formam* attinet, epistola quum certæ personæ, aut veræ, aut fictæ, ab auctore scribatur; necesse est, omnem orationem componi conformarique non modo ad hujus, qui scripsit, sed in primis ad illius, cui scripta est, animum, mores, tempora, externam conditionem; earumque rerum omnium tantam cerni in toto carmine vim, ut non magis argumenti, quam personarum ratio habeatur. Horum nihil quidquam in satiris apparet: quæ etiam si

1. « Jam e satiricis nostratibus, qui Romanos passim sequuti sunt, quique, quum de rebus loquantur quotidiano usu tritis, faciliores intellectu nobis sint necesse est, conjectura possumus assequi, quam multa in Horatio non solum, verum etiam in reliquis occurrant, quæ, etsi animum nostrum in nullam partem nunc quidem moveant, in popularium mentes magna vi egerint, siquidem in ipsis verbis, quæ adhibentur, in eorum flexu et collocatione aliqua vis latere possit, quæ, quum rerum, ad quas tecte allusum sit, ignari fuerint, vel veterum Grammaticorum sagacitatem, nedum acumen recentiorum interpretum, qui sæpe tamen plus viderunt quam veteres, penitus præterierit. Quid? quod in nonnullis locis plus sensû, non illo quidem satis explicato, percipere nobis videmur, quam verbis declarare possumus. Quibus tamen rebus indagandis, si in antiquis monimentis nihil sit, quo nitaris, non magnopere indulgendum censeo, ne in ineptiarum et somniorum campum, in omnes partes late patentem, phantasiæ impetu deducaris, unde exitus haud est in facili. » Kœnig de Satira Romana pag. 95.

cujusdam nomini inscribantur, tamen inscriptio non nisi pro dedicatione est, quæ argumenti tractationem nihil afficiat. Sed quæ certam et constantem habet formam Epistola, eadem in *argumento* varia reperitur et inconstantissima. Quippe hujus copia et varietas nullis terminatur limitibus, nisi qui ab ipsa natura poeseos constituti sunt. Quæcumque enim materiem præbent vulgaribus epistolis, ea, nisi poeticam expositionem prorsus respuant cultaque ornamentis nitescere nequeant, Epistolarum poeticarum scriptori patent. Hæc reduci omnes commode possunt ad tres potissimum species; quarum una est Epistolarum didacticarum, altera elegiacarum, tertia jocularium. Ad illam didacticarum speciem pertinent morales seu ethicæ, quales Horatius composuit. Earum omnino est instruere homines et docere, præcipere virtutem, ad eamque amplectendam et colendam excitare. His moralibus Epistolis (nam reliquæ nihil ad h. l.) quamquam propinquæ sunt Satiræ, propinquiores apud Horatium, qui et urbanissime vitia carpsit, et in virtutum commendatione cum illorum levi vituperio socianda mirabile temperamentum abhibuit: tamen Satirarum omnis vis non docendo et monendo, verum ridendo et increpando expromitur, si quidem in eo versantur, ut vitiorum vel graviorum turpitudinem, vel leviorum ridiculam stultitiam notent, redarguant, castigent. Unde duplex earum genus enascitur: unum hilarium ac festivarum, quas Venusini vatis elegantia lusit; alterum tristium et austerarum, quibus Juvenalis Persiique ira se armavit. Denique quemadmodum materies horum carminum diversa est, ita et *orationis* color ratioque *metrorum*. In Epistolis enim gravitas elucet Philosophi, qualis decebat Horatium, et virum, et veræ sapientiæ studiosum: in Satiris levitas apparet Comici, qualis a poeta juvene exspe-

ctabatur, juveniliter exsultante, poculisque et puellis adhuc idoneo. In illis metrorum adstrictior lex; in his numerorum solutissima negligentia. In Epistolis non Socraticæ solum philosophiæ sparsa sunt semina, sed illa quoque Socratis, certe discipulorum ejus, lepida quædam cum urbanitate de rebus ad mores et officia spectantibus disputandi ratio adumbrata agnoscitur. Ad Satiras contra referri debent, quæ vel de Comœdiæ veteris dicacitate, ab Horatio expressa, vel de mimico morum imitandorum artificio, vel de felici Lucilianorum lusuum emendatione passim, sed promiscue disputavit Astius in libro supra laudato. » Ejusdem libri auctor bene docet, cap. 3, vestigia Platonicæ imitationis præcipue reperiri in Horatii Epist. ad Pisones (de Arte poetica), et in hac, omnia eo redire, ut falsa, quæ tunc percrebruerint, de poesi judicia (ut de Arte rhetorica in Platonis Phædro), modo jocando, modo serio docendo refellantur, et perstringatur tum poetæ, sine ingenio et doctrina poesin attingentes, tum vani eorum laudatores; cætera vero his inserta non nisi episodia esse.

Præter dramaticæ compositionis artificium etiam aliud, idque non minus ingeniosum gratumque, Horatio pæne proprium est in rerum inventione ac dispositione, etsi magis negligentia, quam ars esse videatur. Plerumque enim idonea occasione, a tempore aliquo, vel loco, vel personis, vel cura et cogitatione, in qua versatur, suppeditata, et dissimulata ridendi castigandique voluntate, obliquis orationibus et velut longe aliud agens, errores ac vitia carpit, res varias et sponte subministratas persequitur, missilia inopinato spargit, imprudentes adoritur ex insidiis, subitos obliquosque dat ictus, amœna loca negligenter ac libero cursu pervagatur, sæpe de via declinat, quam modo inierat, et vel certum finem consi-

liumque haud sequi videtur, vel ad metam, si qua ei est, longis ambagibus flexibusque diversis lente contendit; ita ut plurimæ ejus satiræ imaginem exhibeant ambulationis, in qua quælibet loca devia, ὡς ἐν παρόδῳ, oculis perlustrantur et omnis via est recta. Persius et Juvenalis nonnumquam quidem Horatium etiam hac in re imitati sunt, sed plerumque more philosophorum rhetorumque unam tantum thesin explicant, et recto itinere dirigunt cursum, quo contendunt, raro a via aberrantes: negligentia enim Horatiana, quæ in jocoso dicendi genere mirifice nos delectat, a graviore ac sublimi oratione aliena est. Illius satiræ sunt poeticæ pertractationes propositionis philosophicæ, hujus vero thematis rhetorici; doctæ quidem et interdum ingeniosæ, quæ tamen magis se commendant arte, qua singula pertractantur, quam poetica inventione, qua prorsus carent illæ, in quibus varia tantum unius hominum generis vitia recensentur, v. c. mulierum in sexta satira Juvenalis.

In sententiarum nexu rerumque ordine et collocatione Horatius non modo negligentiam, eamque gratissimam, ostendit, sed summam quoque artem, quam tamen sedulo dissimulat. Tam naturali enim arctoque vinculo omnia constricta, tam mirifice alia ex aliis apta et nexa sunt, tanta facilitate oratio currit ac fluit, tam scite extrema cum primis, et partes cum toto cohærent, ut sine insigni totius ordinis perturbatione vix quidquam vel transponi possit vel omitti, utque dubius sis, utrum singula casu ac sponte sint oblata, vel nata repente et sine studio ac cura ceris mandata, an diligenter ante excussa et quæsita vel præmeditata. Persii contra oratio, passim nos abrupto dicendi genere, audacibus et insolitis transitionibus inversionibusque duris offendit, et sæpe ad aliena delabitur. Juvenalis singulas quidem partes magis declama-

torio more ac ordine, accurate nonnunquam (v. c. in Sat. X) prius designato, copulavit et alias aliis subjunxit, quam nexu artificioso inter se implicuit, sed easdem summa cum arte velut in tabula depinxit et exornavit.

Descriptiones, similitudines et exempla Horatii ad summam fere rei spectant et delibant potiora, primis tantum ac præcipuis, ut in ichnographia, lineis ductis. Eadem aptissima sunt, et non vulgares modo res ac notiones, sed subtiles quoque et philosophicas, egregie illustrant, oculis sensibusque subjiciunt et confirmant. Persius in iis sæpe vel sectatur anxie minuta, vel aliena immiscet, et magis in partibus exornandis amplificandisque, quam summa rei declaranda, occupatus est. Juvenalis errorum scelerumque imagines ardentissimis plerumque pinguissimisque coloribus adumbrat, et in his eximiam artem gravitatemque, in descriptionibus insignem rerum cognitionem, varietatem ingeniique aciem, in exemplorum delectu judicium subtile, in eorum copia exquisitam doctrinam, sed in figuris exornandis nimiam interdum curam ostendit : ita ad vivum resecat omnia, etiam turpissima, et nihil prætermittit, quod vel ad vividum odium, vel ad cachinnum commovendum valere queat[1].

Horatii genus dicendi vulgare quidem et tenue (*Musa pedestris* et *sermones per humum repentes* vocantur, Sat. II, 6, 17; et Epist. II, 1, 250), sed tersum, naturale, ele-

1. « Multæ occurrunt descriptiones apud Juvenalem ingeniosæ et varii generis, Sat. I, 117 seq. Sat. III, 69 seq. et 86 seq. Sat. V, 52 seq. 100 seq. 132 seq. Sat. VI, pr. IX, 12 seq. et 40 seq. Sat. XIII, 209 seq. Sat. XIV, 288 seq. multa ad indignationem movendam comparata; Sat. I, 37 seq. 158 seq. Sat. II, 126 seq. Sat. III, 67 seq. 154 seq. 184 seq. Sat. V, 16 seq. 39 seq. Quid gravius illis ! Sat. I, 47 seq. 99 seq. Sat. III, 116 sq. Quid contemptui accommodatius, Sat. V, 170 seq. Sat. XIII, 150 seq. » Kœnig loc. laud. pag. 92.

gans, purum, rebus ad vitæ communis usum et consuetudinem pertinentibus aptissimum, fluens æquabiliter, præ se ferens felicissimam facilitatem, et inexplicabili quadam venustate, gratia et simplicitate conspicuum: Persii grande, tropis refertum, artificiosum, vehemens, minutum, aridum, concisum, durum nonnunquam et sæpe obscurum: Juvenalis doctum, acre, copiosum, pro rerum diversitate varium, et hinc modo facetum, modo grave, modo sublime, modo remissius, at nunquam humile [1]. Horatii versus fluunt illaborati et sine arte ac

1. Kœnig loc. l. pag. 96. « In Persio, inquit, et Juvenale, quo longius a vulgari consuetudine dicendi recedunt, eo magis verborum exquisita ratio et delectus in oculos incurrit. Et ille quidem iræ et indignationi tantum tribuit, ut sæpe, quum gravissima quæque aucuparetur, ad tropos delatus sit, tam longe petitos, ut rationem eorum ipse animo magis placido vix probasset; adeoque huic rei indulsit, ut vel pudoris sui, quem alias summa cum cura præstare studuit, modo vehementiam sensui suo ardenti consentaneam assequeretur, rationem habuerit nullam. Non tam impotens sui Juvenalis est, quamvis impetu feratur non minori, et sermonis ingenio raro vim infert, quamvis ipsis nominibus, quæ rebus imponit, aut in summam invidiam eas rapit, aut subsannationi acerrimæ exponit. Ac, quod rerum cognitionem summam, doctrinam non vulgarem et studium in expoliendis suis satiris insumptum declarat, in ipsa verborum ubertate, quæ maxima est, nullum fere otiosum deprehendes, nullum non propria et singulari vi præditum, qua in illorum coacervatione vel plenior et significantior rei notio exprimitur, vel fortior et efficacior designatur. » Idem p. 88: « Faciliori negotio artem Horatius, ut fecit, poterat dissimulare, quum rerum natura, in quibus versabatur, sermonem quotidianum non solum admitteret, verum etiam postularet. Altius insurgenti Juvenali vitiorum immanitas id non permisit: cothurno erat ei, ut in tragœdiis, incedendum, sermoque gravior ab epicis mutuandus, quo plerumque etiam apte, raro ambitiose et putide usus est. Quin ipsa loquendi ratio sublimis et verborum pompa, in rebus abjectis et insigniter turpibus adhibita, miram vim habet et efficacem ad animum lectoris vel ad odium invidiamque torquendum, vel ad eumdem ipsa rerum vehementer inter se discrepantium copulatione risu concutiendum. Ad epicum sermonem pertinent locorum et temporum designationes, Sat. III, 25, 118, 299 seq. IV, 40, 60; V, 23 seq. VI, 83; X, 168; XIII, 40 seq. XIV, 240 seq. notiones rerum fortiter expressæ, ut sceleris con-

studio scripti videntur, Persii vero et Juvenalis majore cura expoliti, numerosiores et concinniores sunt.

Horatio propria est venusta urbanitas et faceta illusio, Persio gravitas Stoica, Juvenali austeritas et sarcasmus Archilochius. Persius, qui et natura et institutione totus ad severitatem factus erat, non ridet, sed vel conviciatur, vel inscitos frigidosque immiscet jocos, etsi se profitetur *cachinnonem petulanti splene* (Sat. I, 12), et operam dedisse videtur, ut styli Luciliani nasum, vim et inconditam asperitatem Horatiana venustate et elegantia temperaret. Juvenalis sales sæpe non minus urbani sunt et faceti, quam Horatiani, et nonnunquam per totam orationem fusi ac sparsi (v. c. in Sat. IV, et dimidia Sat. XII), plerumque vero vel amari et venenati, vel ad cachinnum, non risum, movendum apti, vel obscœni. Lepidi ejus joci spectant præcipue ad vanitatem vel religionis vulgariumque de natura Deorum sententiarum, vel fabularum poeticarum, quarum deridendarum nullam prætermittit occasionem. Cf. Sat. I, 81 seq. II, 31, 130 seq. IV, 34 seq. VI, 59; IX, 63 seq. X, 246, 314; XII, 23; XIII, 34—52, 76 seq. 112 seq. XIV, 261.

Horatii et Juvenalis satiræ redolent et spirant illam ingenii ubertatem et fecunditatem, quæ vel ipsa novi quid parit, et intentata ab aliis tentat, vel inventa aliorum sua facit, ingeniosis non minus ingeniose utens, rudia autem et inchoata poliens, ornans, perficiens. Persius utraque

scii III, 49; simulatoris II, 3; timiditatis XIV, 199; pubertatis XIV, 216; indignationis XIV, 325; sterilitatis V, 138; contemptus I, 131; tironis V, 153; calumniantis III, 122; cameræ sub tegulis III, 201 seq. somniantium III, 238; properantis V, 19 seq. pecuniæ XIII, 61; nobilitatis XIII, 241; cæcitatis XIII, 249; res in majus elatæ I, 12; III, 308 seq. IX, 54 seq. Nonnunquam ex illa ipsa epica ratione ridiculum nascitur, III, 6 seq. ubi ad pericula Urbis poetæ recitantes adjunguntur. »

prorsus fere destitutus erat : permulta Horatio accepta refert; et, si Cornuti aliorumque Stoicorum scripta ad ætatem nostram pervenissent, plura haud dubie vestigia ab eo pressa, deprehenderemus.

Quod ad sententias attinet, Horatius facete, prudenter, callide et amice suadet; Persius argute philosophatur, rerum pondera sæpe minutissimis sententiis frangens; Juvenalis vel graviter dissuadet, vel virus acerbitatis suæ evomit, at nonnunquam inanem artis doctrinæque ostentandæ cupiditatem prodit, et friget, nimis sectans orationis luxuriem (v. c. Sat. IX, 102 seq. X, 218 seq. XI, 137 seq. XIII, 23 seq. 34 seq. 40 seq. 62, seq. al.) et rhetorum argutias: quæ tamen acuta dicta valde admirabatur Scaliger.

Sententiis salubribus, ad vitam bene, honeste, feliciter atque jucunde agendam et ad amorem virtutis vitiorumque odium gignendum pertinentibus, refertæ sunt tum poetarum illorum satiræ, tum Horatii potissimum epistolæ, maturioris ingenii fetus. Omnes istæ tum veritate, tum præstantia et utilitate quam maxime se commendant. Horatius tamen eas naturali quadam simplicitate; Persius rigore, acumine et subtilitate; Juvenalis gravitate orationis exprimere solet. Cæterum propter horum præcipue præceptorum multitudinem et præstantiam satiricorum poetarum lectionem utilissimam esse, vix est quod moneam. Ea profecto a poetis comprehensa versibus, multo magis et tenebunt delectabuntque lectorum animos, et diutius in memoria hærebunt, quam si ea ex ethico libro, vel tenuiter vel subtiliter scripto, perceperint, aut morum præceptorem ea docentem et explicantem audiverint. Dici autem vix potest, quantopere illis, memoriæ infixis et tempestive in eam revocatis, mens vel

curis confecta confirmetur, vel ira aliisque affectibus turbata contineatur.

Ex his, quæ supra de Horatii, Persii et Juvenalis satiris earumque virtutibus disputavimus, facile intelligitur, plurimum utilitatis ex earum lectione percipi posse, eamque non modo ad ingenium multiplici doctrina variarumque rerum cognitione excolendum, et mollius, suavius facetiusque reddendum, ad judicium acuendum, ad sensum veri, pulchri, venusti et honesti alendum, ad mentem admiratione ac voluptate perfundendam, ad mores tam Romanorum illius ævi, quam universe hominum penitus cognoscendos, ad venustam urbanitatem, naturalem simplicitatem, gravitatem aliasque et orationis et vitæ artes discendas, ad diversam sermonis indolem percipiendam, sed etiam ad mores animosque fingendos, ad veram utilemque philosophiam vitæ, hujusque bene, suaviter, tranquille, secure transigendæ artem imbibendam, et ad amorem virtutum odiumque vitiorum, argumentis exemplisque propositis, inspirandum et concipiendum, maximam omnino vim habere. Satiræ horum poetarum, et Horatii potissimum epistolæ, pulcherrimis locis, sententiis, imaginibus et descriptionibus, præstantissimis philosophiæ, morum ac vitæ præceptis, diversis facetiarum et sermonis generibus, multarum rerum, scitu non minus gratarum quam utilium, copia, variisque orationis et poeseos artibus in inveniendis, disponendis, connectendis et ornandis rebus, in sententiarum ac verborum delectu, abundant; et dignæ omnino sunt, quæ ab unoquoque, qui non modo sapere plus quam plebs, sed honeste etiam et jucunde vivere cupit, diligenter ac studiose per totam vitam legantur. Quidquid autem vitii vel ætas vel auctorum institutio iis adspersit, facile id poterit vitari non

tantum a viris, quibus subactum est judicium et pectus sapientia munitum, sed etiam a juvenibus, modo non obtuso sint ingenio, aut idonei præceptoris ope et consiliis destituti. Levia quoque illa vitia poetæ satirici tot tantisque redemerunt virtutibus et tanto plura habent, quæ utilia et præclara, quam quæ vituperanda vel ignoscenda saltem videri possint, ut plus et voluptatis et fructus ex illorum, quam ex aliorum scriptorum, tam veterum, quam recentiorum, lectione ad nos redundet. Quantopere itaque eos Romanis, illo ævo viventibus, et placuisse, et profuisse putabimus? Nam satirici poetæ, qui mores describunt sæculi sui suorumque popularium et æqualium, horum quoque animos quam maxime percutiunt.

Quid vero? nonne nimium risus facetiarumque pretium est, si honestatis probitatisque impendio constant? Jam dudum enim audire mihi videor paulo rigidiores morum censores graviter obscœna illa, tam quam ea, quæ pudorem offendant et noceant morum castitati, damnantes; et Persium, qui ab iis, si quartam exceperis satiram, abstinuerit, Horatio propterea et Juvenali anteferentes. Verum enim vero salva res est, jamque multi causam famamque horum poetarum propugnarunt[1]; et in his nuper Cl. Kœnig (de Sat. Rom. pag. 96 seq.) cujus verba nunc mea facere, et aliorum observationibus infra in notis adjectis firmare liceat, ne horum scrinia compilasse videar. Hæc autem sunt, quæ ille disputavit:

« Ab instituto meo non videtur alienum, paucis ea attingere, quæ multos graves viros nimiumque in jocis

1. De obscœnis multorum scriptorum locis passim disseruit vir clarissimus *Bayle* in Dictionn. histor. crit. (vid. in ej. Ind. *Obscénités*) copiose vero, tom. IV, pag. 3007—3024. Edit. Rotterd. 1720. (tom. III, pag. 3159 seq. Edit. Rotterd. 1702) in oper. cui titulus, *Éclaircissement sur les obscénités*.

religiosos a Romanæ satiræ auctoribus legendis non tam solent deterrere, quam ad eos juventuti commendandos segniores reddere [1]; quæ contra interdum sola latinorum ipse causam dicat suam et se partim religione sua, partim moribus sæculi, quo vivebat, defendat; nobis, qui ejus interpretamur scripta, de eo quidem non adeo laborandum videtur. Neque tamen video, quid rerum cognitio turpium probo juveni virtutisque veræ amanti, detrimenti possit afferre, præsertim ab homine gentili, a veri Dei cultu alieno percipienda. Nam mala quidem nosse, nec tamen ea probare, usque adeo vitiosum aut reprehendendum non est, ut potius is demum nomen ac dignitatem hominis virtute præditi sustinere tuerique mihi posse videatur, qui cuncta mala atque illecebras eorum omnes cognorit, et nihilo tamen secius recte facta honestatemque totis viribus animoque toto complectatur, ejusque se pulchritudine delectet unice: « *Virtutis veræ custos rigidusque satelles.* » Ejusdem sententiæ fuit Janus Gebhardus, antiquior Propertii editor. Prætextatis verbis, inquit, non imbuendas aures juvenum esse dicunt et recte: sed an horum lepidissimorum poetarum genius tantum flagitii, tantum corruptelæ in lectorum animos admittat, nescio, et sane, Dei virtute dicam, non sensi. Utinam non obscœnioribus sæpius domi dictis teneriorum animi redurarentur et, quod neque pictum neque fictum in poematis, audiretur, unde puerorum os, oculi, aures fœdissime inquinantur moresque pessumdantur... Omnium historicorum atque

1. Hos ita refutavit Fr. Gottl. Barthius, in Præfat. ad Propert. pag. vj, seq. « Serio credimus, etiam adolescentibus lectione librorum paulo licentius scriptorum (a quibus eos frustra retinere conamini, o boni! nituntur enim in vetitum) interdicendum non esse. Ac primo quidem fateor, mihi quodlibet antiquitatis fragmentum, quod e communi literarum naufragio servatum et ad nostra tempora transmissum fuit, gratissimum omnique veneratione dignissimum videri. Id si sit ejusmodi, ut in rebus turpibus, quantum est, versetur, neque præterea quidquam efficiat aliud, quam pruritum libidinis ut excitet, adeoque juvenum animis certissimam per se pestem afferat, manum non verterim, si quis ejusmodi librum juvenibus eripiendum et quasi vi extorquendum clamet ac pertendat. Sed idem si liber in quibusdam modo locis juvenum bonis moribus officere posse videatur, præterea vero multa præclara, graviter, ornate, venusteque dicta contineat, quæ vel severissimi Catones legant, ne maxime et injurii talis in libri foremus auctorem, et juvenum rationibus pessime per nos consultum fuisse quilibet opinionis præconceptæ vinculo non constrictus judicaret..... Sed fac etiam juvenes ejusmodi loca obscœna legere, hæc non erit nostra culpa. Neque enim aut ipsi illa scripsimus, aut commentariorum luce collustravimus. Poeta igitur

poetarum studium delicatulis et mollibus, quos philosophorum gravitas dignitasque oratorum nunquam pellexisset, ad animum suum impurum pascendum excitaverunt, obscœna ex nostro sensu et turpia.... Ut omittam, ad judicium de poeta aliquo ejusque virtutibus ferendum, neque mores ejus, neque argumenti, quod tractaverit, rationem pertinere, non semper animo videtur obversatum, pleraque, a quibus cultior ætas abhorreat, rudiori aut omnino remotiori neque dictu neque factu turpia fuisse [1]; quumque turpia proprie vocentur, quæ

oratorum monimenta a tactu atque oculis juventutis proscribenda sunt, si credunt, quando vitiorum turpitudines suis verbis exsequuntur, talia in animos teneriores destillare ibidemque contagium allinere. Ubicumque dulce est, inquit Arbiter, ibi et acidum invenies. Idcirco provida boni natura sensum fugiendi noxia omnibus animantibus indidit; hominibus quoque discernendi rationem. Poetis nostris inspersa sunt quædam, quæ pravis mentibus adhærescant, generosos præterlabantur. Confirmatus ad honesta animus verbum lasciviusculum facile transmittit..... Illa nunc ita toleranda sunt, ut bona confinio malorum discernamus; ita habenda et tractanda, ut nosmet innocentia tutemur. Præclare quoque nostram in rem Miltonus in *Paradise lost*, V, 117 sq. « *Evil into the mind of God or Man May come and go so unapprov'd and leave No spot or blame behind.* » Conf. Heynius in Præfat. ad Tibullum, inpr. § 2 et 3, edit. pr. ubi ostendit, quale partim pretium hujusmodi poetis, qui certe non sint lasciviores ac lubriciores *Gresset*, *Grécourt*, *Chaulieu*, *La Fare*, gallicis poetis (ne quid de vernaculis nostris dicam), statuendum sit, partim vero etiam qui fructus ex iisdem legendis percipi possit. » Cum his comparanda, quæ Rigaltius disputavit in Diss. de Sat. Juvenalis.

1. *Jani*, de moribus Horatii, in edit. hujus poetæ t. I, p. 103, edit. pr. « Si cogitemus, inquit, quam dissoluta fuerit Horatianæ ætatis licentia; quam prorsus honestus et a vitii crimine liber fuerit amor peregrinarum et libertinarum; quam parum, certe ante legem Juliam latam, ipse puerorum amor sceleris habuerit; denique, quam multæ et notiones et loquendi formæ eo tempore dignitatem et honestatem habuerint, quas postea politior usus, ut fit, respuit, et inter illiberales retulit: hæc si cogitemus, jam multum ex illo Horatii vituperio perire sentiamus. Loca et carmina Horatii, quæ nos hodie offendunt, eo tempore non ita offendebant; licet, quod nos hodie in verbis castiores sumus ac delicatiores, non sequatur, ut ideo et mores hodierni

honestati contraria fiant, obscœna vero, quæ nauseam moveant, ad honestatis et decoris vim et significationem, quam singulæ ætates constitutam haberent, et ad politum sensuum judicium humanitatisque cultum, quo vel destituti essent homines, vel excellerent, omnem de hac re disputationem esse referendam. Obscœnitatis enim et dedecoris vis et potestas hominibus, in agris silvisque errantibus, nulla fere fuit; ea tantum, quæ palatum, oculos, nares male haberent, removebantur e conspectu. Congregatis vero hominibus et in societates collectis matrimonioque constituto, verecundia tandem nata est et pudor, quo ab eorum, quæ remotis arbitris fierent, mentione vel abstinerent, vel vocabulis ea, a similitudine aliqua petitis, et circumlocutione quadam indicarent. Qua in re autem antiquior ætas fastidii tam delicati non erat, id quod ex multis verbis et dictionibus apud Homerum notum est, quibus ad amorem, familiaritatem et consuetudinem utriusque sexus, nuptias et furtiva gaudia designanda usus est. Quæ deinde verba a tragicis et lyricis, quasi auctoris præstantia obscœnitatem amisissent, dignitatemque aliquam vetustate essent nacta, magnam partem sine sensus exquisitioris et politioris offensione adhibita in vulgari quoque sermonis consuetudine retinebantur. Sed relictis aliis, ad ea veniamus, quæ com-

castiores sint. Accedit, quod dare possumus, Horatium, hominem hilarem et suavem, præsertim in illa sæculi sui indole, ab amore non immunem fuisse, ejus philosophiam morum hac parte laxiorem fuisse, eum arsisse subinde libertina aliqua aut peregrina puella; neque tamen ideo desinet esse is vir magnus, bonus et honestus. Nam nunquam amavit matronas aut ingenuas; nunquam, quod præclare Lessingius docuit, pueros amavit, et sic leges Romanas *illasque* naturæ nunquam violavit (errat Lessing. Ed.); potius graviter subinde in adulteria proprie dicta incestosque amores invehitur. Carmina etiam illius amatoria haud dubie sæpe lusus poetici, ad hilaritatem facti, sæpe et e Græco poeta expressa sunt. »

munia fuerunt Græcorum et Romanorum, unde multæ res et dictiones, quas turpes et obscœnas nunc vocamus, in utrorumque factis et dictis, nisi honestæ ac laudabiles essent, tamen sine reprehensione et fierent, et dicerentur. Primum ipsa mythorum et sacrorum ratio, antiquissimis temporibus orta et constituta, multis, ut nunc quidem, lascivis et obscœnis, quæ religionis auctoritas quasi sanxerat, mentes et aures castissimas adsuefecit. Deinde Græcis et Romanis vel severioribus, quum vestimenta nullam fere corporis partem semper celarent, et in exercitationibus gymnicis omnia sæpe deponerentur, feminæque ex gynæceis in virorum consuetudinem et cœtum raro venirent, ut pudori ipsarum fuisset consulendum; multa manserunt honesta et sine honore præfando dicenda, quæ, vestimentorum immutata ratione et verecundia, in sequiorem sexum, qui nunc non minimam vitæ socialis partem constituit, ab ingenue et liberaliter institutis non usurpantur. Porro, quod caput mihi videtur, quum mores civium disciplina publica, majorum institutis et legibus maxime formarentur, iis autem legibus cives tantum tenerentur; multa, quæ turpia fuissent in cives commissa, in peregrinos concessa erant; de quibus igitur libere et aperte loqui nemo verebatur, præsertim in elegantiorum et delicatulorum circulis. Honestatis quidem, decoris et pudoris vi magis exculta, ii, qui gravitati et dignitati studerent, a multis quidem dictis sibi temperarunt, quæ multitudinis levitati et petulantiæ semper probabantur, ut Periclis tempore Aristophanis joci impuri Atheniensibus, quibus honestatis præcepta Socrates tradiderat, quosque pulchri et decoris sensu Phidias imbuerat. Omnino autem inter liberales jocos lasciva quoque et ea habebantur, quorum mentio ingenue instituto nunc ruborem offunderet, quanquam a philoso-

phorum disputationibus, historicorum gravitate et usu forensi aliena, poetis tamen in primis concessa; eaque ex illis sublata velle, aut vitio illis dare, absurdissimi fastidii arbitror. Quod si igitur Ovidio, Catullo, Martiali reliquisque poetis ea venia danda est ab omnibus, qui in legendis priscorum monimentis mente et cogitatione eorum temporum, quibus quisque scripserit, rationem præsentem sibi fingere sciant, ut lascive interdum ludant parumque pudice loquantur; quanto majorem excusationem satirici habent, qui in rerum turpitudine exagitanda id, quod sibi proposuerunt, risu magis et joco, quam austeritate et severitate consequi queant. Omnia, quæ in Horatio obvia sunt, quæque obscœna et turpia nunc vocamus, ea cogitemus a vitæ elegantia lautiorum Romanorum nequaquam tunc abhorruisse, neque ingenuis et liberalibus viris indigna fuisse existimata; nec ad sanctioris disciplinæ præcepta, quæ et literæ sacræ et emendatior philosophia nobis inculcant, ea revocemus, quæ liberior vivendi ratio Romanorum, pudoris legibus non tam adstricta, tulerat. (Quapropter et ii, qui liberius vivendi genus poetis Romanorum exprobraverunt, inique egisse videntur, nec sapientius ii, qui, causa eorum suscepta, ex scriptis judicium de moribus alicujus faciendum non esse, perhibuerunt. Quæ enim ad honestatis rationem, tunc usu receptam et consuetudine, relata bono viro et liberali indigna non erant, eorum exprobratio injusta est et inepta defensio.) Juvenalis rerum turpitudinem verborum obscœnitate adeo de industria persequi videtur, ut facile appareat, id egisse poetam, ut ab illis deterrimis libidinum generibus lectores absterreret, sceleratos et abominandos homines in invidiam adduceret, gravissimamque infamiæ notam iis inureret. Huic consilio quoque aptissimum fuit, si quid judico, illud nauseæ

movendæ studium, quod in nonnullis locis elucere videtur, quanquam in literis et artibus elegantioribus huic studio aqua et igni interdictum a viris doctissimis video. Cæterum e scholis quidem explicatio istorum locorum, quæ in editt. in usum Delphini e textu tam inepte resecata, quam stulte et imprudenter collecta et ad calcem adjuncta sunt (vid. inf. Ind. Editt. ad a. 1684), nisi cum gravitate institui possit, omittenda est, quanquam existimo, ea teneris juvenum animis non tam pestifera esse, quam quorumdam poetarum nostræ ætatis delicias et elegantias, quibus res turpes et ab honestate remotissimæ vel liberali et ingenua facie induantur, vel verborum et sententiarum venere et illecebris commendentur. Etenim ut maxime tecte et ambigue ea enunciando verecundiæ et pudori consultum videtur, ita facillime animis castis iisque improvidis se insinuant, libidines excitant, castitati altissima vulnera infligunt, et corporis ingeniique vires frangunt et debilitant. »

ELIAS VINETUS

DE CORNUTO PHILOSOPHO

ET GRAMMATICO;

DE CORNUTI IN PERSII SATIRAS COMMENTARIO, AC DE COMMENTARII COMMENTIQUE SIGNIFICATIONE.

Annæus Cornutus, Stoicæ disciplinæ philosophus, quem amicum et magistrum suum tantis effert laudibus Persius Flaccus in Satira quinta; is, si quid Suidæ collectaneis credimus, dives valde fuit. Patriam habuit urbem Africæ Leptin, sed Romæ tamen Claudio et Nerone principibus philosophiam professus est. Idem Persius illi se in disciplinam tradidisse fertur anno ætatis suæ quintodecimo: quem inde ea observantia coluit, ut quoad posset et liceret, ab ejus latere nunquam discederet. Quin eum quanti faceret hoc ostendit, quod moriens illi totam bibliothecam suam argentique multum legavit: unde sustulit Cornutus libros tantum: reliquum legatum, sororibus Persii quas frater hæredes instituerat, universum reliquit. Hujus rei auctorem habemus, quisquis veterum, Persii poetæ vitam scripsit, quæ exstat, sive Suetonius Tranquillus hic sit, sive potius ejus antiquus interpres. Scriptorum discipuli sui censor et arbiter fuit ille; Satiræque Persii jam vita functi non ante fuerunt editæ, quam eas recensuisset emendavissetque ipse magister. Scripsit autem hic Cornutus philosophica multa et rhetorica, quæ ad nos non pervenerunt: in quem etiam Neronis tyrannidem sæviisse Dion memoriæ prodidit. Nero enim res romanas a primordio Urbis carmine perscribere constituerat: et jam ante, quam librum unum, absolvisset, consultabat cum suis, quot libris rem tantam complecti

deberet. In id ergo consilium inter alios Cornutus philosophus ob insignem sapientiam adhibitus, quum censuissent illic quidam quadringentos debere fieri libros, dixit, immensum videri numerum, et neminem tot libros lecturum. « Atqui Chrysippus philosophus, objecit assentatorum unus, quem laudas, et sectaris, Cornute, multo plures composuit. » Cui Cornutus, « est ita, ut ais, inquit: sed illi libri Chrysippi, humanæ vitæ sunt utiles. » Qua libera Stoici hominis sententia offensus Nero, qui ea videret vanitatem et ineptias suas palam argui, Cornutum in insulam relegavit. In Eusebii autem Chronicis legimus annum fuisse a Christo nato sexagesimum nonum, et a Persio mortuo quartum, quum sic ille relegatus est; eodemque anno Octaviam Augustam jussu mariti in exsilio interfectam: quam Cornelius Tacitus iisdem consulibus occisam refert, quibus Persium decessisse traditum est. Hæc fere sunt, quæ in antiquis monumentis de Cornuto philosopho Persii magis-ro legere meminimus. Nam quem memorant Aulus Gellius, et Ambrosius Macrobius Cornutum, quem Gellius ubique Annæum quoque vocat, Macrobius libro quinto Saturnaliorum, aut Macrobii librarius, Aurelium pro Annæo: hunc volunt alium esse Cornutum, non philosophiæ universæ, sed solius grammaticæ professorem; qui libros de figuris sententiarum scripserit, quos memorat Gellius libro nono Noctium Atticarum, composuitque in Terentium, Virgilium, Persium, Juvenalem commentaria, de quibus mentionem fecerunt partim vetusti scriptores, partim novi, qui nostra et patrum nostrorum memoria, grammatica tractaverunt, et scripserunt. Hic itaque Cornutus commentariorum et rerum grammaticarum scriptor, quisquis sit, qui Cornuto philosopho annis vix quinquaginta junior esse potest, si alius fuit eum Gellius doctum et prudentem, Macrobius magnum virum et literarum etiam Græcarum doctissimum appellat: ex cujus plurimis scriptis solum vidimus, quod hic edimus in Persii Satiras commentarium. Quod certe ita interim habet, ut nisi Gellius et Macrobius Cornuti grammatici eruditionem nobis commendassent, semidoctum hominem fuisse judicaremus. Nam in hoc commentario multa quidem perquam erudita, et antiquitatem multum

redolentia, et quæ nisi legissent novi interpretes Persii, non pauca in ejus libello ignorassent; sed in eodem id quoque offendes, indocta multa, et inepta. Accidit enim illi, quod Asconii Pediani, Donati, Servii, Placidi, et aliorum veterum commentariis. Primum enim imperitos librarios nactum est: quod genus nihil non corrumpere solet. Deinde qui describere properantes, laborem fugiebant totum describendi, multa contraxerunt: postremo non defuerunt, qui plurima infercirent, inprimisque illi, quibus doctissima enarratio, quæ fortasse pro vetusto more breviuscula erat, ad intelligendum poetam obscurum et tenebricosum minime sufficiebat; atque ita non pauca interjecerunt et sua et aliena undique collecta doctorum hominum, indoctorumque scholia. Sic non magis unius Cornuti videtur, quod publicamus in Persium commentarium, quam unius Donati, quod Donati nomine prostat in Terentium, ut illa multis locis te fallant, nisi cum judicio legas. Qui autem hujus Persiani commentarii meminerunt Hermolaus Barbarus, Baptista Plautius, Lilius Ferrariensis, ac alii horum æquales (antiquiores equidem proferre non possum, qui se illud vidisse, scripto testatum reliquerint) nescio, quam bona habuerint exemplaria: sed nostris scio nihil inveniri posse corruptius. Fuerunt autem hæc tria: quorum unum nos et Gulielmus Martinus Voltanus, clarissimæ civitatis Burdigalensis procurator, Aquis Augustis in vetusta libraria anno Christi 1585, repereramus; alterum Francisci Bernæ Santonensis: tertium Joannis Amaritonis Arverni fuit. Quæ magis varia in conferendo deprehendimus, quam diversa loca sunt, unde fuerant conquisita. In iis ergo libris tale fuit, quale hic vides Annæi Cornuti commentarium. Nihil in describendo mutavi, nisi si quæ voculæ corruptæ videbantur. Nihil detraxi, quod aliquando sum expertus, quam periculosum sit ea statim contra vetusti codicis fidem auctoritatemque delere aut mutare, quæ in alienis scriptis non probes. Optavissem quidem certe hoc commentarium in lucem dare purius emendatiusque; sed ad eam rem antiquis codicibus opus fuit, qui non suppetebant alii, quam quos dixi: neque habui, unde alios conquirerem: et hæc qualiacumque sint, ita edere melius

duxi, quam pati literarum studiosos diutius hujus commentarii desiderio se torquere.

Quod autem ad vocem commentum attinet, quam in titulo legisti *Commentarius*, ac neutro genere commentarium, unde commentariolum fecit Cicero, est scriptum aliquod, et liber ad subsidium memoriæ comparatus, brevis, et in quo rerum tantum capita, summaque ponuntur, quas memorias, et instructiones nunc fere vulgus appellat. Hujusmodi fuit Valerii Probi commentarius de occulta literarum significatione, cujus meminit Aulus Gellius libro septimo decimo : ac tale etiam paulo plenius orationis contra Domitium habitæ commentarium, cujus mentionem in Bruto facit Cicero. Horum nominum pluralia, commentarii et commentaria, etsi vim sui numeri plerumque retinent, tamen ea nihil esse aliud interdum, quam quod unius numero significatur, grammaticis nostris jampridem placuit : qui viderint, quam recte hic præcipiant. Vereor enim, ne quum Cæsar Commentaria sua inscripsit, quos apud Ciceronem commentarios legimus appellatos, multorum librorum opus intellexerit, quorum quisque commentarii nomine appelletur, quomodo Euclidis, Alexandrini geometræ, Elementa, libri sunt tredecim, qui appellantur elementum primum, elementum secundum, tertium, quartum, et reliqua deinceps eodem nomine. Commentarius rursus et commentarium, ac multitudinis numero commentarii et commentaria, sæpiusque commentaria, sicut iidem volunt præceptores, eam significationem habent, ut expositiones interpretationesque auctorum in literas relatæ, ita vocentur. Servius in librum septimum Æneidos : Dicit etiam quidam commentarius *convecta* legendum. Aulus Gellius libro vicesimo : Apud Plutarchum in quarto in Hesiodum commentario. Idem libro primo : Præterea in commentariis Labeonis, quæ ad duodecim tabulas composuit. Et, Hyginus autem non hercle ignobilis grammaticus, in commentariis, quæ in Virgilium fecit. Quod igitur commentariis utroque genere, et commentarios et commentaria esse debere tradunt nostri grammatici, id commentum fuit in Aquensi Codice, sicut omnes hujusmodi expositiones commenta vulgo dicebantur me puero. Tunc namque

prostabant passim Virgilius, Ovidius, et alii scriptores, cum commento; sed postea, quam politiores literæ florere cœpissent, cedente sensim barbarie, quæ commenta primum viderant, ea dici commentaria cœpta sunt. Sic multi, qui sibi aliquid præ cæteris sapere videbantur, existimaverunt ista, commenta barbare dici, commentaria Latine appellanda : sed vellem tamen ego, ut, qui inter audaces istos emendatores eruditione præcellunt, docuissent, unde sciant, commentaria hic rectius dici, quam commenta. Veteribus librariis, quibus strenue omnia perdendi summum studium fuisse diceres, ex commento commentarium, ac ex commentario commentum facere facile fuit : ipsi interpretes scriptorum alienorum, quomodo suas expositiones appellarint hoc nos quærimus. Priscianus libro sexto : Servius in commento Virgilii. Et paulo post : Servius in commentario tertii libri Virgiliani. Idem libro decimo. Servius in commentario Æneidos. Ita modo commentum, modo commentarium res eadem apud Priscianum, antiquum et nobilem grammaticum, appellatur. Est autem *Commentum* proprie res inventa, excogitata callide, ac ficta : unde et verbum *commentari* pro *invenire*, *excogitare*, *fingere :* at sicut commentum pro expositione auctoris dictum est, uti ostendimus, ita etiam hoc *Commentari* pro eo, quod est commentum, sive commentarium facere, et interpretationem componere in scriptorem aliquem, legimus usurpatum. Aulus Gellius, lib. III : Sabinus medicus, qui Hippocratem commodissime commentatus est, his verbis enarravit. Et hinc *Commentator* pro interprete et commenti scriptore, frequens in Servii commentariis. Quod ergo fuit in antiquissimi exemplaris titulo commentum, siquis minus probet, id in commentarium illico mutare, mihi non leve visum est flagitium.

QUÆDAM DE SATIRA

PER JOANNEM BRITANNICUM.

Satira carmen est (ut Diomedi placet) apud Romanos maledicum ad hominum vitia carpenda comœdiæ priscæ caractere compositum; a qua in hoc tantum differt, quod illa iambis et ejusmodi versibus constat, et personis introductis novæ fere comœdiæ par est, et vitia hominum cum denominatione continet personarum. Hæc autem, id est, nova Satira in hexametros assurgit libertate simplex, neque enim personas aperte nominat. Priscæ comœdiæ princeps et inventor fuit Susarion Megarensis Tripodiscius Philini filius, qui quum parvæ mulieri conjunctus esset, abeunte muliere in pompa Dionysiorum, theatrum ingressus quatuor cecinit carmina iambica: quæ sola ex omnibus ejus scriptis exstant: « *Audite populus. Susarion hæc dicit Filius Philini Megarensis Tripodiscius. Malum sunt mulieres, sed tamen, o populares, non adest invenire domum sine malo.* » Sic enim prima comœdia scomma habebat apertum. Licuit itaque aperte sic vituperare usque ad tempora Eupolidis. Unde Horatius. « *Eupolis atque Cratinus, Aristophanesque poetæ, Atque alii quorum comœdia prisca virorum est, Si quis erat dignus describi, quod malus aut fur, Quod mœchus foret aut sicarius, aut alioquin Famosus, multa cum libertate notabant.* » Sed quum poetæ abuti licentius stylo, et passim lædere ex libidine cœpissent plures bonos, ne quisquam in alterum crimen infamiæ poneret, lata lege per Alcibiadem silnerunt. Ex prisca igitur comœdia quæ majore lascivit licentia, satira, quæ auctore Quintiliano tota nostra est, manavit. In qua primus insignem adeptus laudem est Lucilius, qui quosdam, ut scribit Fabius, ita deditos sibi amatores habuit, ut eum omnibus poetis præferre non dubitarent: quamvis Horatius non sine tamen suspicione æmulationis eum in sermonibus suis lutulentum fluere diceret: et aliquid esse quod tollere

possis. Secundus post hunc Horatius, qui etiam Lucilio multo tersior, ac purus magis habetur, et ad notandos hominum mores præcipuus. Tertius Persius annumeratur qui judice Fabio multum et veræ gloriæ, quamvis uno libro meruit. Quartus vero Juvenalis habetur, qui et venustate carminis, et satiræ dignitate servata ita commendabatur, ut si aliis omnino præponendus non sit, certe vel eis par habendus. Satiram nomen accepisse a variis causis scribunt Diomedes grammaticus, Porphyrio et Acron. i. a Satira lance, quæ referta variis multisque primitiis in sacra inferebatur, et a copia et saturitate rei Satira vocabatur; sive a lege Satira quæ uno rogatu multa simul comprehendit; quod scilicet et Satira multa poemata comprehendatur. Cujus Satiræ legis Lucilius meminit in primo per Satiram ædilem factum qui legibus solvat, et Sallust. in Jugurtha, deinde quasi per Satiram sententiis exquisitis in deditionem accipitur. Sive a Satyris diis quod similiter in hoc carmine ridiculæ res pudendæque dicuntur, quæ velut a Satyris diis silvestribus proferuntur et fiunt; hocque verisimilius. Nam in comœdia prisca quæ in vitia hominum apertius, ut dictum est, invehitur, salibusque et jocis absolvitur, Satyri introducti sunt Dii silvestres et procaces jocularia et lasciva inter se jactantes. Hi sunt, ut auctor est Pollux, Satyrus canus, Satyrus impubis, Satyrus adolescens, Silenus pater, atque id genus personæ fictæ. Satyris igitur introductis Satira nominata est, quod nomen hæc quæ tota, ut diximus, nostra est, et ab illa antiquiore defluxit, accepit, servavitque. Hoc poematis genere Persius sex scripsit Satiras, quarum haud dubium est primam esse: *O curas hominum.* Nam illud, *Nec fonte labra*, quædam potius meo judicio præfatio dicenda est quam Satira: quam ideo tantum poeta præmittit ut causam assignet, quare animum poeticæ applicuerit. Itaque more satirico, opus suum ex abrupto incipiens in trimetrum iambicum erumpit, docens non ea se facilitate poetam factum esse, qua Hesiodus et Ennius poetæ facti dicuntur; sed egestate et rerum difficultate coactum ut versus faceret.

PERSIANA HORATII

IMITATIO.

Nemo qui vel summatim humanitatis studia attigit, Persii Satiras legit, quin statim imitationis Horatianæ aliqua saltem vestigia deprehendat: tam multa enim illius tam paucis numero versibus expressit, ut fungum esse oporteat, cujus animum, simul ac in hunc librum oculos conjecit, ejus rei aliqua non percutiat suspicio. Et tamen ea arte, eo judicio in hac parte usus est poeta ingeniosissimus, ut qui adeo multa non sua usurpat, suus tamen ubique sit, nec alieni beneficii fere quidquam, verum propria omnia habere videatur. Κἂν γάρ παρ' ἄλλου λέξῃ τι ἰδίως αὐτῷ χρώμενος ἴδιον τὸ ληφθὲν ποιεῖ: quod olim eruditissimi critici de Thucydide Homerum imitante pronuntiarunt. Quare equidem facile ignosco tot commentatoribus quos palam est ita negligenter in hoc negotio esse versatos, ut loca non pauca perperam acceperint; quædam, sed illustria, non animadverterint esse corrupta unicam ob causam hanc, quod Persium cum Horatio diligenter contendere, suarum partium esse animum nunquam induxerint. Nos vero quam illis tribuimus veniam, ne ab aliis petere ipsi opus haberemus; quæcumque in eo genere observatione digna deprehenderamus, omnia studiose collegimus, atque in unum veluti communem locum huc conjecimus. Speramus non ingratum fore tironibus, quorum studiis prodesse optamus, nostrum istud consilium, quum præsertim imitationis artem, sine qua pene infructuosa veterum lectio fuerit, nullius magistri præcepta æque bene ipsos doctura sint, atque hoc pulcherrimum tanti viri exemplum. Si exstarent Lucilii Satiræ, non dubito etiam in illis reperiri quædam posse, quibus noster sua fecerit auctiora et luculentiora: sed illa, opinor, forent non multa: quantum

quidem ex reliquiis ejus poetæ licet conjicere. Horridior enim et incultior Lucilius fuit, quam ut aliquid facile ex ipsius lutulentis carminibus tolleret Persius, atque in rem suam verteret. Venusinum vero Flaccum sic in deliciis habuit miratusque est hic Flaccus, ut totum memoria tenuisse existimem; quod quidem ita esse, neminem puto dubitaturum, qui observaverit quam sæpe, quam feliciter, et sententias et dictiones ejus usurpet; apparet commentanti Persio verba versusque Horatianarum Satirarum non anxie, sed ultro sub acumen stili venisse: ut videatur magis non repudiasse, quæ sibi comiter sua memoria suggerebat, quam de industria quæsivisse. Neque enim debemus ejus infelicitatis tantum virum damnare, ut putemus aliquem ipsum ex affectata Horatii imitatione, aucupatum esse gloriam; iniquum, ridiculum et stultum sit tam ineptæ ambitionis nobilissimum juvenem ac sapientissimum velle insimulare: qui contra summo judicio virtutes Horatii sic imitatus est, ut nævos et ἀποτυχίας ejusdem cautus vitarit sedulo; quod quum alibi pluribus demonstratum sit a nobis, misso hoc sermone, quod instituimus jam aggrediemur.

IN PROLOGO.

Imitatio pluribus modis fit; nam ut orationis virtutes aliæ dicuntur rhetoribus πραγματικαὶ, aliæ λεκτικαί: ita etiam imitatio est alia rerum, alia elocutionis, quum aut verba alicujus usurpamus, aut figuras exprimimus, aut sententias æmulamur; rursus imitatio quædam manifestior, quædam occultior, omnium apertissima illa est, quum et sententia manet eadem, et verba quoque nonnulla: nam si nihil in verbis fuerit mutatum, non simplex imitatio ea dicenda, sed γυμνὴ μίμησις, aut potius μετάθεσις, quomodo loquitur Demetrius Phalereus; sive usurpatio: ut quum Ennii versum sermoni suo Persius accommodavit in sexta; minus manifesta est, quum servata sententia non servantur verba, sed mutantur omnia, interdum verba retinentur, sed in aliam sententiam traducta: quod ipsum variis fieri solet modis. Omnium horum exempla, in Horatii imitatione Persius nobis exhibet, ut suis locis dicturi sumus.

Nos vero ne illa quidem prætermittenda censuimus, in queis videtur Persius, non tam consilio et studio imitandi, quam casu et ξυνεμπτώσει aut idem verbum similiter usurpasse, aut versum quodam modo similem fecisse alicui Horatiano; nam etsi nihil fortasse cogitans in illa incidit, nihilo tamen minus causa cur in illa potissimum incideret, erat quod Horatii et verba et numeri etiam aliud agenti in mentem veniebant et sub stili acumen. In hoc vero carmine quum negat Persius se poetam esse, et *semipaganum* nominat, ingenioso verbo expressit adfatim, quod dixerat Horatius non solum pluribus verbis, sed etiam versibus: ut quum poetam se negat in lib. I, Sat. 4, 39:

> Primum ego me illorum, dederim quibus esse poetas,
> Excerpam numero: neque enim concludere versum
> Dixeris esse satis; neque, si quis scribat uti nos
> Sermoni propiora, putes hunc esse poetam.

Et quum ait in lib. II, Sat. 6, 17:

> Quid prius illustrem Saturis Musaque pedestri?

Eadem prorsus ratio est, cur Persius *semipaganum* se appellet, et cur Satiras suas Horatius modo *pedestrem Musam*, modo *Sermones*: ut in quarta primi Epistolarum, 1:

> Albi nostrorum Sermonum candide judex.

IN PRIMA.

2. *Quis leget hæc?* — Prima parte Satiræ hujus ostendit Persius pluribus versibus, id consilium sibi probari in scribendo, quod paucioribus verbis datur ab Horat. Sat. ultima, lib. I, 73:

> .....Neque te ut miretur turba, labores
> Contentus paucis lectoribus.

3. *Turpe et miserabile.* — Videtur alludere ad ista Horatii, lib. I, Sat. 4, vs. 21:

> ..... Beatus Fannius, ultro
> Delatis capsis et imagine: quum mea nemo
> Scripta legat.....

hæc est ἡ ἐκ τοῦ ἐναντίου μίμησις..

12. *Quid faciam?* — Horatius in simili deliberatione, initio Satir. II, vs. 5:

> Quid faciam, præscribe: quiescas.

Ex hac collatione intelligitur acre et vehemens Persii ingenium: nam sic petit consilium, ut ejus dandi potestatem non faciat; sed statim ut datum repudiet, quod non dubitabat datum iri; quod igitur lectori supplendum reliquit, apud Horatium habemus expressum, *quiescas.*

13. *Scribimus inclusi, numeros ille, hic pede liber.* — Affinis versus illi Horatiano, Epist. l. II, vs. 117:

> Scribimus indocti doctique poemata passim.

Etsi nec sententia eadem prorsus, nec verba.

20. *Ingentes trepidare Titos.* — *Ingentes Titi*, ita dictum a Persio, ut Horatio, *Celsi Rhamnes.* In Arte, 342:

> Celsi prætereunt austera poemata Rhamnes.

Docte ut omnia notavit hoc jam olim Hadrianus Turnebus in suis Adversariis.

21. *Tremulo scalpuntur ubi intima versu.* — Horatius carminum libro IV, Od. 13, vs. 5:

> Et cantu tremulo pota Cupidinem
> Lentum sollicitas.....

Falluntur eruditi viri qui *tremulum cantum* interpretantur anilem: lasciviæ enim vox illa significationem habet; cujus interpretationis et fundum habemus hic Persium, et testem quoque veterem interpretem. Terentianus Maurus de Galliambo versu:

> Nomenque Galliambis memoratur hinc datum,
> Tremulos quod esse Gallis habiles putant modos.

Sic κλαδαρὸν Græci pro lascivo ac molli: unde κλαδαραὶ ὄψεις, et κλαδαρὸν περιβλέπειν apud Clementem Alexandrinum de Veneris pusionibus: κλαδαρὸς autem idem ac tremulus. Hesychius: κλαδαρόμματοι, εὔσεισοι τὰ ὄμματα.

23. *Quibus et dicas cute perditus, ohe?* — Horatius Satir. 5 libri II, vs. 96 :

> Importunus amat laudari? donec ohe jam!
> Ad cælum manibus sublatis dixerit, urge, et
> Crescentem tumidis infla sermonibus utrem.

Usu tritum apud Latinos *ohe dicere* pro satis est; sed Persius quum ei qui immodica laudatione offendatur id loquendi genus tribuit, Horatii locum sine dubio ante oculos habuit; quare alias interpretationes comminisci interpretes non debuerant.

26. *En pallor seniumque!* — In Epistola 18, ad Lollium, libro primo, vs. 47 :

> . . . . . Inhumanæ senium depone Camenæ.

28. *At pulchrum est digito monstrari.* — Horatius, Od. 3, lib. IV, 22 :

> Quod monstror digito prætereuntium.

et in lib. I, Sat. 1, 51 :

> . . . . . At suave est ex magno tollere acervo.

29. *Ten' cirratorum centum dictata fuisse pro nihilo pendas?* — In ultima libri I Satirarum, 74 :

> . . . . . An tua demens
> Vilibus in ludis dictari carmina malis?

30. *Ecce inter pocula quærunt Romulidæ saturi quid dia poemata narrent.* — In Epistola ad Augustum II, 1, 9 :

> . . . . . Pueri patresque severi
> Fronte comas vincti cœnant et carmina dictant.

Vel, ut habent alii libri, *dicunt;* quod proprius accedit ad Persii sententiam.

35. *Tenero supplantat verba palato.* — Horatius de affectata balbutie :

> . . . . . Balba feris annoso verba palato.

Satira III libri 2, *supplantare* luctantium est verbum : *ferire*, cestibus pugnantium.

40. *Rides, ait, et nimis uncis Naribus indulges.* — Horat. lib. I, Epist. 19, vs. 43:

> . . . . . rides, ait, et Jovis auribus ista servas.

42. *Et, cedro digna locutus.* — Ad Pisones, vs. 331:

> . . . . . Speramus carmina fingi
> Posse linenda cedro, et levi servanda cupresso?

53. *Calidum scis ponere sumen.* — Ibidem, 422, de malorum poetarum artibus:

> . . . . . Unctum qui recte ponere possit.

54. *Scis comitem horridulum trita donare lacerna.* — Adhuc de iisdem primi epistolarum 19, vs. 37:

> Non ego ventosæ plebis suffragia venor
> Impensis cœnarum, et tritæ munere vestis.

56. *Nugaris, quum tibi, calve,* etc. — Errant qui huc afferunt illa Horatii ex Epistola ad Lollium, lib. I, vs. 60:

> . . . . . Interdum nugaris rure paterno.

Nam Horatius de eo loquitur, qui belli simulacra rure exercebat; quod quid habet commune cum sententia hujus loci? quanquam iidem etiam illo Flacci loco *nugaris* exponunt *poetaris:* sed quam absurde, pueri omnes intelligent, quos antecedentia et sequentia legere non piguerit.

61. *Vos o patricius sanguis.* — In Arte, vs. 292:

> . . . . . Vos o
> Pompilius sanguis, carmen reprehendite.

64. *Ut per læve severos Effundat junctura ungues?* — Horat. Sat. 6, lib. II, in alia re et sententia contraria: *Ne quid valeat per læve morari.*

65. *Scit tendere versum.* — Alia notione idem verbum positum est initio secundi libri Satir. vs. 1:

> Sunt quibus in satira videar nimis acer, et ultra
> Legem tendere opus.

67. *In prandia regum.* — Horat. dixit, *Epulas regum*, lib. II Sat. secund.

70. *Nec ponere lucum Artifices.* In Arte: *Quia ponere totum Nesciet.* Sed potius illum versum spectavit, ex Oda 8, lib. IV Carm. *Sollers nunc hominem ponere, nunc deum.* Nec displicet quod eruditi quidam observant, *lucum ponere* quum dixit Persius, respexisse ad illa in Arte, vs. 16: *Quum lucus et ara Dianæ describitur.* Locum integrum considera.

85. *Fur es, ait Pedio. Pedius quid?* — Ostendimus oratoris non rei nomen hic esse τὸ *Pedius.* Horat. in ultima lib. pr. Satir. *quum Pedius causas exsudet Poplicola.*

86. *Doctus posuisse figuras.* — Ita legendum esse admonuimus. Horat. ibidem: *Doctus cantare Catullum.*

88. *Men' moveat quippe?* — Horat. lib. I, Sat. 10, vs. 78:

> Men' moveat, cimex Pantilius?

89. *Quum fracta te in trabe pictum Ex humero portes.* — in Arte, vs. 20:

> . . . . . Si fractis enatat exspes
> Navibus, ære dato qui pingitur.

91. *Plorabit, qui me volet incurvasse querela.* — In Arte, vs. 102.

> . . . . . Si vis me flere, dolendum est
> Primum ipsi tibi.

At *curvare* pro flectere et κινεῖν ἦθος posuit Horatius Ode ad Lycen, lib. III Carminum.

93. *Berecynthius Attin. Et qui cæruleum*, etc. — Satirici poetæ aliena carmina propriis scriptis inserunt, duplici ex causa, vel quasi ad ornatum per speciem παρῳδίας, de quo ad Satiram sextam, vel διδακτικῶς; modo cum laude auctoris versuum qui afferuntur: modo ad suggillationem illius; sic Persius isto loco Neronis κακουργίαν τῆς μουσικῆς et ineptias ac stultitiam omnibus ridendam propinat allatis illius versibus; sic etiam Horatius ut Bibaculum obiter irrideret versum ejus suo Ulyssi inseruit Satirarum libro II: *Furius hibernas cana nive conspuet Alpes*, eadem licentia usum auctorem primum hujus carminis Lucilium ex reliquiis possumus conjicere. Atque in hoc ut in aliis non paucis veterem Græcorum comœdiam sequuta est Latina satira; quam multa enim Euripidis, ut de aliis taceam, habes

apud Aristophanem. Simpliciter docendi causa ex Ennio in quarta primi Satirarum afferuntur hæc Horatio, Sat. 4, lib. I, vs. 60 :

> . . . . . Postquam discordia tetra
> Belli ferratos postes, portasque refregit.

103. *Si testiculi vena ulla paterni Viveret in nobis?* — Honestius in sententia parum honesta idem dixit Horatius in XV, Epodon : *Si quid in Flacco viri est.*

106. *Nec pluteum cædit nec demorsos sapit ungues.* — In lib. I, Sat. 10, vs. 71 :

> . . . . . In versu faciendo
> Sæpe caput scaberet, vivos et roderet ungues.

108. *Vide, sis, ne majorum tibi forte Limina frigescant.* — In prima lib. II Satirarum, vs. 61 :

> . . . . . Metuo majorum ne quis amicus
> Frigore te feriat.

ambo de re eadem loquuntur.

111. *Omnes, bene miræ eritis res.* — Acrostichum non dissimilis securitatis atque illud Horatii, Satira tertia libri primi : *quum dicas esse pares res.* Sed Persianæ negligentiæ rationem certam in Commentario attulimus ; neque enim is fuit Persius quem sine causa male tornati versus juvarent : eam nos causam aperuimus.

112. *Hoc juvat?* — Legendum cum interrogatione admonuimus, ut in prima Satira Horatii :

> . . . . . Hoc juvat? horum
> Semper ego optarim.

Ibid. *Hic, inquis, veto quisquam faxit oletum.... extra Meiite.* — In lib. primi, Satira 8, vs. 38 :

> . . . . In me veniat mictum atque cacatum
> Julius.

In Arte, vs. 471 :

> Minxerit in patrios cineres.

De omni contumelia παροιμιακῶς usurpari solitum apparet.

114. *Secuit Lucilius urbem, Te Lupe, te Muti.* — Tractavit

eumdem locum fusius Horat. in prima libri II sat. Studiosi loca inter se comparent: nam sententia et ὁ πᾶς τοῦ λόγου σκοπὸς idem.

116. *Ridenti Flaccus amico.* — Respexit illud, *ridentem dicere verum Quid vetat?*

118. *Excusso populum suspendere naso.* — In sexta primi Sat. *naso suspendis adunco Ignotos*, in octava secundi, *suspendens omnia naso.*

123. *Audaci quicumque afflate Cratino.* — Observabamus translationem esse a pratis, quibus Græci docta et florida veterum scripta sæpe assimilant. Hæc ἔννοια ab Horatio est, qui *thyma* appellat opera antiquorum auctorum, in epistola ad Julium Florum: *Quæ circumvolitas agilis thyma?* Si quis malit ad Pythiam referre, et alios qui numinis afflatu oracula fundebant, non repugnem: utriusque ἐπιπνοίας modum, et illius quæ a numine in Pythiam manans vatem ipsam reddebat; et ejus qua adflantur qui priorum libros diurna nocturnaque manu versant, describit eleganter Dionysius Longinus de imitatione differens: πολλοὶ ἀλλοτρίῳ ἐνθουσιῶσι πνεύματι, τὸν αὐτὸν τρόπον ὃν καὶ τὴν Πυθίαν λόγος ἔχει τρίποδι πλησιάζουσαν, ἔνθα ῥῆγμά ἐστι γῆς, ἀναπνεῖν ὡς φασιν ἀγμὸν ἔνθεον αὐτόθεν ἀγκύμονα τῆς διαμονίου καθισταμένην δυνάμεως παραυτίκα χρησμῳδεῖν κατ' ἐπίπνοιαν· οὕτως ἀπὸ τῆς τῶν ἀρχαίων μεγαλοφυΐας εἰς τὰς τῶν ζηλούντων ἐκείνους ψυχὰς, ὡς ἀπὸ ἱερῶν στομίων ἀπορρύσεις τινες φέρονται, ὑφ' ὧν ἐπιπνέομενοι καὶ οἱ μὴ λίαν φοιβαστικοὶ τῷ ἑτέρων συνενθουσιῶσι μεγέθει. « Multi alieno seu divino spiritu afflati rapiuntur, eodem prorsus modo quo fama est Pythiam Apollinis sacerdotem Delphis (ubi, ut perhibent, hiatus quidam est terræ, vaporem inde auramque exhalans divinam) tripodi admotam corripi, factamque deo plenam numinis instinctu consulentibus responsa dare, et oracula reddere, sic ab illis priscorum magnis ingeniis in animos imitantium ipsos tanquam ex sacris ostiis rivi quidam feruntur, a quibus afflati etiam qui suapte natura non isto Phœbeio aguntur furore, aliorum magnitudine impulsi concitantur, rapiunturque simul. » De Eupolide, Cratino et Aristophane Horatius initio Satiræ 4 libri primi; confer cum istis illum locum.

126. *Inde vaporata lector mihi ferveat aure.* — Attentionem et cupiditatem lectoris verbo *ferveat* significavit, non multo aliter atque Horatius verbo *insudet*, in quarta primi Satir. *Queis manus insudet vulgi, Hermogenisque Tigelli*, atque ibi Horatius de suis scriptis loquitur, ut hic Persius.

133. *Si Cynico barbam petulans nonaria vellat.* — In tertia primi lib. Satir. de stoico sapiente, 133:

> ..... Vellunt tibi barbam
> Lascivi pueri.

134. *His mane edictum, post prandia Callirhoen do.* — Simplex pro composito; *do* pro mando, et mando accipe, ut in illo Horatii, Epl. I, 19, 8, quem non dubito fuisse Persio in mentem quum hunc faciebat:

> .... Forum Putealque Libonis
> Mandabo siccis.

Epistola 19 libri primi, videtur etiam illum versum respexisse 6, 20, libri ejusdem:

> Gnavus mane forum et vespertinus pete tectum.

Item istum, similiter in fine positum Satiræ 10 libri primi, vs. 90:

> ..... Demetri, teque Tigelli,
> Discipularum inter jubeo plorare cathedras.

IN SECUNDA.

1. *Hunc, Macrine, diem numera meliore lapillo.* — Horatius, Od. XXVI, primi libri:

> Cressa ne careat pulchra dies nota.

3. *Non tu prece poscis emaci.* — Horatius de se in XXIX, tertii Carminum, vs. 57:

> Non est meum, si mugiat Africis
> Malus procellis, ad miseras preces
> Decurrere, et votis pacisci.

Votis pacisci, *et prece poscere emaci*, idem sunt.

5. *At bona pars procerum tacita.* — In prima Satira libri primi, vs. 61:

> At bona pars hominum decepta cupidine falso.

8. *Hæc clare, et ut audiat hospes: Illa sibi introrsum et sub lingua immurmurat.* — In 16 primi Epistolarum, vs. 59:

> Jane pater clare, clare quum dixit, Apollo:
> Labra movet metuens audiri: pulchra Laverna,
> Da mihi fallere.

Græcum est *hospes* pro quovis cujus nomen tacetur, ut illis ξένος, Horatius oda quinta, lib. II, vs. 22:

> Mire sagaces falleret hospites.

10. *O si Sub rastro crepet argenti mihi seria, dextro.* — In sexta secundi Satir. vs. 10:

> O si urnam argenti Fors qua mihi monstret.

10. *Dextro Hercule.* — Ibidem, vs. 12:

> . . . . . Dives amico Hercule.

14. *Nerio jam tertia ducitur uxor!* — *Nerius* ὁ δεῖνα, ut apud Horatium, *Scribe decem Nerio.*

17. *Minimum est quod scire laboro.* — Dictum ἐν ἤθει, ut apud Horatium in prima Satira, *non longa est fabula*, simile in secunda epistola primi, *nisi quid te detinet, audi.*

22. *Proh Jupiter! o bone, clamet.* — In secunda primi Satir. vs. 18:

> . . . . . Maxime, quis non
> Juppiter exclamet, simul atque audivit.

27. *Triste jaces lucis evitandumque bidental.* — In Arte, vs. 471:

> . . . . . An triste bidental
> Moverit incestus.

39. *Ast ego nutrici non mando vota.* — In quarta Epistola lib. primi, vs. 8:

> Quid voveat dulci nutricula majus alumno.

41. *Poscis opem nervis corpusque.* — Tangit et Horatius eorum stultitiam, qui sua sibi vota destruebant contrariis vitiis in tertia Satira libri II, sed aliis utitur exemplis.

46. *Quo, pessime, pacto....?* — In Satira 7, lib. II, *quo pacto pessime?*

54. *Lætari prætrepidum cor.* — Qui aliter hæc scribebant, non meminerant similium venustatum apud Horatium, cujus lepores ubique sectatur noster in nona Satira libri primi, *meum jecur urere bilis*, in septima epistola primi, *non sane credere Mena.*

61. *O curvæ in terras animæ, et cœlestium inanes!* — Satira 2 libri sexti, vs. 77:

> . . . . . Quin corpus onustum
> Hesternis vitiis animum quoque prægravat una,
> Atque affigit humo divinæ particulam auræ.

72. *Lippa propago.* — Satira prima, *Crispini scrinia lippi.*

73. *Compositum jus fasque animi.* — *Animi* scribendum, non *animo*; sic apud Flaccum, in secundi tertia Satira: *Rectum animi servas?*

75. *Hæc cedo ut admoveam templis, et farre litabo.* — Oda 23, lib. III, vs. 17:

> Immunis aram si tetigit manus,
> Non sumptuosa blandior hostia
> Mollivit aversos Penates
> Farre pio et saliente mica.

Sine causa tantum laborant Flacci interpretes in hujus loci sententia explicanda, *Immunis manus* sine dubio est, vacua munere; at qui accipiunt pro immunis a scelere velim doceant me, ubi legerint *immunis ἁπλῶς* positum pro *ἀθῷος*; sequens versus sententiam Platonicam continet, sumptuosas victimas non esse *θεραπείαν* (*cultum*) deorum, sed *κολακείαν* (*adulationem*) ita igitur accipe: manus vacua, non autem illius qui ut diis blandiatur sumptuosas eorum aris hostias admovet, sacra Penatibus faciens, litabit farre, aut alio quamlibet tenui munusculo, quod ab animo pio proficiscitur.

IN TERTIA.

5. *Siccas insana canicula messes Jamdudum coquit.* — Satira 6 primi, vs. 126:

> . . . . . Fugio rabiosi tempora signi.

Epistola 10 primi, vs. 16 :

Leniat et rabiem canis.

alibi Oda 29, lib. III, vs. 18 :

..... Jam Procyon furit,
Et stella vesani Leonis.

6. *Et patula pecus omne sub ulmo est.* — Horat. ibidem, vs. 21 :

Jam pastor umbras cum grege languido,
Rivumque fessus quærit.

7. *Ocius adsit Huc aliquis! nemon'?* — In septima libri II Satir. vs. 34 :

..... Nemon' olenm feret coyus?

8. *Turgescit vitrea bilis.* — Horat. Sat. 3, lib. II, vs. 141 :

Jussit quod splendida bilis.

12. *Tunc queritur crassus calamo quod pendeat humor.* — Satira 3, libri II, vs. 7 :

Culpantur frustra calami.

16. *At cur non potius, teneroque columbo*, et mox : *Effluis amens. Contemnere.* — Non est negligendum veteris critici judicium qui pronuntiat Persium isto loco parum tempestive laborasse, ut exprimeret illa Horatii ex eadem Satira vs. 13 :

Invidiam placare paras virtute relicta?
Contemnere miser.

Quid videretur nobis de imitatione Persii Horatiana, superius indicavimus : quoniam tamen ἄνθρωπον φύντα ἀναμάρτητον εἶναι τελέως ἐστιν ἀδύνατον (*natum hominem peccato omni carere omnino impossibile est*): inficias ire nolim Persium locis aliquot sic Venusinum satiricum sequi, ut non assequatur; atque adeo videri posse interdum verba illius ad propositum alienum accommodatiora quam ad institutum ab ipso sermonem; quam κακοζηλίαν (dicamus enim verum nomen) vix est ut penitus vitent οἱ ἀλλοτρίῳ διαφορούμενοι πνεύματι (*qui alieno spiritu afflantur*) ut ait Longinus : præsertim illi qui ad unius imitationem totos se comparaverint, quod propemodum videtur fecisse

Persius, verum in tam bona forma nævus unus aut alter facile veniam merentur.

17. *Et similis regum pueris.* — Oda 18, lib. II Carminum vs. 33:

> ..... Æqua tellus
> Pauperi recluditur,
> Regumque pueris.

23. *Udum et molle lutum es.* — Horatius ad Julium Florum, vs. 8:

> ..... Argilla quidvis imitaberis uda.

24. *Sed rure paterno Est tibi far modicum.* — In epistola ad Lollium, vs. 60:

> ..... Interdum nugaris rure paterno.

25. *Purum et sine labe salinum.* — Satira 3, lib. I, vs. 13:

> ..... Modo sit mihi mensa tripes, et
> Concha salis puri.

Sed quia ait Persius, *rure paterno Est tibi*, pertinent huc ista e carmine 16 ad Grosphum, libro II, vs. 13:

> Vivitur parvo bene, cui paternum
> Splendet in mensa tenui salinum.

26. *Secura patella.* — Epithetum est Horatianum, in Satira 7 libri II:

> ..... Laudas securum olus.

36. *Quum dira libido Moverit ingenium.* — Sat. sec. lib. I, vs. 33:

> ..... Simul ac venas inflavit tetra libido.

48. *Jure.* — Absurdum *jure* videatur, nec causam attulimus veram; sed discipuli mentem quis melius quam magister nobis aperiat? Sic ille Satira eadem:

> ..... Quanto constantior idem
> In vitiis, tanto levius miser;

lege totam Davi disputationem.

55. *Siliquis et grandi pasta polenta.* — Epistola 1 libri II.

> ..... Vivit siliquis et pane secundo.

60. *Est aliquid quo tendis, et in quod dirigis arcum.* — Horat. Oda 16, libri II, vs. 17:

> Quid brevi fortes jaculamur ævo
> Multa?

Eadem est translatio, sed Horatius de singulis actionibus sive περὶ ἀποτελίδων loquitur, Noster de fine omnium ultimo. Idem in Art. Poet. 350:

> Nec semper feriet quodcumque minabitur arcus.

70. *Patriæ carisque propinquis Quantum elargiri deceat.* — Satira prima, lib. I, vs. 83:

> .... Reddat natis carisque propinquis.

73. *Quod multa fidelia putet in locuplete penu.* — Cave accipias τὸ *putet* in propria notione, hic nullam vim habet aliam, nisi ut rei copiam denotet: ut apud Horatium τὸ *putrescere*, Satira tertia lib. II, vs. 118:

> ..... Cui stragula vestis,
> Blattarum et tinearum epulæ, putrescat in arca.

78. *Quod satis est, sapio mihi.* — Satira 7, lib. sec. vs. 3:

> Mancipium frugi quod sit satis.

80. *Obstipo capite, et figentes lumine terram.* — In quinta secundi Sat. vs. 92:

> Stes capite obstipo, multum similis metuenti.

83. *Ægroti veteris meditantes somnia.* — In Arte, vs. 8:

> ..... Velut ægri somnia, vanæ
> Fingentur species.

85. *Cur quis non prandeat, hoc est!* — Horatius, Sat. 3, lib. II, vs. 257:

> Impransi correptus voce magistri.

96. *Ne sis mihi tutor: Jampridem hunc sepeli: tu restas.* — Diversos locos imitatione una conjunxit, in tertia secundi Satirarum: *Ne sis patruus mihi:* in nona primi, vs. 28:

> Omnes composui felices: nunc ego resto.
> Confice.....

Postrema verba eorum errorem confutant, qui apud Persium mollius volunt accipi illas voces, *tu restas.*

98. *Turgidus hic epulis, atque albo ventre, lavatur.* — Satira 2 libri II, vs. 21 :

> . . . . . Pinguem vitiis albumque.

Oda secunda libri II, Carminum vs. 15 :

> . . . . . Et aquosus albo
> Corpore languor.

Quibus in locis an sit allusum a doctissimis poetis ad hydropem λευκοφλεγματίαν sive ἀνασαρκίδιον medicis pertractandum accuratius relinquimus.

104. *Crassisque lutatus amomis.* — In Arte, vs. 375 ·

> Et crassum unguentum. . . . .

108. *Nil calet hic.* — Aspexit ista, sed concinnavit aliter:

> Quisquis luxuria tristive superstitione,
> Aut alio mentis morbo calet. . . . . .

Satira tertia libri II, vs. 79.

114. *Os radere*, Sat. 2, lib. II, *tergere palatum.*

IN QUARTA.

9. *Hoc, puto, non justum est: illud male: rectius istud.* — Satira 4 libri primi :

> . . . . . Rectius hoc est:
> Hoc faciens vivam melius : sic dulcis amicis
> Occurram. . . . . .

11. *Rectum discernis, ubi inter Curva subit.* — Epist. 2 libri sec. vs. 43 :

> Adjecere bonæ paullo plus artis Athenæ :
> Scilicet ut possem curvo dignoscere rectum.

14. *Summa nequicquam pelle decorus.* — Epist. 16 libri primi, vs. 45 :

> Introrsum turpem, speciosum pelle decora.

Et Satira prima libri II, de Lucilio 64:

> Detrahere et pellem, nitidus qua quisque per ora
> Cederet, introrsum turpis.....

20. *Suffla.* — Videtur alludere ad apologum inflantis sese ranæ, quem narrat Horat. Sat. 3, lib. I.

22. *Ut nemo in sese tentat descendere, nemo.* — In prima Satira, vs. 108:

> ..... Nemon' ut avarus
> Se probet?

24. *Sed præcedenti spectatur mantica tergo!* — In tertia libri secundi Satir. vs. 299:

> Respicere ignoto discet pendentia tergo.

30. *Hoc bene sit!* — Τὸ *hoc* est sextus casus. Horat. Satira secunda libri secundi:

> ..... Bene erat non piscibus urbe petitis,
> Sed pullo atque hædo.

32. *Pannosam fœcem morientis sorbet aceti.* — Mire auxit notam deparci quam apud magistrum legerat Sat. 3, lib. sec. vs. 143:

> Qui Veientanum festis potare diebus
> Campana solitus trulla, vappamque profestis.

Avarus ille Horatii genio vellet indulgere quoties villo plebeio, cujusmodi erat Veientanum, se oblectabat: quotidie vino fugiente erat contentus. Hoc parum Persio visum, qui cum festis diebus non semicorrupto, sed plane corrupto avarum potat, hoc significat, diebus profestis canina illius prandia fuisse, ex pane et aqua.

34. *Est prope te ignotus, cubito qui tangat, et acre* — Satira 5 libri sec. vs. 42:

> ..... Aliquis cubito stantem prope tangens
> Inquiet, ut p.

41. *Non tamen ista filix ullo mansuescit aratro.* — Traxit aliorsum vocem *filix;* quam meminerat venusta metaphora positam in hoc versu e Satira 3 libri primi, vs. 37:

> Neglectis urenda filix innascitur agris.

42. *Cædimus, inque vicem præbemus crura sagittis.* — Notissimus Horatii versus, Epl. 2, lib. sec. vs. 97:

> Cædimur, et totidem plagis consumimus hostem.

43. *Vivitur hoc pacto.* — Sat. ultima libri sec. vs. 65:

> Hæc est conditio vivendi. . . . .

confer integrum locum.

45. *Ut mavis, da verba.* — Ex illis Horatii:

> Ut mavis, imitare. . . .

Vide locum in Satira 2, lib. I.

Ibid. *Decipe nervos.* — Epist. 16 libri primi, vs. 22:

> . . . . . Occultam febrem sub tempus edendi
> Dissimules. . . . .

Ubi eadem tractatur sententia.

46. *Egregium quum me vicinia dicat.* — Ibidem, vs. 22:

> . . . . Si te populus sanum recteque valentem
> Dicitet. . . . .

Idem in 5 secundi Sat. vs. 106:

> Egregie factum laudet vicinia. . . .

Et in Epist. 16, lib. primo, vs. 44:

> Sed videt hunc omnis domus et vicinia tota.

50. *Nequicquam populo bibulas donaveris aures.* — Ibidem, vs. 19:

> Sed vereor ne cui de te plus quam tibi credas.

Sed τὸ *bibulas* alio spectat; nam in lib. II Carminum, oda 13, dixit Flaccus, 32:

> Densum humeris bibit aure vulgus.

52. *Tecum habita.* — Diverso sensu Horatius in septima II libri Sat. vs. 112:

> Non horam tecum esse potes.

IN QUINTA.

Videtur Persius Horatium in cæteris quidem satiris studiose imitatus, in hac vero etiam æmulatus, et in certamen eruditi carminis cum illo descendere ausus. Stoicum enim paradoxum, quod singulari venustate tractaverat Horatius Sermone 7 libri secundi Satirarum, alia via ac ratione diversa explicare est agressus. Etsi autem eximium est utriusque carmen; non tamen puto eruditorum quemquam negaturum, tantum inter hanc Persii Satiram et illam Horatii esse discriminis, quantum differre solent aretalogi alicujus declamationes de virtute et vitiis, a philosophorum diatribis de thesi proposita accurate disserentium. Omnino de utriusque horum ingenio non possumus aliunde melius judicare, quam ex comparatione istarum duarum satirarum: ambo quum virtutis amorem profiterentur, et philosophis præsertim Stoicis operam navassent, simili genere carminis mores hominum carpere atque emendare instituerunt; sed ille quidem natura irrisor atque dicax, convenientem ingenio personam in hac Satira induxit, cujus sales et urbanitatem potius laudes, quam eruditionem magni facias. Davus nimirum est, qui libertate decembri utitur, eaque occasione herum de suis vitiis, et animi servitute qua erat astrictus, admonet. Persius vero magis docere aptus quam ridere, totus severus, totus gravis de re philosophica disputaturus, personam assumit philosophicam; cujus partes sic tuetur, et perfecti stoici omnes numeros ita implet, ut ne Zeno quidem illam Spartam melius fuisse ornaturus videatur. Sed ad institutum nostrum redeamus, nam etiam hæc Satira, maxime autem posterior illius pars, auri Horatiani ramentis non paucis est aspersa.

1. *Vatibus hic mos est.* -- Horatius:

Regibus hic mos est.....

4. *Vulnera seu Parthi ducentis.* — Satira prima libri II, vs. 15:

Aut labentis equo describat vulnera Parthi.

10. *Tu neque anhelanti, coquitur dum massa camino, Folle premis ventos.* — Non dubium expressam sententiam ex istis Horatii Sat. 4 libri primi, vs. 19:

> At tu conclusas hircinis follibus auras
> Usque laborantes, dum ferrum molliat ignis,
> Ut mavis imitare.....

Et Horatius et Persius malum poetam, sed opinione sui inflatum, hac allegoria irrident, elationem animi ponebant, ut ante diximus, in pulmone: quem uterque poeta follis appellatione intelligit, eodem simili sed alio fine utitur Hippocrates in libro de Corde, respirationis instrumenta describens. Non simpliciter autem dicit Horatius poetam arrogantem folles fabrorum ferrariorum imitari; sed *folles laborantes dum ferrum mollit ignis*, optime: nam quum cessat faber non turgent folles, neque vento inflati sunt; ut appareat non solum imitandi studio, sed etiam necessario esse illa a Persio adjecta:

> ..... Anhelanti coquitur dum massa camino.

Juvenalis totam sententiam verbo sic expressit, de causidicis canens in VII:

> Tunc immensa cavi spirant mendacia folles.

Nam *cavos folles* intellige inflatos, quando sunt αἱ φύσαι αὐταὶ αὑτῶν πολυχωρότεραι; quod accidit illis quando opus urget faber.

14. *Junctura callidus acri.* — In Arte, vs. 47:

> ..... Notum si callida verbum
> Reddiderit junctura novum.....

Quam sententiam quominus Persii verbis aptemus nihil vetat.

20. *Dare pondus idonea fumo.* — Sic, *nugis addere pondus*, in Epistola 19 libri primi, et in 16, vs. 12:

> ..... Fons rivo dare nomen idoneus.

45. *Amborum fœdere certo Consentire dies.* — Quod Persius ad præceptorem Cornutum, Horatius ante scripserat ad Mæcenatem suum, libri secundi Carm. oda 17, vs. 22:

> Utrumque nostrum incredibili modo
> Consentit astrum.....

50. *Saturnumque gravem nostro Jove frangimus una.* — Subjungit Horatius, lib. II, Od. 17, vs. 24:

> ..... Te Jovis impio
> Tutela Saturno, refulgens
> Eripuit.....

51. *Nescio quod, certe est, quod me tibi temperat, astrum.* — In Epistola ad Julium Florum, vs. 187:

> Scit Genius, natale comes qui temperat astrum.

52. *Mille hominum species, et rerum discolor usus: Velle suum cuique est, nec voto vivitur uno.* — Horum versuum alter superfluus et sine causa additus; non enim bis idem dicit, quod in Æschylo comicus reprehendit; sed ter quaterve; non ita Horatius; qui posteaquam universalem thesim posuit, *Quot capitum vivunt, totidem studiorum Millia*, statim ad particularia exempla transit.

54. *Mercibus hic Italis mutat sub Sole recenti.* — Satira quarta libri primi, vs. 29:

> Hic mutat merces surgente a Sole, ad eum quo
> Vespertina tepet regio.

58. *Ille In Venerem est putris.* — Flaccus, oda 36 primi lib. Carminum, vs. 17:

> Omnes in Damalin putres
> Deponent oculos.

63. *Cultor enim es juvenum, purgatas inseris aures Fruge.* — Epistola prima, lib. I, vs. 7:

> Est mihi purgatam crebro qui personet aurem.

Paulo post, vs. 40:

> Culturæ patientem commodet aurem.

66. *Quasi magnum Nempe diem donas?* — Satira quarta libri primi, vs. 10:

> ..... Sæpe ducentos
> Ut magnum versus dictabat.

77. *Vappa, et lippus.* — Amat Horatius his vocibus animi vitia significare, ut Satira prima et alibi. *Dama* servile nomen

Horatio et Persio: nam apud alios aliter, si bene nomen memini. Jam quod *Marcus* prænomen toties hic repetitur, causam docet idem Flaccus in quinta lib. II, vs. 33:

> ..... Gaudent prænomine molles
> Auriculæ.

82. *Hæc mera libertas.* — Epist. 18 libri primi:

> Dum vult libertas mera dici.

86. *Stoicus hic, aurem mordaci lotus aceto.* — Hoc est, stoicus hic mordax, sic *Mordacem Cynicum* Horat. Epist. 17 libri primi, sæpe enim quod Horatius verbo indicavit, uberius expressum a Nostro, vel contra.

100. *Diluis helleborum, certo compescere puncto Nescius examen.* — In Epistola ad Augustum, lib. II, vs. 115:

> ..... Abrotonum ægro
> Non audet nisi qui didicit dare.

102. *Navem si poscat sibi peronatus arator.* — Ibidem, vs. 114:

> Navem agere ignarus navis timet.

103. *Exclamet Melicerta perisse frontem de rebus.* — Ibidem, vs. 80:

> ..... Clament periisse pudorem
> Cuncti pene patres.

104. *Tibi recto vivere talo.* — Ibidem, vs. 175:

> Securus cadat, an recto stet fabula talo.

108. *Illa prius creta, mox hæc carbone notasti?* — Satira tertia libri secundi, vs. 246:

> ....•. Creta, an carbone notandi?

110. *Jam nunc adstringas, jam nunc granaria laxes.* — Similis versus in ejusdem argumenti Satira 7, lib. II, vs. 20:

> Qui jam contento, jam laxo fune laborat.

111. *Inque luto fixum possis transcendere nummum.* — In Epistola 16 ad Quinctium libro primo, vs. 64:

> In triviis fixum quum se dimittit ob assem.

113. *Hæc mea sunt, teneo quum vere dixeris.* — Simillime Horatius, postquam virum bonum pluribus versibus ut hic, descripsisset, subjicit :

> . . . . . Potesne
> Ex his ut proprium quid noscere.

117. *Astutam vapido servas sub pectore vulpem.* — In Arte, vs. 437 :

> Nunquam te fallant animi sub vulpe latentes.

121. *Hæreat in sultis brevis ut semuncia recti.* — Satira tertia libri primi, vs. 76 :

> . . . . . Excidi
> Cætera item nequeunt stultis hærentia.

123. *Tres tantum ad numeros Satyri moveare Bathylli.* — Legendum est *Satyrum*, ut *saltare Bacchum*, *saltare Clytemnestram*, et similia passim alii, sic dixit Horatius *moveri Satyrum et Cyclopem*, in Epistola ad Julium Florum libro secundo, vs. 125 :

> . . . . . Ut qui
> Nunc Satyrum nunc agrestem Cyclopa movetur.

Sic Græci σάτυρον ὀρχεῖσθαι. Boethus in Epigrammate de Pylade Satyrum saltante :

> Οἷον ὁ τεχνήεις Πυλάδης ὠρχήσατο κεῖνον.

Pantomimorum ὀρχήσεις et λυγισμοὺς Latini dixerunt *motus* et *moveri* pro ὀρχεῖσθαι, nullum vero dubium esse debet quin Horatianam elegantiam retinuerit Persius imitans illius locum, ut valde mirer nemini ante nos, quod sciamus, bujus venisse in mentem.

126. *I, puer, et strigiles.* — In fine primi Sat. dissimile imperium non dissimili mandatur versu :

> I puer, atque meo citus hæc subscribe libello.

128. *Nec quidquam extrinsecus intrat, Quod nervos agitet.* — Satira septima libri secundi, vs. 82 :

> Duceris ut nervis alienis mobile lignum.

Vocem alienis expressit duabus, *extrinsecus intrat.*

130. *Quî tu impunitior exis?* — Ibidem, vs. 105 :

> Tergo plector enim ; quî tu impunitior?

135. *Lubrica Coa.* — Exposuimus mollia et λειαντικά, quæ attributa scimus legi sæpe apud medicos de quibusdam vinis, fortasse tamen non male referas ad vasa ipsa quibus Coa vina continerentur. Fictilibus enim vasis vina Græca in Italiam deferebantur : testæ Græcæ vinariæ meminit Horatius oda 20 libri primi, eo autem libentius ita vocem *lubrica* interpreter, quia Horatius conjunctim vini Coi et lubricorum conchyliorum meminit, Satira quarta, libri II, non quo illum locum imitatus sit Persius; sed qui videtur ex assidua Flacci lectione Coi vini simul et epitheti illius in memoriam ipsi venisse.

136. *Tolle recens primus piper.* — Eadem sententia illius :

> . . . . . Cave ne portus occupet alter.

Epistola sexta primi, vs. 32.

140. *Jam pueris pellem succinctus et œnophorum aptas.* — Satira septima libri primi :

> . . . . . Quinque sequuntur
> Te pueri lasanum portantes œnophorumque.

145. *Quam non extinxerit urna cicutæ?* — In epistola ad Florum, libro secundo, vs. 53 :

> Quæ poterunt unquam satis expurgare cicutæ?

149. *Nummi, quos hic quincunce modesto Nutrieras.* — In Epistola 18, ad Lollium, libro primo, vs. 53 :

> . . . . . Nummos alienos pascet.

152. *Cinis, et manes, et fabula fies.* — Oda 4 libri primi Carminum, vs. 16 :

> Jam te premet nox fabulæque manes.

153. *Vive memor leti.* — Satira sexta libri secundi, vs. 97 :

> Vive memor quam sis ævi brevis.

Ibid. *Hoc, quod loquor, inde est.* — In choriambico carmine ad Leuconoen, libro primo, vs. 6:

> . . . . . Dum loquimur, fugerit invida
> Ætas.

156. *Alternus oberres.* — Qui inter vitia fluctuat, modo hoc probans, modo illud, *fugitivus et erro* nuncupatur Flacco Satira libri primi septima.

161. *Dave, cito, hoc credas jubeo, finire.* — Quia Menandri hunc locum a Terentio expressum suis Satiris et Horatius et Persius inseruerunt, non sine voluptate studiosi horum trium eximiorum poetarum verba inter se contenderint, apud Horatium personarum nomina non ponuntur: Persius quæ apud Menandrum invenit retinuit: Terentius ut fieri solet a comicis nomina mutavit, quum Menandri fabulas pene ad verbum verteret, omnes hoc servarunt ut amator juvenis non monitu cujusquam, sed ex indignatione, quod esset exclusus, quum bona mente redire in gratiam meditetur, itaque non Davus Chærestratum, aut Parmeno Phædriam compellat, sed vice versa. Horatius Satira tertia libri II, vs. 259:

> . . . . . Amator
> Exclusus qui distat, agit ubi secum, eat annon.

Ibid. *Finire dolores Præteritos meditor.* — Sententia est Menandri, verba Horatii, ib. vs. 263:

> . . . . . An potius mediter finire dolores?

Terentius:

> . . . . . An potius ita me comparem,
> Non perpeti meretricum contumelias?

164. *An rem patriam rumore sinistro Limen ad obscœnum frangam.* — In simili sententia verbum *infringere* posuit Horatius, etsi diversa notione, Epod. XI, 21:

> Ad non amicos heu mihi postes, et heu,
> Limina dura, quibus lumbos et infregi latus.

165. *Dum Chrysidis udas Ebrius ante fores exstincta cum face*

canto? — Et hanc et quæ præcedit vocem *dedecus* mutuatus est e sermone quarto libri primi, vs. 51 :

> Ebrius et magnum quod dedecus ambulet ante
> Noctem cum facibus.

167. *Euge, puer, sapias, dis.* — Τὸ *sapias* insertum διὰ μέσου sine conjunctione Horatianæ est venustatis, ut in choriambico ad Leuconoen, *sapias vina liques*, hoc est, si sapias, ut recte Priscianus.

Ibid. *Dis depellentibus agnam Percute.* — *Dii depellentes* sunt θεοὶ ἀποτρόπαιοι, qui ab aliquo periculo servati fuerant soliti diis averruncis agnam mactare, cujus rei exempla apud Latinos poeta exstant, Plautum, Horatium. Græcorum quoque fuisse eamdem consuetudinem ex hoc loco intelligimus; quia non dubitandum est, e Menandro tractum esse quod hic legitur apud Persium, quare frustra quæsitum a nonnullis, cur agnam hic nominarit Persius, potius quam ut Horatius porcum, sic ille Satira tertia libri secundi :

> Non est perjurus, neque sordidus immolet agnis
> Hic porcum Laribus.

Atqui præter causam sacrificii, quæ eadem est; ob superatum animi morbum, cætera omnia diversa, neque enim iidem sunt dii depellentes et Lares, et ritus Romanos ac Græcos discrepasse in multis nemo ignorat.

172. *Ne nunc, quum accersor et ultro Supplicat, accedam ?* — Horatius, Sat. 3, lib. sec. vs. 263 :

> . . . . . Nec nunc quum me vocet, ultro
> Accedam ?

174. *Hic, hic, quem quærimus, hic est.* — Omnino alium Horatii locum respexit ex Epistola ad Scævam, libro primo; ubi disputatio non dissimilis ita clauditur :

> . . . . . Atqui
> Hic est aut nusquam quod quærimus.

Sed apud Persium non necesse est scribere *hic*, immo alterum est rectum; in omnibus Persii imitationibus paret semper ali-

qua mutatio, est et locus alter in Horatii Davo conferendus cum isto, quem propterea ascribemus, Sat. 7, lib. sec. vs. 90 :

> Poscit te mulier, vexat, foribusque repulsum
> Perfundit gelida : rursus vocat : eripe turpi
> Colla jugo, liber, liber sum, dic age.

175. *Lictor quam jactat ineptus.* — Eodem loco epistola ad Scævam simile huic ἀκρόστιχον legitur :

> . . . . . Refer et sine vivat ineptus.

177. *Cicer ingere large Rixanti populo.* — Satira tertia libri secundi, vs. 182 :

> In cicere atque faba bona tu perdasque lupinis.

184. *Labra moves tacitus.*—Horatius, Epl. 16, lib. prim. vs. 60 :

> Labra moves cupiens audiri.

184. *Recutitaque sabbata palles.* — Formidas, et colis cessationem ab omni opere. Jam Horatii tempore non deerant qui sabbata cum Judæis observarent, ut in Sat. 9 primi lib. 68 :

> . . . . . Meliori tempore dicam : hodie tricesima sabbata.

185. *Tum nigri lemures, ovoque.* — In epistola ad Florum, libro II :

> . . . . . Sagas
> Nocturnos lemures, portentaque Thessala rides?

191. *Et centum Græcos curto centusse licetur.* — Horatius dixerat de Lævino quodam, Sat. 6, lib. prim. vs. 13 :

> . . . . . Unius assis,
> Non unquam pretio pluris licuisse.

Persius ita imitatus est, ut pondus grande sententiæ adjiceret ad significationem contemptus, quod in Commentario expositum est a nobis.

IN SEXTA.

7. *Hibernatque meum mare.* — Horatius in Ofello, lib. II, Sat. 2, vs. 17 :

> . . . . . Atrum
> Defendens pisces hiemat mare.

9. *Lunaï portum est operæ cognoscere, cives.* — Vide ad primam versu 93, gemina huic apud Plautum usurpatio alieni carminis initio Pœnuli, ubi versum ex Achille Aristarchi aptat sermoni suo.

10. *Postquam destertuit esse Mœonides Quintus pavone ex Pythagoreo.* — In voce *destertuit* satiricus cachinnus latet: verbo enim id significare voluit, quod pluribus dixit Horatius de eodem Ennio, Epist. 1, lib. sec. vs. 52:

> . . . . . Leviter curare videtur
> Quo promissa cadant et somnia Pythagorea.

13. *Angulus ille Vicini nostro quia pinguior.* — Alludit ad male sanorum vota, cujusmodi illud apud Horatium Satira sexta libri secundi, vs. 9:

> . . . . . O si angulus ille
> Proximus accedat, qui nunc denormat agellum!

Ab eadem enim avaritiæ radice illa quoque invidia proficiscitur, de qua hic Persius.

15. *Ditescant orti pejoribus.* — In epistola ad Numicium lib. I.

> . . . . . Indignum quod sit pejoribus ortus.

Ibid. *Usque recusem.* — In Davo:

> . . . . . Usque recuses.

16. *Cœnare sine uncto.* — In Arte:

> . . . . . Unctum qui recte ponere possit.

18. *Discrepet his alius.* — Satira sexta libri primi:

> . . . . . Longe mea discrepat istis
> Et vox et ratio.

Et ita sæpius alibi.

Ibid. *Geminos, horoscope, varo Producis genio.* — Eadem sententia in prima Satira libri secundi, sed aliter tractata et sub exemplo, vs. 26:

> Castor gaudet equis, ovo prognatus eodem
> Pugnis.

20. *Muria vafer in calice empta.* — Τὸ *vafer*, pura puta Horatii vox, ut illo loco quartæ Satiræ, libro II, vs. 55 :

> Surrentina vafer qui miscet fæce
> Falerna Vina.

21. *Ipse sacrum irrorans patinæ piper.* — Avaro opes suæ sacræ sunt : hoc est sic ab illis abstinet tanquam a sacro, Horatiana ἔννοια, Satira prima libri primi, vs. 70 :

> . . . . . Congestis undique saccis
> Indormis inhians, et tanquam parcere sacris
> Cogeris.

In tertia libri secundi, vs. 110 :

> Qui nummos aurumque recondit, nescius uti
> Compositis, metuensque velut contingere sacrum.

In verbis Persii, τὸ *ipse* non esse otiosum ostendimus ; nunc dicimus illud quoque ab Horatio tractum in secunda Satira libri secundi, vs. 62 :

> . . . . . Cornu ipse bilibri
> Caulibus instillat.

22. *Utar ego utar.* — In ultima Epistola, vs. 51 :

> Utar, et ex modico quantum res poscet acervo
> Tollam.

23. *Nec rhombos ideo libertis poncre lautus.* — Ita expressit quod ibidem Flaccus aliquanto planius, Epist. 2, lib. sec. vs. 192 :

> . . . . . Et tamen idem
> Scire volam, quantum simplex hilarisque nepoti
> Discrepet, et quantum discordet parcus avaro.

Hæc Persii mentem aperiunt.

26. *Occa.* Universum arvorum cultum hac voce significavit, ut in eadem Horatius, Epist. 2, lib. sec. vs. 161 :

> . . . . . Villicus Orbi
> Cum segetes occat.

33. *Sed cœnam funeris hæres Negliget, iratus.* — Ibidem Horatius, vs. 191 :

> . . . . . Nec metuam quid de me judicet hæres,
> Quod non plura datis invenerit :

sequitur, apud Persium, paulo post:

Hæc cinere ulterior metuas?

34. *Quod rem curtaveris.* — Ibidem: *Quantulum enim summæ curtabit quisque dierum.* Item oda 24 libri tertii Carminum, vs. 64:

Curtæ nescio quid semper abest rei.

35. *Seu spirent cinnama surdum.* — Duriuscula translatio, ab auditus sensu, ad sensum olfactus, sed Persium auctoritas magistri tuetur, qui etiam durius, ut mihi videtur, *exsurdare* verbum de gustu posuit, in octava secundi lib. Satir. vs. 38:

Fervida quod subtile exsurdant vina palatum.

Hoc est, offendunt, sive parum grata accidunt: ut aspera vox clamantis aures audientium lædit atque exsurdat, etiam Græcis ἐκκωφεῖν pro βλάπτειν.

38. *Postquam sapere Urbi cum Cicere et palmis venit nostrum hoc maris expers.* — Etiam atque etiam acutum lectorem et emunctæ naris monemus, cogitet de eo quod in Commentario dicebamus, num Persius apud Horat. verba illa in Fundanio, *Alcon Chium maris expers*, aliter acceperit quam vulgo exponantur, hoc est, pro mari condito, vel mari advecto, constat veteres criticos varie accepisse illum locum; et videtur Glossarum magister quum diversas notiones vocis *expers* afferret, eum potissimum locum spectasse, neque alienum ab Horatii ingenio ut figuram καινοπρεπείας (*affectatæ novitatis*) in illa voce usurpasset. Sin vulgari notione Flaccus id verbi capi voluit, referemus locum Persii ad genus illud imitationis, quum verba retinentur, sed diversa notione; cujusmodi non pauca possunt observari, vel quod proxime notabamus de nomine *surdum.*

44. *O bone, num ignoras?* — In Damasippo lib. II, Satir. 3, vs. 32:

. . . . . O bone ne te
Frustu ere!

62. *Sum tibi Mercurius.* — Horatius ibidem, 68:

Rejecta præda, quam præsens Mercurius fert.

66. *Nec dicta repone paterna.* — Quæ Flaccus Venusinus *dictata*, Noster *dicta* nominat: *hæc recinunt juvenes dictata*, in prima Epist.

68. *Impensius unge, Unge, puer, caules.* — Horatius in simili disputatione, Satira 3 libri sec. vs. 125:

> Ungere si caules oleo meliore, caputque
> Cœperis.....

73. *Patriciæ immeiat vulvæ?* — Idem verbum eadem notione exstat apud Horatium, et Satira secunda libri I, et in septima libri secundi:

78. *Rem duplica. Feci; jam triplex, jam mihi quarto, Jam decies redit in rugam.* — Eamdem sententiam aliis verbis tractat Musa Venusina Epist. 6 libri prioris:

> Mille talenta rotundentur, totidem altera, porro
> Tertia succedant, et quæ pars quadret acervum.

Hæc fere loca sunt in hac præstantissimorum poetarum biga, quæ inter se comparanda memoriæ entheca nobis suggerebat: plura istis fortasse digna observatu animadvertent alii, nobis ille potius animum incessit metus, ne in hoc negotio diligentiores quam par erat, fastidiosis et ἀψικόροις lectoribus videamur fuisse: solide doctos et candidos æstimatores non negaturos confidimus, hujusmodi sive μιμημάτων sive ξυμπτωμάτων observationem, et ad intelligentiam ipsorum poetarum plurimum conferre; et hoc amplius, ad recte instituendam veterum imitationem, non mediocriter conducere.

Τῷ ἐπὶ πᾶσι δόξα καὶ χάρις.

INDEX

CODICUM MANUSCRIPTORUM

QUI AD RECENSENDUM JUVENALEM,

AB ALIIS VEL A NOBIS ADHIBITI ET COLLATI SUNT.

(Memorabimus eos secundum ordinem numerorum, quibus in Var. Lect. designati sunt.)

CODICES THEOD. PULMANNI.

2. *Noviomagensis*,
3. *Pulmanni*,
4. *Hadr. Junii*,
5. *Miggrodii.*

Hi a Pulmanno neque accuratius descripti sunt, neque diligenter collati. Vid. inf. ad edit. Pulmanni Antverp. 1565.

CODICES AB HENNINIO LAUDATI.

6. *Jac. Susii*,
7. *Amstelodamensis.*

Henninius, qui ipse neque membranis usus est, neque editiones antiquas, præter priorem Stephani, contulit, ad calcem Prolegomen. notabiliores dedit lectiones horum codicum, de quorum indole ne unum quidem verbum addit. Illius lectiones editioni Pulmannianæ (ann. 1565) subjectas, hujus ab Almelovenio excerptas esse dicit. Pulmannus vero quatuor tantum codices, nobis modo laudatos, memoravit, neque Susianum memorare potuit : nam Jac. Susius, doctus jesuita et coadju-

tor spiritualis, anno demum 1588 Brugis natus est et anno 1639 mortuus Lovanii.

CODICES P. PITHŒI.

8. *Antiquissimus Budensis*,
9. *Latiniacensis.*

De illo vid. inf. ad edit. Paris. 1585. Alterius codicis lectiones subinde enotavit Pithœus, sed nullam ejus notitiam dedit. Aliorum quoque codicum nonnunquam mentionem fecit: qui tamen utrum scripti fuerint, an editi, dicere non habeo.

XVIII CODICES NUNC PRIMUM ET TANTUM NON OMNES A NOBIS COLLATI.

10. *Schwarzianus*, nunc *Altorfinus*,

qui olim fuerat Chr. Gottl. Schwarzio, celeberrimo quondam (ab ann. 1709 ad 1751). Prof. Altorfino, et nunc Altorfii in Bibliotheca Academica servatur. Lectionum ejus specimina dedit Ulr. Seb. Beckius in *Obss. philol. in Satiras Juvenalis duas priores* (Altorfiii 1732, in-4°), ubi, pag. 3, monet codicem esse quartæ formæ membranaceum haud malæ notæ, qui cum Schurzfleischiano mirifice consentiat et cui scholia quædam tum in calce, tum sparsim in margine Satiræ I, allita sint. Eumdem optime scriptum et conservatum esse docet auctor, vol. II, Biblioth. Schwarz. Altorf. 1769, et ad Sæculum XIII refert eum *Mannert* in Miscellaneis, diplomatici potissimum argumenti, german. scriptis editisque Norimb. 1795. Satiram VII ex illo venerabilis Academiæ Altorf. Senior *Will* in usum prælectt. suarum typis exprimendam curavit ann. 1760. Totum vero codicem una cum quinque editt. antt. (Ven. 1491, 1512; Brix. 1501; Lips. 1504, et Argent. 1527) a principio ad finem exemplo editionis Bipontinæ comparavit Cl. *Nothnagel* Norimbergensis A. L. M. isque omnem var. lectionum recensum mihi ultro obtulit; quæ summa ejus humanitas nunquam ex animo meo effluet.

11. *Schurzfleischianus* s. *Vinariensis.*

Vid. quæ infra in fine Indicis Editt. Juven. dicemus.

12. *Erlangensis.*

Lectiones hujus codicis excerpendas benignissime curavit *Harlesius.* De externa ejus forma non certior factus sum. Quod si tamen omnis illius varietas diligenter notata est, videtur ex bono exemplo transscriptus esse.

13. *Ulmensis.*

Integram hujus codicis, plane singularis, recensionem debeo humanitati *Veesenmeyeri* Prof. Ulm. qui jam specimina quædam lectionum ejus var. ediderat ann. 1793 in *Commentat. historico-critica de Codice MS. Juvenalis Satiras complectente*, et indolem illius his verbis descripserat: « Adservatur, quem diximus, Codex in Bibliotheca, quæ ab illustri Schermariorum gente nomen habet, et conditur in editiori summi templi fornice. Continet præter Juvenalis Satiras etiam Horatii Epistolas, excepta illa ad Pisones scripta, et Prosperi Aquitanici Poematia. Scriptus in pergamena charta et forma, quam octavam majorem nominant, complicatus constat LXV foliis, quorum XXIII Juvenalem exhibent. Quo anno sit exaratus, non adest certum indicium, sed ante medium Sæc. XV scriptum fuisse, et literarum ductus ostendit, et indicat possessoris nomen. Literæ sunt minusculæ Longobardicæ, frequentibus, sed constanti ratione pictis vocum compendiis. Distinctionis notæ nullæ comparent præter punctum, comma, et interrogationis signum. De interna Codicis ratione in universum præcipiendum videtur, eum esse non magis bonitate, quam singularitate, si ita dicere fas sit, memorabilem. Habet enim quamplurimas lacunas, minime ubique ex homœoteleutis ortas, disjectiones versuum, diductiones, adjectiones. Quæ omnia unde sint orta, admodum est difficile dictu. Fluxisse codicis textum ex admodum lacero exemplari, vix persuademur; unde enim tot mutationes? Aliam autem esse textus recensionem ab ipso profectam Juvenali, quis credet perpen-

dens et Sat. IV brevitatem in nostro manuscripto octo tantum versibus constantis, et mutationum rationem, et veterum Scholiorum silentium? Alium igitur immisisse falcem in Juvenalis messem, vix est, quod dubitemus. »

14—16. *Norimbergenses* tres,

quos, una cum edit. Lips. 1502, auctore Mannerto comparavit *Seybold*, doctiss. Conr. Gymn. Norimb. *Codex primus*, membranaceus idemque antiquissimus emendatissimusque, in splendida Bibliotheca Ebneriana asservatur et mutilus est: desiderantur enim in eo Sat. VI, 269—303; VIII, 1—63; X, 9—70; XI, 152—208. Margini ejus adscriptæ sunt glossæ, sed literis minutissimis et nonnunquam valde pallidis vel maculatis vel adeo rasis, quæ eas lectu difficillimas reddunt. Reliqua, quæ ad hunc Codicem spectant, monere occupavit *Mannert* in Miscellan. p. 78: « Ab initio situ vermibusque corruptus et passim maculis fœdatus est. Majore literarum charactere, qui Sæc. XII adhiberi solebat, perspicue quidem, nec tamen eleganter, exaratus. Unciales literæ jam more illius Sæc. degenerant: pro *æ* plerumque *e*, raro simpl. *e*, et *c̄* pro *con* substituitur; *ii* cum apicibus, *i* constanter fere sine puncto legitur; distinctionum signa sunt vulgaria illius ævi!,; et punctum; lineæ usque quaque stylo ductæ. In duobus foliis penultimis longe alia eaque purior manus, qualis Sæculo XI propria est, deprehenditur; quam tamen conspicuam faciunt majores inflexiones, crebra *ii*, simpl. *e* pro *æ*, quod interdum occurrit, unciales, etc. In ultimo deinde folio prior redit manus: quod certissimo est argumento, una cum majore scriptura, quæ Sæc. XII usitatissima erat, minorem quoque eamque rotundiorem superiorum temporum viguisse. » Multæ ejus lectiones sunt bonæ vel memorabiles et singulares, plures tamen sive vulgares sive vitiosæ.

Codices Norimbergenses *secundus* et *tertius* (15, 16)

sunt chartacei et scholiis instructi inter lineas, sed recentes, e Sæc. XV (vid. Mannert. loc. l.), neque ex optimo ducti exemplo: habent tamen lectiones nonnunquam notabiles et vix

alibi obvias. Ille in-4° et nitide in Italia, hic in-fol. et vitiosissime omnium scriptus est.

17—20. *Guelpherbytani* s. *Gudiani* quatuor, membranacei, quorum mihi usum perhumaniter concessit *Langer*, Ducali Bibliothecæ præfectus.

17. *Gudianus primus*, n° 156 notatus, quadrato volumine maj. e bono et vetusto libro in fine Sæc. XII vel initio XIII descriptus. In eo servatur vulgaris divisio in quinque libros, quæ tamen bis tantum, in principio Sat. VI et X, notata et pro argumentis brevibus, quæ reliquis Satiris præfixa sunt, substituta est. Eadem manus et textum poetæ scripsit et scholia, eaque breviora inter lineas, uberiora ad marginem, quæ plerumque vulgaria sunt et parum utilia, vel scholasticorum acumen sapiunt. Qui tamen otio abundant, eos non plane pœnitebit, hæc scholia excussisse.

18. *Gudianus secundus* (n° 119), ejusdem formæ, sed recentissimus quatuor illorum codicum, et mutilus. Desunt Sat. I—VI, 168; XII, 125—130; XIII, 1—10, 23—40, 53—108, 226—249; XIV, 1—54, 66—83—268; XVI, 60.

19. *Gudianus tertius* (n° 304), formæ octavæ, medio forte Sæc. XIV scriptus.

20. *Gudianus quartus* (n° 53), formæ quæ *in-folio* vocatur, sed recentioris quoque ætatis (scriptus ann. 1384) cum scholiis brevissimis, quæ versibus interscripta sunt.

21 et 22. *Schönbornenses* s. *Gaybacenses* duo, membranacei, formæ oblongæ et quadratæ, qui Gaybaci, in tractu Franconiæ Steigerwaldensi, et quidem in bibliotheca Illustriss. Comitis *de Schönborn* servantur. Horum lectiones variantes acceptas refero insigni benevolentiæ Cl. *Degen*, viri humanissimi et doctissimi, qui specimen earum ipsorumque codicum descriptionem jam dederat in prolusione scholast. quæ inscripta est: *Einladungsschrift zum gewöhnlichen Herbstexamen — Onolzbach* 1785, in-4°, unde excerpam quæ ad rem nostram spectant, quæque pag. 4, 5, et 10, 11, traduntur.

21. *Schönbornensis* s. *Gaybacensis primus*, præclarus, qui

memorabiles ac singulares passim suggerit lectiones, et Sæc. XII scriptus est. Foliis LIV constat, et marginem spatiumque inter lineas multæ occupant glossæ. Membrana magis flava est quam alba, sed bene levigata. Literarum forma majuscula et ovata magis quam rotunda.

22. *Schönbornensis* s. *Gaybacensis alter*, sine glossis, bene conservatus et satis perspicue medio forsan vel exeunte Sæc. XIII scriptus. Quatuor prioribus Satiris recentior manus brevia præmisit argumenta. Codex ipse non eamdem, quam superior, recensionem sequitur, multasque lectiones exhibet tum egregias, tum sibi proprias. In utroque innumera deprehenduntur vocum compendia et non modo crebræ emendationes secundæ manus, sed aliquot etiam Varr. Lect. notationes.

23 et 25. *Gothani duo*, membranacei,

qui in Bibliotheca Ducali exstant et summa Virorum Cel. *Geisleri* et *Doeringii* humanitate usibus nostris oblati sunt. Criticus tamen eorum usus vel nullus vel exiguus est, quum indocte et recentiori ævo (alter exeunte forsan Sæc. XIV, alter principio Sæc. XV), neque ex optimo exemplari descripti sint. Cæterum alter Persium Juvenali junctum et glossas habet, tum inter lineas, tum margini adscriptas, sed parum utiles.

25. *Lipsiensis*,

membranaceus et recentioris quoque ætatis, neque tamen nullius momenti, quem cum aliquot editt. antt. (Lips. 1497 et 1507, Ven. 1498, Argent. 1518, Heidelb. 1590) e Biblioth. Academ. mihi benevole commodavit Ill. *Beck*, meo nomine rogatus ab amiciss. *Kühnöl*. Eadem manus tum inter lineas, tum in utroque margine multas adscripsit glossas, e quibus tacite quasdam ab Ant. Mancinello transscriptas et pro suis venditatas animadverti.

26. *Hamburgensis*, formæ octavæ,

quem in ipsa Bibliotheca Senatoria cum edit. Henniniana perhumaniter compararunt *Lichtenstein* et *Freudentheil*, qui eum Sæc. XI scriptum suspicantur. Sed neque studio librariorum, neque lectionum bonitate, insignis est.

27. *Kulenkampianus*,

membranaceus et ejusdem formæ elegantertque scriptus, sed recentior, neque magni pretii, etsi lectiones interdum exhibet in aliis membranis nondum repertas. Consentit plerumque cum Lipsiensi, et ex eodem forsan fonte fluxit. Fuit olim in præclara b. Kulenkampi bibliotheca; ex qua qui eum emerit ignoro. Paulo vero ante quam hæc Goettingæ vendebatur, illum benignissime ad me una cum multis editt. antt. misit *Heyne*, unicus præceptor meus fautorque generosissimus.

CODEX ROB. STEPHANI.

28. *Codex vetustus Rob. Stephani*,

cujus variæ lectiones ad calcem edit. Stephani, Lutet. 1544, in-8°, deprehenduntur, quæ bonæ quidem plerumque sunt et ab optimis editoribus receptæ. Sed Stephanus paucas tantum enotavit (v. c. in Sat. IX, X et XII, non nisi unam; in Sat. III et XIII binas; in Sat. II et VII trinas), neque ipsum codicem accuratius descripsit.

29. CODEX BASILEENSIS,

e quo varietatem lectionis excerptam dedit Wetstenius in edit. Amstel. 1684, in-8°, ubi tamen ulterior ejus descriptio frustra quæritur.

ALII CODICES AB ALIIS MEMORATI.

Præter hos, quos jam recensui, codices viri docti passim in commentariis scriptisque suis laudarunt alios et varias ex iis lectiones, sed paucas tantum, protulerunt, quas ego, quanto fieri potuit, studio congessi.

30. *Codex Domitii Calderini*,

qui eum in commentariis suis nonnunquam memorat et certissimæ dicit fidei esse ac summæ vetustatis.

31 a. *Codex Vallæ*,

antiquissimus, de quo vid. inf. ad ejus edit. Venet. 1486.

31 b. *Alii ejusdem Vallæ codices*,
qui in comment. ejus nonnunquam laudantur, sed tam parum distincte, ut nescias utrum scripti fuerint an editi.

32. *Codex Mancinelli unus et alter*,
quorum is aliquoties mentionem facit in Comm.

33. *Codex vetustissimus Lubini*, et

34. *Codex alter ejusdem*,
de quibus vid. inf. ad edit. Hanov. 1603.

35. *Codex vetustus Canteri*, et

36. *Codex alter ejusdem;*

37. *Codex vetustus Carrionis*, et

38. *Codex alter ejusdem*,
e quibus quatuor Codd. Lipsius Heinsiusque passim lectionis varietatem enotarunt.

39. *Codex antiquissimus Casp. Barthii*, et

40. *Codex alter ejusdem*,
quorum in Adversariis ejus subinde mentio fit.

41 et 42. *Codices antiquissimi Plathneri*,
qui passim laudantur in ejus Lectionibus Juvenalibus, de quibus vid. inf. Ind. Editt. extr. Suspicor tamen, hos esse Gothanos, de quibus vid. sup. ad n° 23 et 24.

43. *Codex Divæi antiquus*,
unde aliquot lectiones protulit Lipsius in Operibus suis.

44. *Codex antiquissimus*, et

44 b. *Codex alter Vossii*,
qui ab eo in Comment. ad Catullum et al. interdum excitantur.

83. *Codex Leydensis*, et

84. *Codex Perizonii*,
e quibus aliquot lectiones attulere Nic. Heinsius et Jo. Schrader. ille in Comment. in Ovid. hic in Emendationum Libro et in Obss. criticis, quas exemplo Juvenalis Henniniano adleverat, unde exscriptas ad me misit doctiss. et humaniss. *Herbellius*, qui de Silio quoque meo bene meritus est.

85. *Fragmentum Erlangense*,
vetustum, quod Sat. VI, 66—197, 264—661, continet et mecum ab Harlesio est communicatum, qui etiam benevole ad-

junxit edit. Marshall. Lond. 1723, cujus margini adscriptæ sunt variæ lectiones codicis MS. qui designatur litera *E*, quem tamen Ebnerianum vel Norimbergensem I, esse mox animadverti. Fragmentum plerumque consentit cum cod. Norimberg. tertio, sed non paucas quoque lectiones tum alias, tum sibi proprias exhibet et nonnunquam non spernendas.

Accedit nunc

ELENCHUS CODICUM MSS. XXXV.

Qui olim exstiterunt in Bibliotheca Regia Parisiensi et collati sunt a cl. Nic. Lud. Achaintre, qui indolem eorum his verbis indicavit.

I. E CATALOGO IMPRESSO CODD. MSS.

1. *Codex Puteanus* (catalogi nº 7900. A).

Codex membranaceus, formæ quam vocamus *in-folio*, exeunte nono sæculo, ut nobis visum est, exaratus, constans 155 foliis. Præter Juvenalis Satiras, in quinque libros dispertitas, continet Terentii Comœdias, Horatii lyrica Carmina et Epistolas, Lucanum et Martianum Capellam cum scholiis, et quidem copiosissimis, sed parum utilibus. Hujus codicis scriptura non recta quidem, nec pulchra, sed levis et lectu facillima, etsi quibusdam in locis minutissima, pallida atque vetustate prope deleta. Inter cæteros memorandus idem est propter antiquitatem et propter varietatem lectionum, quarum notabiliores aliquot in præsentis editionis curriculo notavimus : non tamen mendis expers, sed a manu recentiori emendatus est. At quisquis ille fuerit intempestivus castigator, melius certe codicis auctoritati consuluisset, si eum integrum reliquisset. In quibusdam libri locis reperiuntur majores literæ et figuræ calamo delineatæ, sed rudes ac deformes et plane sæculo, quo ille scriptus fuit, convenientes. Eo autem codice plurimum usi fuimus, quippe qui ex eodem atque vetus schol. Pithœi exemplari ductus, pervetustus item, nobis in hac editione recensenda maximi esse momenti visus est.

2. *Mazarineus* I (n° 3110).

Cod. membr. in-fol. X sæculo exaratus, constans 84 foliis. Continet opus de Regimine Principum, primas quinque Persii Satiras, Priscianum de Grammatica et alia opuscula poetica; denique XIV Satiras Juvenalis cum notis inter lineas scriptis. Eleganter quidem scriptus est ille codex; sed ubique mendis scatet, nec ullam fere memorandam lectionem præbet.

3. *Colbertinus* I (n° 7906).

Cod. membr. in-fol. X sæc. exaratus, et quidem a manu diversa. Optimæ tamen est notæ, etsi mutilus. In eo leguntur Juvenalis Satira IV a vs. 10, Satiræ V, VI, VII, et octavæ tantum 24 primi versus. In eodem volumine exstant integer Terentius, sed XIII sæculi; Æneidos lib. IV et V, sæc. IX; Daretis Phrygii ejusd. sæc. historia; Gregorii Turonensis Gesta Dei per Francos ejusd. sæc. et carmen religiosum cui titulus *Disputatio mundi et religionis* XIV sæc.

4. *Thuaneus* I (n° 8071).

Cod. membr. in-fol. X sæc. exaratus, constans 61 foliis. Scriptura ejus perspicua satis est, nec inelegans, et literarum forma duobus præcedentibus plane similis. Cæterum non adeo bonæ notæ codex iste est; quippe in eo multa reperiuntur menda: præterea desiderantur tres Satiræ Juvenalis priores, aliæ ita ordinantur: 4, 5, 13, 14, 15, 16, 10, 11, 12, 8, 9 (cujus pars media deest a vs. 38), 7, 6. His adde Martialis libros tres tantum, aliquot Catulli Epigrammata, Pervigilium Veneris et alia quædam opuscula poetica minimi pretii. Primo folio, quod dicimus *feuille de garde*, ultima linea, eadem manu, sed majusculo charactere, hæc scripta sunt:

Iuuenalis ex orthographia Bedæ presbyteri.

5. *Cod. Fauchetii* (n° 8070).

Membranaceus in-fol. XI sæc. exaratus, constans 141 foliis, eleganti simul et docta manu scriptus, charactere quidem minutissimo, sed nitido et lectu facili, qui quidem e bono exemplari ductus videtur. Exhibet Juvenalis Satiras cum commen-

tario non integro (quinque tantum priores Satiras complectitur) cumque scholiis ad marginem et inter lineas scriptis; præterea Persii Satiras VI, sed X sæc. exaratas. Hunc codicem sæpe sæpius volvimus, veluti doctorum attentione dignissimum. Ita inscribitur : *Claudii Fauchetii regii consiliarii curiæ monetarum præsidis.*

6. *Codex Pithœi* (n° 8072).

Membranaceus in-fol. XI sæc. exaratus, constans 113 foliis, nitide et accurate scriptus atque propter emendationem inter optimos recensendus; quem non attente minus quam præcedentem perscrutati sumus. In eo reperiuntur XIII priores Satiræ Juvenalis absque scholiis, Horatii Lyricorum libri tres Persii Satiræ sex, in parvo codice separato 12 foliis constante; denique ejusdem Juvenalis Satiræ I, II, III, V, VI, repetuntur cum fragmentis aliorum recentiori manu scriptæ ac mendis refertæ. Primo autem folio legitur hoc nomen, *P. Pithœus*, manu ipsius possessoris scriptum. Idem codex exinde transiit in bibliothecam Jac. Aug. Thuani, postea Colberti, demum post mortem hujus inter Regios fuit relatus.

7. *Colbertinus* II (n° 8285).

Cod. membran. in-4° min. constans 60 foliis, XII sæc. exaratus charactere Gothico, neque eleganti, neque nitido, quin etiam ita pallido, ut vix legi queat : attamen non infimæ notæ videtur ille codex, sed e bono ductus exemplo.

8. *Codex Memmii* (n° 8287).

Membran. in-4°, constans 48 foliis, XIII sæc. exaratus, mendosus æque ac ineleganter scriptus, cum scholiis ad marginem et inter lineas scriptis.

9. *Codex Silvestri de Florentia* (n° 8292).

Membran. in-4°, constans 74 foliis, XIII exeunte sæc. vel XIV ineunte exaratus, eleganter quidem, sed non adeo diligenter nec accurate : memorabiles tamen reperiuntur lectiones, qui-

bus interdum usi sumus. Continet XVI Juvenalis Satiras cum scholiis ad marginem et inter lineas scriptis.

10. *Codex Senatorius* (n° 8073).

Membran. in-folio parvo, constans 118 foliis, XIV sæc. exaratus, majoribus literis auro pictis, charactere Gothico elegantissime et membrana nitidissima scriptus. Quum puritatem, tum exactam convenientiam in eo scribendo affectavit librarius, adeo ut liber iste editiones primas impressas superet, sed et rectitudine scripturæ pulcherrimas. Nec minor cura in contextu emendando fuit adhibita. Præter commentarium partim initio libri, partim in fine adscriptum, textui poetæ subjuncta est paraphrasis, quæ tamen ut commentarius glossam redolet. Ille autem codex inter optimos et utilissimos nobis visus est recensendus. Hæc ad calcem leguntur:

« Iste liber, qui senatorius vocatur, fuit scriptus per me Nicolaum olim de pusio, anno domini millo', ccc°, uij°, indictiæ V. tempore domini Clementis papæ V, anno ejus sx. mensis aprilis die XIX, et fuit compilatus quoad lecturam per nobilem et illustrem virum dominum gentilem de filiis ursi, tempore sui senatus sexti. »

11. *Thuaneus II* (n° 7984).[1]

Cod. membr. in-fol. const. 212 foliis, exeunte XIV sæc. exaratus, eleganter scriptus, cum initialibus literis auro et coloribus depictis, bene conservatus satisque emendatus. Habet integros Horatium, Persium et Juvenalem. Primo folio inscribitur *Jac. Aug. Thuani* et *Colberti*, ad quem postea devenit.

12. *Thuaneus III* (n° 8290).

Cod. membran. in-4°, constans 109 foliis, XV sæc. exaratus, eleganti quidem, sed indocta manu, cum initialibus literis depictis. Habet Juvenalem et Persium sine scholiis et inscribitur: *Jac. Aug. Thuani* et *Colberti*. Cæterum mendosissimus est ille codex.

13. *Mazarineus II* (n° 8281).

Cod. membr. in-4° min. constans 104 foliis, XV sæc. exaratus,

nitidus satis, bene scriptus et perfecte emendatus. Continet Statii Achilleid. et XVI Satiras Juvenalis absque scholiis. In prima fronte inscribitur : *Federici Ceruti Veron.* Is fuit Cerutus Veronensis, qui Juvenalem illustravit paraphrasi.

14. *Colbertinus III* (n° 8293).

Cod. membr. in-4° min. constans 88 foliis, XV sæc. exaratus, satis perspicuus, quod ad scripturam spectat; sed mendosus admodum et infimæ notæ. Juvenalem exhibet et Persium sine notis.

15. *Codex Salmasii* (n° 8469).

Membranaceus in-8°, constans 87 foliis, XV sæc. exaratus, nitide quidem et eleganter, sed parum docte, nec sine mendis. Humor præterea et incuria hunc codicem pæne dilaceravit et usum ejus difficilem reddidit. Salmasius, cujus erat, sua manu ad marginem plurimos emendavit locos Sat. I—VI.

16. *Codex Jardineus* (n° 8289).

Chartaceus in-4°, constans 70 foliis, Florentiæ ann. 1483, a Jardino satis nitide scriptus; cæterum primis coævus videtur editionibus, ideoque non magni pretii.

17. *Mazarineus III* (n° 8076).

Codex chartaceus in-fol. constans 109 foliis, XV sæc. exaratus, parum eleganter scriptus et lectu admodum difficilis, tum propter pravam scripturam, tum propter vocum compendia innumera. Nihilominus egregie emendatus et ex optimo ductus exemplo videtur. Glossas habet copiosissimas, sed parum utiles, scriptas ad marginem et inter lineas.

18. *Codex absque possessoris nota I* (n° 8470).

Membranaceus in-8°, constans 77 foliis, XV sæc. exaratus, satis nitide scriptus et bonæ notæ, quippe qui videtur e bono ductus exemplo, sed adeo mutilus atque humore detritus, ut ejus usus fere nullus sit. Primæ IV Juvenalis Satiræ desiderantur, quinta incipit ad versum 64, et liber explicit ad vers. 13,

decimæ sextæ Satiræ; XV et XVI nullo modo legi queunt: in reliquis inter se conglutinantur paginæ, quas si detrahere tentes, tecum scripturam tollas: quapropter, ne pejus malum eveniat, eum intactum pæne reliquimus.

19. *Codex absque possessoris nota II* (n° 8077).

Membranaceus in-fol. parvo, constans 84 foliis, XV sæc. exaratus, satis bene scriptus, nec admodum mendosus.

20. *Codex absque possessoris nota III* (n°. 8291).

Partim in membranis, partim in chartis (hujus enim duo folia prima et totidem extrema cujusque manipuli sunt membranacea, reliqua chartacea) in-4°, sæc. XV exaratus, constans 91 foliis, satis bene scriptus et emendatus. Exhibet Juvenalem et Persium sine scholiis.

21. *Codex absque possessoris nota IV* (n° 8288).

Chartaceus in-fol. XV sæc. exaratus, constans 87 foliis, nitide scriptus, cum notis ad marginem et inter lineas scriptis. Idem videtur, quod spectat ad textum, e primis ductus editionibus. Adscribitur annus M. CCCC. LXXI. Cæterum parvi momenti est iste codex.

II. E BIBLIOTHECA VATICANA.

22. *Codex Alexandrinus, antea Suecorum reginæ* (n° 2029).

Membranaceus in-fol. constans 61 foliis, X sæc. exaratus (in catal. codd. Vatic. fert notam sæc. IX). Excellentissimus codex, nitidissime et accurate scriptus et ex optimo ductus exemplo. Eo frequenter in hoc opere recensendo usi sumus, ita ut nostra editio lectiones ejus fere integras referat. Juvenalem solum exhibet cum scholiis ad marginem et inter lineas scriptis.

III. CODICES ALII EX ITALIA ALLATI.

23. *Codex*, n° 111—451.

Membranaceus in-4°, constans 128 foliis, ann. 1451 exaratus,

charactere Gothico diligenter et accurate scriptus, sat bene conservatus, nec non emendatus. Exhibet Persium cum commentariis Cornuto attributis et Juvenalem cum scholiis ad marginem et inter lineas scriptis.

24. *Codex*, n° 112—453.

Membranaceus in-fol. parvo, oblongo, constans 72 foliis, XV sæc. exaratus, nitide et eleganter scriptus, diligenter conservatus et accurate emendatus. Juvenalem habet et Persium sine scholiis. Scripturam antiquam Romanorum servat, scil. *quom* pro *quum*, *quoi* pro *cui*, *quoius* pro *cujus*, *optumus* pro *optimus*, et alia id genus. In primo folio exstat vita Juvenalis, quæ fere eadem est ac vita in commentario Omniboni relata.

25. *Codex*, n° 113—454.

Membranaceus in-4° constans 82 foliis, XV sæc. exaratus, charactere Gothico, satis nitide scriptus, sed mendosissimus. Exhibet Juvenalem integrum et Horatii Artem Poeticam cum scholiis, sed rarissimis.

26. *Codex*, n°. 455.

Membranaceus in-fol. oblongo, constans 77 foliis, XV sæc. exaratus, nitide et accurate scriptus, nec non emendatus. Juvenalem habet et Persium absque scholiis et ulla possessoris nota et indicatione anni.

IV. E BIBLIOTHECA MONASTERII SANCTI SALVATORIS BONONIÆ.

27. *Codex*, n° 111—40°.

Membranaceus in-4°, constans 88 foliis, ann. 1477, nitidissime scriptus et accurate habitus, sed mendosissimus.

28. *Codex*, n° 112—40°.

Membranaceus in-4°, constans 69 foliis, XV sæc. exaratus, nitide et accurate scriptus, sed satis bonæ notæ. Præter Juvena-

lem continet Persium in uno codice chartaceo constante 12 foliis, XIV sæc. exaratum.

29. *Codex*, n° 113—4o°.

Membranaceus in-4° oblongo, constans 6o foliis, XV sæc. exaratus eleganter charactere Gothico; cæterum parum lectu facilis propter innumera vocum compendia. E bono tamen ductus videtur exemplo. Habet Juvenalem et Persium integros.

3o. *Codex*, n° 114—4o°.

Chartaceus in-4° parvo, constans 236 foliis, XV sæc. leviter nec non eleganter exaratus, cujus scriptura satis refert eam, quam nunc vocamus *anglaise*. Continet Omniboni commentarium in Juvenalem. Hic est *Omnibonus Leonicensis* sive potius *P. Fr. Omolloy* aut *Molloy* (*Ognibuono*, *Leonicenus*, h. e. Leonicæ, opp. Vicent. hod. Lunigo, natus, Grammaticus Sæc. XVI, mortuus ann. 1524) Hiberus Medensis, ordinis min. strict. observ. in collegio S. Isidori de urbe S. Th. prof. primarius, lector jubilatus et provinciæ Hiberniæ in curia Rom. agens generalis (scripsit præter alia commentarios in Juvenalem, Sallustium, Lucanum, Valerium Maximum, Quintilianum et aliquot Ciceronis libros: quæ scripta nondum edita sunt. Notæ ejus in Juvenalem pleræque pro tempore satis bonæ sunt, simplices atque auditu faciles, et iis aliquando usi sumus).

V. E BIBLIOTHECA SANCTI GERMANI A PRATIS.

31. *Codex olim Coislinianus*, n° 1166.

Membranaceus in-8°, constans 56 foliis, XII sæc. exaratus, charactere minutissimo et parum nitido scriptus, nec adeo accurate emendatus et parvi pretii. Juvenalem habet cum scholiis ad marginem et inter lineas scriptis.

VI. E BELGIO.

32. *Codex*, n° 263.

Membranaceus in-fol. constans 76 foliis, X sæc. exaratus, nitide et eleganter scriptus et accurate e bono exemplari ductus;

nullas tamen varias lectiones memorabiles exhibet. Juvenalis XIII Satiras priores offert cum parte magna XIV; usque ad vs. 196. Scholia præterea habet ad marginem et inter lineas.

VII. E BIBLIOTHECA SORBONÆ.

33. *Codex I*, n° 1589.

Membranaceus in-4°, constans 102 foliis, XV sæc. exaratus, elegantissime in Italia scriptus, cum initialibus literis auro et coloribus variis optime depictis, satis bene emendatus. Quædam habet scholia ad quatuor priores Satiras. Is præterea non contemnendæ notæ videtur.

34. *Codex*, n° 1590.

Chartaceus in-4°, constans 63 foliis, XIV sæc. exaratus satis perspicue et eleganter. Cæterum parvi pretii est iste codex.

35. *Codex*, n° 1767.

Chartaceus in-4°, sæc. XIV exaratus, habet Juvenalem et Persium cum commentario copiosissimo *Guarini* seu *Garini*, qui abbas fuit Victorinus apud Parisios et decessit ann. 1194.

Hic est elenchus MSS. Paris, ab *Achaintre* collatorum.

Aliis codicibus MSS. usi sunt Salmasius, Scaliger, Nic. Heinsius, Muretus, Schegkius, Mercer, Brodæus, Flavius, Pontanus, Rittershusius, Claverius, Scioppius et alii : quamque hi in scriptis suis enotarunt ex illis varietatem lectionis, nos quoque passim laudavimus.

Aliorum codicum, qui nondum comparati sunt cum vulgata scriptura, ingens numerus in bibliothecis, non modo publicis (inpr. Italicis, Gallicis et Anglicis), sed etiam privatis latet : v. c. in Biblioth. Gersdorfia unus (vid. Ephemerid. liter. Lips. 1710), in Rhedigeriana duo (vid. Fülleborn. vers. german. Persii, pag. 5), Senkenbergiana unus, Thom. Jos. Farsetti unus (vid. *le Bret Magazin zum Gebrauch der Staaten-und Kirchen-Geschichte*, tom. IV, n° 1, Francof. 1774), Comburgensi prope Halam Suevorum duo (vid. *Intelligenzblatt der*

Jen. Allg. Lit. Zeit. 1796, n° 153). Permulti alii memorantur in bibliothecarum catalogis commentariisque virorum doctorum, præcipue in Montfauconii Biblioth. MSS. nec non sex Vratislav. et totidem Hafnienses in *Heinrichii* commentat. I, in Juvenalis Sat. Kil. 1806. Præterea variantes viginti codicum lectiones a doctiss. *Schwabio* Conr. Gymn. Vinar. a quo consilium edendi Juvenalis abjectum est, accepit S. V. *Gurlitt*, Dr. Theol. Prof. et Director Gymn. Hamburg. qui in literis ad me datis earum propediem in proluss. scholast. divulgandarum spem fecit. Codices illi sunt: duo Zwiccavienses (quorum alter olim fuit Theod. Pulmanni), Noviomagensis, Miggrodii, Schurzfleischianus s. Vinariensis, duo Hamburgenses, Chemnicensis, quinque Leydenses (Lugdunensis, Perizon. Philipp. et duo Vossiani, in Catal. Bibl. Leyd. p. 325 b. 494 a. 374 a. 373 a. 378 a.), Rottendorfii s. Withofii, Lauhnensis (qui quondam fuit Christio Prof. Lips. tum Illustriss. de Zech et deinde Lauhnio, consiliario aulico Tenstadiensi in pago Thuringico), duo Gothani et tres Argentoratenses. Octo priores a Gottl. Cortio et quinque Leydenses a Jo. Schradero diligenter olim excussi sunt, quidam vero jam a nobis vel aliis collati, et Argentoratenses non nisi in duabus Satiris prioribus comparati.

Ex tot membranis nondum inspectis novam eamque ingentem variarum lectionum vel potius vitiorum errorumque molem congeri posse, non est quod dubitemus. Nec tamen crediderim, multum inde ad poetam nostrum fructus rediturum esse. Nam codices Juvenalis longe maximam partem sunt recentiores, neque digni quibus comparandis quidquam temporis et operæ impendas: et ex XXXV MSS. Paris. ab *Achaintre* collatis, inter quos tamen sunt illi optimæ notæ Puteanus, Colbertini, Alexandrinus, Fauchetianus, Pithœanus et Senatorius, duæ tantum aut tres lectiones enotatæ sunt, in aliis a me non repertæ.

INDEX

EDITIONUM JUVENALIS.

(Editiones, quibus unum asteriscum curavi præfigendum, a me ipso, et quibus duplicem præposui, a viris doctis, vel sponte vel rogatu meo, non in dubiis locis, sed a principio ad finem cum Henninniana vel Bipontina collatæ sunt. Alias deinde adjunxit *Achaintre*, quas triplici asterisco notavi. Multarum vero editionum non nisi titulos memoravi, desumptos vel ex catalogis bibliothecarum, vel ex Fabricii Bibl. Lat. et ex ind. editt. Henninniano, Bipont. et *Achaintre* qui ne eos quidem accurate laudarunt et parum curarunt, quale pretium cuivis ed. sit statuendum. *R.* — Quædam ex edit. Anglica, *Valpy*, addidimus. Ed.

SÆC. XV. 1470—1500.

**Editio Juvenalis et Persii princeps* videtur esse ea quæ, infolio sine nota loci, anni et typographi in lucem prodiit quamque Romæ circa annum 1470, typis excusam esse probabili judicio suspicabantur Maittarius in Annal. Typograph. tom. I, pag. 296, et *Hamberger in zuverläss. Nachr. von alt. Schriftst.* tom. II, pag. 270. Eadem, ni fallor, memoratur in Catal. Bibl. Hulsianæ. Præter nos eam, nec tamen satis accurate, contulit Maittarius in ed. Lond. 1716, in-12. Cf. Var. Lect. n° 45. Exemplari, quo nos usi sumus, præfixus est titulus: *Junii Juvenalis Aquinatis liber primus.* Nulla vero aliorum deinde librorum et ne numeri quidem Satirarum, qui tamen in Persio indicatur, mentio fit, sed Satiræ parvo tantum spatio disjunguntur. Hæc et alia infantiam produnt artis typographicæ: etsi charta satis pulchra et literæ sunt luculentæ. Ex interna autem indole hujus editionis probabile fit, eam non a viro docto curatam, sed a typographo e libro manuscripto eoque bonæ, quamvis non optimæ, notæ cum omnibus librariorum peccatis ductam esse, adeoque Cod. scripti auctoritatem obtinere. (Cf. inf. p. 660, not.)

*** *D. Junii Juvenalis et Auli Persii Flacci Satiræ*, absque nota anni, impressoris et loci, in-4°.

Editio vetus, eodem charactere signata, quo liber, cui titulus est *Decor Puellarum* per Nic. Janssonium.

(*Catalogue de La Vallière*, t. II, p. 102.)

Eodem forte anno typis expressa est alia Editio Romana, quæ vulgo habetur omnium princeps et inscripta est:

1470. *Juvenalis Satyræ et Flacci Persii Volaterrani.* — Romæ *apud Udalricum Gallum*, in-fol.

De ea vid. *Hamberger* l. l. et *Maittaire* Ann. Typogr. t. I, p. 297, qui tamen externam tantum libri speciem ac ne satis quidem accurate describunt, nec de critico ejus usu solliciti fuere. Quomodo itaque hæc editio a superiore differat et quodnam ei statuendum sit pretium, dicere non habeo, quum nondum a quoquam cum illa vel vulgatis editt. comparata sit, quod factum vellem.

Veneta I (In Var. Lect. n° 51). *Juvenalis Satyræ, per Simonem Bivilaqua* (al. Bevilaquam) *Papiensem*, Venetiis sine mentione anni, in-fol.

Hanc editionem inspexit Beckius, ex cujus *Observatt. philolog. in Satyras Juvenalis duas priores* nos nonnunquam in Var. Lect. eam laudavimus. In omnibus, quibus eam consuluit, locis easdem exhibet lectiones, quæ in edit. Locatelli Venet. 1492, reperiuntur, nisi quod Sat. II, 164, in hac *Zelates* legitur et in illa *Zalates*.

1473. Brixiensis I. *Juvenalis et Persii Satyræ: jubente Presbytero, Petro Villa, sine notis.* — Brixiæ, in-fol.

Hæc editio nondum a quoquam, quod sciam, collata est. Describitur quidem in Specim. literar. Brixiensis P. I, p. 125 seq. sed non ita, ut criticum ejus usum inde cognoscere liceat.

1474. Mediolanensis I (in Var. Lect. n° 52), *Juvenalis et Persii Satyræ.* — Mediolani *per Anton. Zarotum* (Zarothum) *Parmensem*, in-fol.

Neque hujus, neque reliquarum editionum Mediolanensium (de quibus vid. Saxii Hist. typogr. Mediol.) exempla, etsi diligenter quæsita, invenire mihi contigit. Vellem itaque, ut, si cui ad manus sint, critica cum cura eas excuteret. Si tamen ex illis lectionibus judicare licet, quas Beckius loco supra laudato ex Mediol. 1474 et 1511, excerpsit quasque nos in Var. Lect. n° 52 et 53 designavimus, non multum utilitatis ad ipsum Juvenalem emendandum inde redundaturum esse opinamur.

Nihil in iis est, quod aut tollere velis, aut non ex aliis libris jam notatum sit.

Eodem anno 1474 Romæ in vulgus prodiere:

« Angeli Sabini Turrensis Paradoxa in Juvenalem *Romæ* per Angelum Sachsel de Reichenhal et Barthol. Golsch de Hohenbart Clericos. » in-fol.[1] — Et paulo post:

1474. *Domitii Calderini* (al. Dominici de Caldariis) *Veronensis Commentaria in Juvenalis Satyras*, Romæ, in-fol.

Hi duumviri fuere primi, qui commentarios in Juvenalem, si non scriberent, certe vulgarent. Commentarius Domitii longe quidem præstat eo, quem Sabinus composuit (unde et hic fere nusquam, ille mox variis locis recusus est maximoque eruditæ Italiæ plausu exceptus); sed ineptis scatet erroribus, etymologiis et argutiis. Sæpius in eo et acerbe refelluntur Tortellii, Sabini aliorumque explicationes, nec meliores substituuntur. Inde colligas, jam tum temporis multos exstitisse, qui Juvenalem interpretari conarentur, quod et Domitius in dedicatione libri sui docet: nisi verba ejus potissimum ad Glossas membranarum spectant, e quibus tum ille, tum Mancinellus et Britannicus multa tacite descripta in rem suam converterunt; quod ex usu et lectione earum cognovi. Corrupta lectio sæpe argutias peperit, etsi Domitius jam usus est codicibus scriptis, quorum tamen neque numerum, neque indolem declaravit.

1474. Juvenalis ab *Andrea Gallo* excusus, Ferrariæ, in-4°.

1475. *Domitii Calderini.* — *Commentaria in Juvenalem.* — Brixiæ *typis Henrici de Colonia*, in-fol.

1475. * Veneta II (in Var. Lect. n° 46), *Juvenalis cum Comment. Domitii Calderini* (non Ge. Merulæ, quod Socii Bipontini tradunt) Venetiis arte et ingenio Jac. de Rubeis, in-fol.

Hæc est prima editio Juvenalis cum comm. Domitii Calderini, ex qua haud dubie propagatæ sunt Venetæ 1481, 1482,

1. Liceat in transitu hic etiam notare aliud (forsan *Paradoxon*) cui titulus: *Juvenal in volgar lingua per Ripa*, sine anni nota, ut videtur; de quo vide Biblioth. *Farmerianam.* — Duæ vel tres exstant Juven. edd. sine anni nota, in Biblioth. Spenc. notatæ; una etiam ab Audiffredi: vid. Specimen Hist. Crit. edd. Ital. sæc. XV, pag. 422

binæ 1483, 1485, 1487, et Vincent. 1480, quæ et præter textum eadem continent, sed in textu tamen passim ab illa, et quidem aliæ aliis locis, discrepant, quod ex V. Lect. intelligetur.

1475. *** *D. Jun. Juvenalis et Auli Persii Flacci Sat.* (vid. *Catalogue de La Vallière*) in-fol.

1476. Mediolanensis II, *Juvenalis et Persii Satyræ.* — Mediolani per Ant. Zarotum Parmensem, in-fol.

Est repetita editio ann. 1474, quæ in catalogo editionum Persii memoratur Fabricio Biblioth. Lat. tom. II, pag. 166, Lips. 1765. Cf. ad ann. 1474.

1476. *** *D. Jun. Juvenalis Satiræ*, editio Christophoro Valdafero attributa (*Catalogue de La Vallière*), in-4°.

Ge. Merulæ (propr. *Merlani*, Alexandrini) *Commentarius* bis ann. 1478, prodiit sine textu poetæ, non cum eo, quod in Fabric. Bibl. Lat. et hinc in edit. Bipont. traditur.

1478. * Venetiis *per Gabrielem Petri Duce inclyto Andrea Vendramino*, in-fol. Et paulo post, vel ante.

1478. Tarvisii *per Barthol. de Confoloneris*, in-fol.

De hac edit. vid. Fabric. l. l. p. 359. *Nachricht von den Büchern in der Stollichen* Bibl. tom. I, pag. 96, § V, et Catal. Bibl. Haseanæ Brem. pag. 503. Merula exemplo Domitii in alios quoque auctores classicos scripsit commentarios et in iis clarissimos illorum temporum viros asperioribus facetiis perstrinxit. Quam itaque bilem Domitius effuderat in Sabinum Brotheumque, eadem, sed mortuus demum, acerbissime exagitatus est a Merula. Hujus tamen commentarius in Juvenalem non magni est pretii, ejusque interpretatio sæpe vel nimis arguta, vel inepta et contorta. Meliora passim in suum comment. transtulit Britannicus, ne laudato quidem fonte, ex quo hausit. Multorum autem errorum Merulam arguit jam Politian. Epist. XI, 10.

1479. *Juvenalis cum comm. Ge. Merulæ et notis aliorum*, Pinarolii, in-fol.

Hujus edit. mentionem fecit Fabricius (Biblioth. Lat. t. II, p. 359), et quidem tam brevem atque obscuram, ut ea decepti socii Bipontini tradiderint, *hanc editionem factam esse per Jac. de Rubeis*, qui tamen officinam habuit Venetiis, ubi

Juvenalem quoque ann. 1475, ab eo excusum supra vidimus.

1479. *** Mediolanensis III. *D. Junii Juvenalis et A. Persii Flacci Sat. per Ant. Zarottum*, Mediolani (*Catalogue de La Vallière*), in-fol.

1480. * Vicentina s. Vincentina (in Var. Lect. n° 48), *Juvenalis Satirarum Libri impressi* Vincentiæ *per magistrum Henr. Liberarium*, in-fol. *cum commentariis Domitii Calderini*, etc. ut in edit. Veneta II, ann. 1475, quam plerumque, nec tamen ubivis, sequitur, ut ex nostra Var. Lect. apparet. Videtur emendata passim manu viri docti vitiisque repurgata esse.

1481. *** Veneta III (in Var. Lect. n° 47). *Juvenalis cum comm. Domitii Calderini.* In fine : Venetiis *per Baptistam de Tortis*, in-fol. In Biblioth. Reg. Paris.

Recusa mox ann. 1482, 1483 et 1485. Cf. ad edit. Venet. II, ann. 1475.

1482. * Veneta IV (ut Ven. 1481), in-fol.

1483. ** Veneta V, *Juvenalis Satyræ cum comm.. Domitii Calderini* Venetiis *per Magistrum Thomam de Alexandria*, in-fol.

1483. ** Veneta VI (ut Ven. 1481), in fol.

Utraque editio collata est a Maittario in ed. Lond. 1716, in-12, unde intellexi, eas nunquam fere neque a se invicem, neque a Veneta III, discedere, adeoque ex ea repetitas esse. Hinc etiam in nostra Var. Lect. non seorsum hi testes excitantur.

1483. Mediolanensis IV. *Juvenalis Satyræ* Mediolani *per Leonhardum Pachel et Uldericum Scincenzeler* (al. Udalrichum Scinczenceller s. Scinzenzeler, Sinzeler, Sinczenzeller) *socios*, in-fol.

1485. Veneta VII. *Juvenalis Satiræ cum comm. Domitii Calderini* Venetiis *per Baptistam de Tortis*, in-fol.

Nova repetitio Venetæ III, si Fabricio fides habenda. Mirari certe licet, quo emptorum studio ejusdem typographi sumptibus quatuor annorum spatio quater prelo excudi potuerit Juvenalis, et quidem Venetiis, in qua urbe præterea aliorum typis ab ann. 1483 ad 1501, toties expressus est.

1486. * Veneta VIII (n° 49). *Juvenalis cum comm. Ge. Vallæ Placentini* Venetiis per magistrum Antonium de Strata (al. Strada), in-fol.

Hæc editio, quam et *Maittaire* contulit in ed. Lond. 1716, prima est commentarii Ge. Vallæ, non Veneta X, quod putabant socii Bipontini, Ge. Valla, Medicus et Prof. Ling. Græc. et Lat. Venetus, præter multa alia in Juvenalem commentarium edidit, in quo multa correxisse videtur poetæ loca, sed plurima etiam superioribus sublegit interpretibus, nec minus etymologiis verborum indulsit, parum vero novi ac boni, vel adeo præclari, ipse attulit. Usus tamen est antiquo codice MS. qui et Probi, ut putabat, Grammatici interpretamenta continebat, quæ postea Pithœus (vid. inf. ad edit. Paris, 1585, in-8°), Scholiis Veterum emendandis supplendisque adhibuit.

1486. Brixiensis II. *Persius cum Comm. Jo. Britannici et Juvenalis cum Comm. Ge. Merulæ, typis Jacobi Britannici*, Brixiæ, in-fol.

1487. * Veneta IX (n° 47). *Juvenalis cum Comm. Calderini*, Venetiis per Bartolomeum de Zanis de Portesio, in-fol.

Plerumque congruit cum Veneta 1482.

1490. *** *D. Jun. Juvenalis Sat.* Editio absque loci, impressoris et anni nota, forsan per Jac. Pagnanis (*Catalogue de La Vallière*), in-fol.

1491. Mediolanensis V (ut IV, ann. 1483), in-fol.

1491. ** Veneta X (n° 54). *Juvenalis cum comm. Domit. Calderini et Ge. Vallæ* Venetiis *per Magistrum Theodorum de Ragazonibus* (al. Ragozzonibus) *de Asula*, in-fol.

In plurimis, nec tamen omnibus, cum superioribus concinit editt. Cf. ad Venet. VII, ann. 1485.

1492. Veneta XI. *Persius cum comm. Britannici et Fontii; Juvenalis cum comm. Merulæ et Calderini*, Venetiis *apud Petrum Joannem de Quarengis*, in-fol.

In Fabric. Bibl. Lat. t. II, p. 166, non Merulæ, sed Vallæ comm. memoratur. De usu editionis hujus critico nemo adhuc sollicitus fuit.

1492. ** Veneta XII (n° 55). *Juvenalis cum Domitii Calderini et Ge. Vallæ commentariis* (sine mentione loci, sed haud dubie Venetiis) *per Bonetum Locatellum*, in-fol.

Hæc editio in quibusdam locis Sat. I et II, a Beckio, sed

tota a principio ad finem a Maittario in ed. Lond. 1716, collata est. Congruit plerumque cum Veneta VIII, ann. 1486.

1492. * Veneta XIII (n° 56). *Juvenalis cum commentariis Mancinelli, Domitii Calderini et Ge. Vallæ.* — Venetiis *per Joannem de cereto de tridino* (al. Tacuinum de Tridino), in-fol.

De commentario *Mancinelli*, qui inde ab anno 1473 (ætatis XXI), in pluribus Italiæ oppidis grammaticam liberalesque artes magna cum laude docuit, Henninius jam hoc idque verum tulit judicium: « Nihil non magnificum pollicetur Mancinellus; verum ut, quod res est, dicam, intra fabularum prolixam enarrationem, si quando Juvenalis eas attingit et paraphrases fere subsistit, et rarius in interiora et recondita se penetrat. Verum tempori isti ea condonemus. »

1493. Veneta XIV. *Juvenalis cum comm. Sabini, Merulæ et aliorum*, Venetiis, in-fol.

1494. * Veneta XV (mera repetitio Venetæ XIII), in-fol.

1494. *** *D. Jun. Juvenalis Sat. cum comm. Dom. Calderini, per Nic. de Benedictis*, Taurini (In Bibl. Reg. Paris.), in-fol.

1495. *** *D. Jun. Juvenalis Sat. cum comm. Calderini, per Johan. de Vingle*, Lugduni, in-4°. (In Bibl. Reg. Gall.)

1496. Juvenalis, Parisiis, in-fol.

His paucis verbis memoratur editio illa a sociis Bipontinis, qui forte correxerunt ita notam Henninii, a quo perperam laudatur *ed. Paris, apud Stephanum*, in-8°, 1496. Sic et in Fabric. Bibl. et ed. Bipont designatur editio.

1497. Veneta XVI. *Juvenalis*, Venetiis, in-fol.

1497. * Lipsiensis I (n° 58). *Liber Satyrarum Junii Juvenalis poetæ lepidissimi ac inter omnes Satyricos utilissimi*, Liptzk (Lipsiæ), in-fol.

Hæc est prima. ed Lipsiensis, quæ plerumque convenit cum Veneta III, et a qua raro discrepant nec nisi in rebus levissimis, quæ eam sequutæ sunt, Lipsienses ann. 1502, 1504 et 1507.

1497. * Norimbergensis (n° 59). *Juvenalis*, cum comm. Antonii Mancinelli, Domitii Calderini et Ge. Vallæ, Nurnbergæ *ver Antonium Koberger*, in-fol.

Editio satis obvia. Titulum excipiunt eadem, quæ in Veneta XIII, ex qua etiam expressa videtur, sed emendatius.

1498. * Veneta XVII (n° 57). *Juvenalis, cum quatuor commentariis Ant. Mancinelli, Dom. Calderini, Merulæ et Ge. Vallæ.* — Venetiis, *per Joannem de Cereto alias Tacuinum de Tridino*, in-fol.

Non mera repetitio Venetæ XIII, sed nova recensio, in qua etiam tribus commentariis adjectus est quartus Merulæ. Sic v. c. in Sat. VI, versus 233, qui ex illa exciderat, in hac restitutus est, et post v. 614, duo spurii sunt inserti, qui non in alia editione, quod sciam, reperiuntur, quam in Veneta VIII. Alia eaque multa variarum lectionum exempla suppeditavimus in notis criticis.

1498. ** Ascensiana I (n° 60). *Juvenalis familiare commentum* (h. e. Juvenalis cum comm. Badii Ascensii) *cum Ant. Mancinelli explanatione, et cum vocum ac rerum indice. — Impressum est hoc opus pro fido et bono bibliopola Stephano Gueynardo* (non *Baynardo*, ut Maittaire, vel *Guaynardo*, ut socii Bipont. scripsere) *cive Lugdunensi, arte et industria Nicolai Wolf Alemanni ipso Ascensio vitiorum expunctore*, Lugduni, in-4°.

Hæc editio, collata a Maittario in ed. Lond. 1716, est prima cum nomm. Ascensii, et plerumque concinit cum Veneta XIII. Iodocus Badius natus ann. 1462 in vico, prope Bruxellas sito, qui nunc *Assen* vocatur, unde ipse *Ascensii* nomen adscivit, mortuus ann. 1535, Professor primum Lugdunensis, deinde vero celeberrimus typographus Parisiacus socerque trium magni nominis typographorum, Misch. Vascosani, Rob. Stephani et Jo. de Revigny, multos auctores classicos et prelo excudit, et commentariis, sed levibus et jejunis (*familiarem explanationem* vocat, seu *familiare commentum*), instruxit. Henninius dicit, eum in Commentariis suis infimum trivii pulverem et exspirantem barbariem olere, verum quia subinde lectionis varietatem et, quamvis rarissime, forte fortuna mentem Juvenalis quandoque deprehenderit, excerpendi tædium a se devoratum esse. — Cæterum meræ pæne repetitiones hujus edit. sunt posteriores Ascensianæ Ludg. 1501, 1507, 1511, 1512, 1515, Paris. 1505, 1512 et 1519. Ascensianas autem non eas

tantum dico, quæ Ascensii prelo Parisiis excusæ sunt, sed etiam quæ ejus familiare commentum exhibent: nam nullum fere inter eas intercedit discrimen, sive externam spectes indolem sive internam. Cf. inf. ad Ascens. III. Paris. 1505.

1498. *Juvenalis, cum Merulæ et aliorum notis,* Parisiis, in-fol.

1498. *Juvenalis, adjectis Horatii Epistolis,* Lipsiæ.

1499. Veneta XVIII. *Juvenalis cum comm. Jo. Britannici,* Venetiis, in-fol.

Hoc loco et anno primum commentarius ille in lucem exisse putatur. Sed vix assequor, qui factum sit, ut prius Venetiis ederetur, quam Brixiæ, ubi auctor ejus non modo liberales artes publice docuit et ann. 1510 mortuus est, sed etiam una cum fratre typographicam habuisse officinam videtur (conf. titulus edit. Brix. III, ann. 1501.), in qua aliquoties et Persium et Juvenalem cum comm. ejus, illum ann. 1486 et 1500, hunc ann. 1501, utrosque ann. 1503, excusos esse constat. Cæterum *Jo. Britannicus* s. Angelus, ita dictus a majoribus, ex Britannia oriundis, vir ætatis suæ doctissimus fuit, qui, præter alia, commentarios in Horatium, Juvenalem, Persium, Terentium, Statium et Ovidii Metamorphoses scripsit, ac princeps omnium Juvenalis interpretum est censendus: nam non modo loca obscuriora notis doctis illustrare conatus est, sed etiam, quæ præcipua ejus virtus est, studiosissime investigavit mentem consiliumque poetæ, et tum summam cujusvis Satiræ, tum singularum partium sententiarumque copulationem, vim poeticam, venustatem, facetias ac sales, magna solertia rectoque elegantiæ sensu declaravit. Hanc ob causam ipsi quoque Grangæo præferendus videtur, qui varia quidem et exquisita doctrina eo superior est, sed inferior bene accurateque interpretandi arte. Hinc etiam commentarius Britannici sæpius sub prelum revocatus est, et ex eo Grangæus aliique multa hauserunt, ne fontis quidem mentione facta. Ipse tamen jactanter magis, quam vere dixit, præter fortasse tria aut quatuor ad summum loca, nihil prorsus relictum, quod a se non sit optime dilucidatum: doctrinam enim ejus et interpretationem sæpius videbis esse vel minus accuratam, vel nimis argutam et subtilem, copiosam et supervacuam, alienam et contortam.

1500. *Juvenalis*, *Persius*, *Horatius*, *Lucilius*, Lugduni Bat. in-12.

SÆC. XVI. 1501—1601.

* Aldina I, Veneta XIX (n° 61). *Juvenalis*, *Persius*, Venetiis *apud Aldum* sine mentione anni, in-8°.

Quo anno prodierit, non constat : eam vero primam esse Aldinam, vel ex eo probabile fit, quod Græca verba, quæ Sat. VI, 195, et IX, 37, in reliquis Aldinis leguntur, in ea, ut in Rom. princ. nondum expressa, sed plane omissa sunt. Tres autem esse dumtaxat Aldinas, primam s. a. alteram ann. 1501, et tertiam ann. 1535, vulgatam, liquido contendere possum, quoniam tot in manibus habui, quæ omnes olim in biblioth. præclara Kulenkampi exstabant et, antequam illa venderetur, ab Heynio, quæ magna ejus benevolentia est, mihi transmissæ sunt. A Fabricio nulla memoratur Aldina, in edit. autem Bipont. una tantum, et quidem his verbis : « (1501) Aldina sine anni nota, in-8°, Juvenalis et Persius ex officina Aldi. Eodem anno et prodit ex off. Aldi Horatius; quocum juncti memorantur in Solgeri Catal. Bibl. (quæ dein accessit ad Bibl. Norimbergensem) t. III, p. 278, n° 1833, ubi adnotatum legitur: « Ob notas MSS. Lazari Splengeri Syndici Norimbergensis doctissimi († 1534) in pretio habenda. » Hasce notas rescivi non magni esse momenti et ad Horatium maxime pertinere. Aldina autem sine anni nota neutiquam confundenda est cum:

1501. * Aldina II, Veneta XX (n° 62). *Juvenalis*, *Persius*. — Ad calcem : *Venetiis in ædibus Aldi*, in-8°.

Hoc anno etiam Horatius et Virgilius eodem prelo typisque minoribus, qui *italici*, *currentes* et *Aldini* vulgo vocantur, excusi sunt. Quod vero *Heyne* in Indice editionum Virgilii p. XCI (edit. alt.), de Aldina tertia dixit: « Præclara et inter præstantissimas facile editio, in qua pleraque e melioribus codd. constituta leguntur; et quam, qui factum sit, ut sequentes editores non sequerentur, sed plerumque ad priorem Aldinam redirent, non assequor, » idem transferri potest ad Aldinam II Juvenalis. Emendatissima est editio, ad meliores haud dubie libros, tam scriptos quam editos, recensita. Nihilo

tamen secius non modo Aldina III, sed aliæ quoque editiones, ex Aldinis ductæ, multis in locis eam deseruere et rediere ad Aldinam I. Unde autem tanta mutatio, et a quo inducta sit, dicere non habeo. Eadem discrepantia in omnibus auctorum classicorum editionibus Aldinis deprehenditur, et nunquam fere, quod mireris, vel Aldus, vel qui post ann. 1515, quo ille et vita discessit, posteriores curarunt editiones, vel minimam hujus rei mentionem fecerunt. Cæterum editt. Aldinæ modo hanc, modo illam editionem antiquiorem sequuntur, passim vero lectiones exhibent, quæ non nisi in codd. MSS. et nonnunquam quæ in ipsis Aldinis primum reperiuntur; quod ex Var. Lect. apparebit. Inde intelligitur, eas ad Codices scriptos fuisse castigatas.

1501. * Ascensiana II (ut in Ascens. I, ann. 1498), *arte et industria Johannis de Vingle*, Lugd. 4 s. in-fol. min.

Exemplar Ascensianæ I, Lugd. 1498, descriptum fere sine memorabili mutatione.

1501. * Veneta XXI (n° 57). Venetiis, in-fol.

Repetitio Venetæ XVII, ann. 1498. Nonnunquam ab ea discedit et alias editt. sequitur : quam tamen lectionis varietatem excerpere haud operæ pretium duxi.

1501. * Brixiensis III (64). *Juvenalis cum comm. Britannici. — Impressum hoc opus Brixiæ ab Angelo et Jacobo Britannicis fratribus*, in-fol.

Cf. de hac edit. ad Venet. ann. 1499.

1502. ** Lipsiensis II (n° 58). *Juvenalis Satyræ*, Lipsiæ diligentia Baccalarii Martini Herbipolensis, Lipziensis civis emendatæ et a novo pressæ, in-fol.

Vid. ad Lipsiensem I, ann. 1497.

1503. Brixiensis IV. *Persius et Juvenalis cum comm. Britannici*, Brixiæ, in-fol.

1504. ** Lipsiensis III (n°. 58). *Juvenalis Satyræ*, Lipsiæ, in-fol.

Mera repetitio ed. Lipsiensis II, ann. 1502. In Catal. Bibl. Uffenbach, t. II, App. Incunab. art. typogr. n° 227, p. 79, laudatur hujus edit. exemplum, *copiis* (f. copiosis) *annotationibus et marginalibus MSS. ab anonymo quondam vet. ornatum.*

1505. * Ascensiana III (ut in Ascens. I, ann. 1498). — *Im-*

pressum est hoc opus rursus in ædibus Ascensianis apud Parrhisios impensis Joannis Meganc, Joannis waterloose et Jodoci Horenweghe flandorum, in-4°.

Hujus editionis (n° 65), cujus neque *Maittaire*, neque Fabricius meminit, titulum tantum, et ne satis quidem accurate, Henninius, qui eadem usus est in excerpendo Ascensii commento, notavit, et e Catal. Bibl. Uffenbach. l. l. n° 229, p. 80, descripsere socii Bipontini. In exemplari, quod ad manus habui, Juvenali juncta est *Publii Auli Persii familiaris explanatio per Jodocum Badium cum Jo. Britannici interpretatione*, Lugd. 1510.

Hæc tamen editio, quæ Paris. 1512 et 1519, recusa est, magnopere spem meam fefellit: est enim mera fere repetitio Ascens. I et II, Lugdun. 1498 et 1501. Nonnunquam tamen discrepat et ab his, et a Paris. 1512.

1507. * Lipsiensis IV (ut Lips. I, ann. 1497), textus emendatus diligentia Jac. Thanners Lipsiensis civis et a novo impressus Lipsiæ, in-fol. Conf. ad Lips. I, ann. 1497.

1507. *Juvenalis cum Merulæ et aliorum notis*, Lipsiæ, in-fol.

1507. * Ascensiana IV. *Juvenalis*, etc. (ut in Ascens. I, ann. 1498). *Lugduni arte et industria Stephani Baland*, in-fol. min.

Repetitio Ascensianæ I, Lugd. 1498.

1509. Veneta XXII. *Juvenalis cum comm. Jo. Britannici*, Venetiis *per Joh. de Tridino*, in-fol.

Memoratur in Engel. Bibl. selectiss. p. 118, recusa mox 1512, ab eodem typographo, qui Venetas ann. 1492, 1494, 1498 et 1501, typis expressit.

1510. *Juvenalis*, Colon. in-4°.

Hanc edit. et aliam Colon. ann. 1541, in-8°, servari in Bibl. Helmstad. per literas mihi significavit Cl. *Kunhardt*, qui tamen interiorem earum indolem non descripsit.

1511. Mediolanensis VI (n° 53). *Juvenalis cum comm. Britannici*, Mediolani *per Leonardum Vegium*, in-fol.

Conf. ad Mediol. I, ann. 1474.

1511. * Ascensiana V (ut in Ascens. I, ann. 1498). *Arte et industria Jacobi sa.* Lugduni, in-fol. min.

Nil fere recedit a reliquis Ascensianis.

1512. Ascensiana VI (ut in Ascens. I, ann. 1498). Lugduni, in-fol.

1512. ** Veneta XXIII. *Juvenalis, cum comm. Britannici, per Jo. Tacuinum de Tridino*, in-fol.

Recognita editio Veneta XVIII, ann. 1499, et exculta diligenti castigatione Britannici, qui etiam adjunxit *tabulam* (h, e, indicem verborum memorabilium) *adnotationes quasdam in Asinum Apuleii et Silvas Statii, brevem disputationem de Satyra et vitam Juvenalis.*

1512. ** Ascensiana VII, Parisiis, in-8°.

Vid. sup. ad Ascens. III. Paris. 1505. Collata est a Maittario in ed. Lond. 1716.

1512. *Juvenalis* Sat. apud Guill. Rubeum, Paris in-4°.

1513. Juntina. *Juvenalis et Persius*, Florentiæ *impensa Philippi di Giunta*, in-8°.

Ejus meminere Bauer in Bibl. libr. rariorum T. II, p. 216, et Goetze in Merkwürdigkeiten der Dresdner Bibliothek, p. 173, n° 213. Sed, quod doleo, nondum quisquam fuit, qui criticum eius usum exquireret: neque etiam præter hanc aliam Juntinam vidi memoratam. Vix tamen dubito, quin Junta more suo Aldinas expresserit editiones.

1513. *Juvenalis et Persii Satiræ*, Argentorati *per Jo. Knoblouch*, in-4°.

1514. Mediolanensis VII. *Juvenalis cum comm. Jo. Britannici; opus erroribus emendatum maximaque diligentia impressum per Jo. Angelum Scinzenzeler, impensis nobilium virorum Jo. Jacobi et fratrum de Lignano mercatorum Mediolanensium*, Mediolani, in-fol.

Recognita editio Veneta XXIII. Exemplum ejus possidet Cl. Borheck et aliud laudatur in Fabric. Bibl. Lat. t. II. p. 359, 360, ed. Lips. 1773. Juvenalem excipit *Persius cum pluribus additis annotamentis Angeli Politiani, Phil. Beroaldi et Bapt. Egnatii.*

1515. * Veneta XXIV (n° 50). *Juvenalis cum comm. Jo. Britannici.* — Opus impressum Venetiis per *Ge. de Rusconibus Mediolan.* in-fol.

Repetitio editionis Venetæ XXIII.

1515. Ascensiana VIII. *Juvenalis cum comm. Mancinelli et Badii Ascensii*, Lugduni, in-4°.

1517. *Juvenalis cum A. Mancinelli explanatione*, Coloniæ, in-4°.

Memoratur in eodem catal. p. 42.

1517. *Juvenalis*, Lugduni, in-4°.

Hujus edit. mentionem faciunt socii Bipontini, qui non male suspicantur, eam esse repetitionem ed. Lugd. 1512, nisi forte pro eadem habenda est et annus vitiose adscriptus 1517, pro 1512. Illa conjectura si vera est, hæc editio est Ascensiana nona.

1518. Veneta XXV. *Juvenalis et Persius*, in-fol.

1518. * (n° 66.) *Junii Juvenalis Aquinatis inter latinos satyrographos consumatissimi Satyræ emaculatius impressæ* Argentinæ per Jo. Knoblouch, in-4°.

Præclara editio et nova Juvenalis recensio, quæ textum quidem Aldinum pro fundamento posuit, sed multa in eo ex antiquis libris correxit. Recusa est ann. 1527, sed quis ei præfuerit vir doctus, haud compertum habeo.

1519. * Ascensiana IX, s. X; de quo v. ad Lugd. 1517 (n. 65). *Juvenalis familiare commentum cum Mancinelli explanatione, Parisiis*, in-4°.

Repet. ed. Ascens. III, ann. 1505.

1521. ** (n° 78). *Persius et Juvenalis*, Lugduni *opera Guilielmi Huyon impressoris*, in-8°.

Editio hæc a Beckio collata in multis locis Sat. I et II, quibus non nisi semel discrepat ab Aldina II, ex qua itaque expressa videtur.

1522. *Juvenalis*, Basileæ, in-8°.

1527. ** (n° 66). *Juvenalis una cum A. Persio recogniti.* — Argentorati *Joh. Cnoblochus excudebat*, in-8°.

Repetitio ed. Argent. ann. 1518.

1528. * Colinæi I (n° 67). *Junii Juvenalis Aquinatis Satyræ decem et sex, cum annotatiunculis in margine adjectis, quæ brevis commentarii vice esse possint.* Parisiis *apud Simon. Colinæum*, in-8°.

Recusa est ann. 1535 et 1542. Editiones Colinæi, ut Curio-

nis, Frobenii, Griphii et Rob. Stephani, ex Aldinis fluxere, sed quælibet etiam bona sibi propria passimque alias et nonnunquam meliores, habet lectiones. *Annotatiunculæ* illæ, nunc primum et deinde sæpius editæ, sunt Scholia Curionis, de quibus vid. ad edit. Basil. 1551.

1529. * *Junii Juvenalis Aquinatis Satyræ, ad imitationem Aldini exemplaris (primi et tertii) emendatæ et Curionis scholiis, satyræ cuilibet subnexis, illustratæ. Opus excusum* Cracoviæ, *per Mathiam Scharffenbergk, expensis Marci Scharffenbergk bibliopolæ ibidem*, in-8°.

1530. Veneta XXVI. *Persius cum Juvenali*, Venetiis *apud Bernardinum Stagninum*, in-12.

1531. ** (n° 79) *Juvenalis*, Basileæ, *per Valentinum Curionem*, in-8°.

Multis in locis Sat. I et II, inspecta a Beckio. Cf. ad edit. Colin. Paris. 1528.

1534. Gryphii I. *Persius et Juvenalis*, Lugduni *apud Seb. Gryphium*, in-8°.

Vid. ad edit. Colin. Paris. 1528.

1535. Veneta XXVII. *Persius cum Juvenali*, Venetiis *apud Bernard. Stagninum*, in-8°.

Repet. Venet. XXVI, ann. 1530.

1535. * Colinæi II, Parisiis *ap. Sim. Colinæum*, in-8°.

Repetitio ed. Colin. I, Paris. 1528.

1535. * Aldina III, Veneta XXVIII (n° 63). *Juvenalis, Persius. Aldus MDXXXV* (Venetiis), in-8°.

Vid. ad Aldinam I et II, ann. 1501.

1535. *** Gryphii II. Juvenalis et Persii Sat. ap. Seb. Gryphium Lugduni (in Bibl. Reg. Gall.), in-8°.

1537. *Juvenalis et Persius*, Lugduni.

teste Henninio. Est forsan Gryph. III.

1538. Veneta XXIX, *Juvenalis*, Venetiis.

1538. Gryphii III. *Juvenalis et Persii Satyræ jam recens recognitæ, simul ac annotatiunculis illustratæ*, Lugduni apud *Seb. Gryphium*, in-8°.

In edit. Bipont. ita describitur: « Hæc editio pulchrius literis Italicis expressa. Textus fere convenit cum Aldino exemplari,

sed et ab eo discedit, maxime orthographica ratione et interpretatione. Bonas subinde lectiones habet, quas Henninius ut in junioribus repertas probat. Exempla adfert Cl. *Lengnich Beiträge zur Kenntniss seltener Bücher*, t. II, p. 141—148; ubi hanc edit. pluribus describit. » Cf. ad ed. Paris. 1528.

1539. Veneta XXX. *Juvenalis Satyræ cum interpr. Jo. Britannici et Jodoci Badii Ascensii explanationibus*, Venetiis per *Bernardinum de Bindonis*, in-fol.

1540. *Juvenalis et Persii Satyræ*, Antverp. in-8°.

1541. *Juvenalis*, Colon. in-8°.

Vid. ad edit. Colon. ann. 1510.

1542. ** Colinæi III (n° 67). *Juvenalis et Persius*, Parisiis *apud Simon. Colinæum*, in-12.

Collata a Maittario in ed. Lond. 1716. Cf. ad Paris. 1528 et 1535.

1543. *Juvenalis*, Parisiis.

1544. * Rob. Stephani I (n° 68). *Juvenalis et Persii Satyræ, ad vetustiss. scripta exemplaria emendatæ; quorum varias lectiones ad calcem rejecimus.* Lutetiæ, *ex officina Rob. Stephani typographi regii*, in-8°.

Ad calcem leguntur *variæ lectiones*, paucæ quidem, sed bonæ nonnunquam et receptæ, *ex vetusto* (non accurate descripto) *codice Rob. Stephani :* et hæc sunt *vetustiss. scriptæ exemplaria*, ad quæ Satiras a se emendatas esse, in titulo profitetur. (Cf. ad ed. Paris. 1528.) Nota autem res est, editiones hujus Stephani, æque ac Aldi, inter emendatissimas esse referendas, et ab utroque iis, qui operarum errores deprehenderent, ingentia sæpe præmia fuisse promissa. Hic Robertus Stephanus fuit gener Jod. Badii Ascensii, frater Caroli et pater Henrici atque Roberti II. Henricus præter alios liberos filium reliquit Paulum (patrem Antonii) filiamque eruditam Catharinam, uxorem Is. Casauboni; Robertus vero II, duos filios, Franciscum et Robertum Stephanum III, qui Juvenalem, Paris. 1613 et 1616, typis expressit. Hi Stephani fuere omnes celeberrimi typographi iidemque doctissimi : vid. *Almeloveen*, de Vitis Stephanorum; et *Maittaire*, Historia Stephanorum.

1544. *Persius cum Juvenali*, Francofurti, in-12.

1545. * Gryphii IV (n° 71). *Juvenalis Satyræ jam recens cognitæ atque emendatæ.* Parisiis, *ex officina Francisci Gryphii*, in-16.

Plerumque convenit cum editt. Seb. Gryphii. Cf. ad Paris. 1528, et Lugdun. 1538.

1546. * *Juvenalis et Persii Satyræ.* — Basileæ *apud Nicolaum Brylingerum*, in-12.

Congruit cum Aldinis et Stephanianis.

1546. Gryphii V. *Juvenalis Satyræ apud Seb. Gryphium*, Lugduni, in-12.

1548. Veneta XXXI. *Juvenalis cum comm. Jo. Britannici*, Venetiis, in-fol.

Memoratur in Henninii Ind. editt. Juven. et Veneta hujus anni *cum explanat. Jod. Badii Ascensii* in Catal. Bibl. Francofurti d. 8. Jul. 1799, venditæ p. 17. Uterque autem commentarius forte junctus, et hæc editio ex Veneta XXX expressa est.

1549. ** Rob. Stephani II (n° 69). *Juvenalis et Persius*, Lutetiæ, ex off. *Rob. Stephani*, in-8°.

In hac altera Stephani editione, quam *Maittaire* in ed. Lond. 1716, contulit, lectio poetæ passim ad alios libros antiquiores mutata reperitur. Cf. ad ed. ann. 1544.

1549. Veneta XXXII. *Juvenalis*, Venetiis.

1551 ** Frobeniana (n° 80). *Persii Satyræ cum comm. Badii, Britannici, Plautii* al. *Juvenalis cum comm. Britannici et scholiis Curionis*, Basileæ *ap. Hieron. Frobenium et Nicol. Episcopium*, in-fol.

Multis locis Sat. I et II, collata a Beckio. Vid. ad Venetam I et Paris. 1528. Nunc primum edita sunt hæc scholia *Cœlii Secundi Curionis*, Theologi atque Philologi olim clarissimi, in agro Taurinorum, ann. 1503, nati, qui primum in Italia, deinde Lausanæ et Basileæ Rectoris, Magistri liberalium artium et Prof. eloq. partes egit. Scholia illa pauca tantum et brevia sunt, sed passim bona et utilia, quibus tum præterita ab aliis explicantur, tum Britannici potissimum emendatur commentarius. In fronte autem hujus edit. *nova* dicuntur, quoniam alia jam prius vulgaverat Curio eaque brevissima,

quæ margini editionum Colinæi, Gryphii aliorumque adjecta sunt. Vid. ad ed. Paris. 1528.

1556. * (n° 73). *Junii Juvenalis et A. Persii Satyræ, annotatiunculis* (Curionis) *illustratæ*, Lugduni *apud Antonium Vincentium*, in-12.

Textus expressus est fere ex editt. Gryphii, ut in Lugd. 1561 et 1564. Socii Bipontini hujus editionis loco memorant aliam, a se collatam, ejusdemque tituli, loci et anni, quæ ex rec. Junii sit, sed prodierit *apud Jo. Frellonum* : unde hæc alia videtur esse. Nostra tamen plane convenit cum ed. Frellon. Lugd. 1564.

1557. *Juvenalis et Persii Satyræ*, Lugduni, in-12.

1557. ** *Juvenalis*, Parisiis, *ap. Vascosanum*, in-4°.

Collata a Maittario in ed. Lond. 1716. Raro dissentit a recensione Ascensiana.

1559. *Juvenalis et Persius, cum annotatiunculis in margine*, Antverp. in-8°.

1560. * Gryphii V (n° 72). *Juvenalis et Persii Satyræ, cum vetustissimis iisque mss. codd. denuo collatæ et emendatæ.* Lugduni, *apud hæredes Seb. Gryphii*, in-12.

Nova recensio, quæ tamen non multum notavit in textu, quem reliquæ exhibent Gryphianæ. Auctor ejus forte est Ant. Gryphius filius, qui eodem anno *Lugduni, apud hær. Seb. Gryphii*, edidit *Virgilii Opera*, et bis ann. 1567 Juvenalem.

1561. * *Juvenalis et Persii Satyræ, jam recens recognitæ, simul ac annotatiunculis* (Curionis) illustratæ. Paris. *apud Hieron. de Marnef*, in-12.

Raro discedit ab edit. Gryph. Paris. 1545.

1562. *Juvenalis et Persius*, Lugd. *ap. Frellonum*, in-12.

Repet. edit. Lugdun. 1556, quod Sodales Bipontini docent ex Engelii Biblioth. sel. p. 40. in voc. *Catullus.*

1564. * (n° 73). *Juvenalis et Persii Satyræ, annotatiunculis* (Curionis) *illustratæ.* Lugduni, *ap. Jo. Frellonium*, in-12.

Cf. ad Lugdun. 1556.

1565. * Pulmaanniana s. Plantiniana I (n° 75). *Juvenalis Satyrarum Libri V, Persii Flacci Satyrarum Liber I, Theod. Pul-*

manni in eosdem annotationes. Antverpiæ, *ex off. Christoph. Plantini*, in-8°.

Pulmannus, (*Poelmann*) quum a pannificio, quod primum didicerat, ad philologiam transiisset, in multos auctores classicos notas scripsit, in quibus tamen pauca tantum ex ipsius ingenio profecta sunt et omnia fere ex aliorum libris, præcipue ex Turnebi Adversariis, petita. Hujus quoque generis sunt *annotationes* ejus in Juvenalem, ad calcem hujus ed. rejectæ, in quibus etiam reperiuntur passim literæ *N. P. M. I.* quarum compendia ne ipse quidem explicuit. Probabilis autem est conjectura Henninii, iis designari codd. mss. *Noviomagensem*, *Pulmanni*, *Miggrodii*, *Junii*, ex quorum fide Juvenalem a se restitutum esse jactanter magis, quam vere, in Præf. profitetur. Eum negligentiæ in conferendis MSS. jam arguit Nic. Heinsius in Præf. ad Claudianum. Cæterum hæc editio mox repetita est ann. 1566, 1585, 1587, 1590, in margine autem leguntur Scholia Hadr. Junii, Medici atque Philologi Batavi, (n° 1511, † 1575), in quibus et variæ lectiones, sed simpl. non designatis codd. qui eas exhibent, recensentur, et loca quædam obscura paucis, at sæpe perperam, explicantur.

1566. Pulmanniana s. Plantiniana II. *Juvenalis*, etc. ut in edit. I, ann. 1565, Antverpiæ, *ex off. Plantini*, in-8° et in-12.

1567. *** *Juvenalis et Persii Sat. per Antonium* (forsan Gryphium) Lugduni, in-8°.

(*Biblioth. de Sainte-Geneviève.*)

1567. *** *Juvenalis et Persii Sat. vett. MSS. denuo collatæ et annotatt. locupletatæ Ant. Gryphii*, Lugduni (in Bibl. Reg. Gall.), in-12.

1572. *** *Juvenalis Sat. per Jac. de Fivisa*, Venetiis s. a. (*Catalogue de La Vallière*), in-4°.

1576. Gryphii VI. *Juvenalis et Persius*, Lugduni, in-16.

1583. Veneta XXXIII. *Juvenalis cum comm. Domitii Calderini*, in-fol.

1585. Pulmanniana s. Plantiniana III. *Juvenalis*, etc. ut in edit. I, ann. 1565, Antverp. in-24 et in-16.

1585. * Pithœi I (n° 75). *A. Persii Satyrarum liber I, D. Junii*

Juvenalis Satyrarum libri V, Sulpiciæ Satyra I, cum veteribus commentariis (Scholiis) *nunc primum editis. Ex bibliotheca P. Pithœi Jurisconsulti cujus etiam Notæ quædam adjectæ sunt.* Lutetiæ, *apud Mamertum Patissonum*, in-8°.

Editio præstantissima et inter emendatissimas referenda. Petrus Pithœus, frater Francisci (qui fratres gemini fuere celeberrimi illius ætatis Jurisconsulti summisque honoribus Parisiis ornati), de contextu tam Juvenalis quam Persii emendando præclare meritus est, adhibitis in consilium codicibus scriptis et potissimum quidem antiquissimo Budensi, qui olim Matthiæ Corvino regi Hung. fuerat, et ex quo etiam primus integra edidit *Scholia vetera*, quorum dimidiam tantum partem, sed non ita diligenter exscriptam, vulgaverat Valla (vide sup. ad edit. Venet. VIII, ann. 1486). *Scholia* hæc, quibus similia in multis MSS. Juvenalis reperiuntur, et quæ admodum corrupte descripta sunt (unde multi in iis emendandis ingenium exercuere, de quibus vid. edit. Hennin. et *Achaintre*), a nonnullis tribuuntur Cornuto, ab aliis Petro Birthio, a plerisque *Probo*, sive Valerio Probo, Grammatico Berytio, sive aliis hujus nominis grammaticis (de his vid. *Heyne* de editt. Virg. t. I, p. CXLVIII, ed. sec. et Burm. ad Anthol. t. I, p. 739, et in Præf. p. 35): sed probabilior est conjectura eorum, qui putant, centonem hunc esse e variis et a variis, sine delectu, consutum, et multa sapere ævum serius et Imperatorum Christianorum (v. c. scholia ad Sat. V, 17; VIII, 170; XI, 87; XIV, 78, 102), nonnulla etiam sibi repugnare. Cæterum non diffiteor, Scholiasten Pithœanum fuisse hominem doctum, qui et poetæ passim mentem recte ceperit multumque lucis affuderit locis aliquot obscuris, et varias memoraverit fabulas, historias atque opiniones antiquas, quæ alibi frustra quærantur. Sed idem quoque recte mihi contendere videor, primum longe plurimas ejus explicationes nimis leves ac triviales, tenues et jejunas, subtiles et argutas, alienas et ineptas, obscuras et contortas esse; deinde, quoties fere Juvenalis ad ignotos nobis homines vel eventus sui temporis respiciat et inde materiam petat facetiarum, illum, Acronis, Porphyrionis aliorumque grammaticorum exemplo, non alia ac plura nos

docere, quam quæ ex ipsis poetæ verbis cognoscere liceat, vel, quia hæc non intellexerit, commentitias inde ac futiles nonnunquam fabulas componere; præterea eum sæpe non notissimas tantum historias et res pluribus exponere verbis, sed verioribus quoque ac certioribus, quæ Tacitus aliique tradiderint, nugas et commenta, ex perversa horum interpretatione enata, sive admiscere, sive substituere.

1587. Pulmanniana IV. *Juvenalis et Persius.* Antverp. *ex off. Christophori Plantini.*

1590. Pulmanniana V. *Juvenalis et Persii Satyræ.* Lugduni, *apud Plantinum*, in-12.

1590.* Pithœi II (n° 76). *A. Persii*, etc. ut in Pith. I, Heidelbergæ (ex officina Sanctandreana), in-8°.

Est repetitio ed. Paris. 1585, sed emendatior, in qua Commelinus et distinctionem et lectiones pluribus mutavit locis. Vid. Var. Lect. ad V, 91, 142; VI, 82, 114, 127, 320, 330, 369, 402, 524, 537; VII, 23, 46, 124, 236; VIII, 66, 90, 122, 123, 239; IX, 146; X, 34; XI, 20; XII, 116; XIV, 45. Socii Bipontini hæc adnotarunt: « Exemplar hujus ed. servatur hodie in Bibl. Acad. Heidelberg. idque ante Grævium possessorem fuerat viri quondam eruditissimi, oratoris, poetæ et politici, Dan. *Eremitæ* († 1613), qui et vetera comm. a Pithœo edita multis locis emendavit. Fuit quoque exemplar in Bibl. peritl. Lud. Bernh. de Zech, Lipsiæ 1780, divendita, quod quondam fuerat J. Fr. Christii, qui sua manu marginibus adnotatiunculas Fr. *Lindenbrogii* descriptas adjunxit. » Hoc exemplar, quod nunc in Biblioth. Acad. Lips. est, inspexi et comparavi. In notis autem Lindenbrogii (*Lindenbruch*), non nisi varietas lectionis, sed simpliciter et sine judicio auctoritatis vel codicum, e quibus excerpta est, passim notatur, et vicies vel tricies similia veterum scriptorum loca et Turnebi Adversaria excitantur.

Duæ aliæ hujus anni editiones Hennihio laudantur:

1590, *Juvenalis c. n. Pithœi*, Paris. ap. *Patisson*, in-8°, et

1590, *Juvenalis c. n. Pithœi*, Antverp. in-8°.

1596. *** *Juvenalis Satiræ et in eas Phyliræ Bertrandi Autumni Ant. Ravissa*, Basileæ (in Bibl. Reg. Gall.), in-4°.

1597. *D. Junii Juvenalis Satyrarum libri quinque, locupletissima, nec minus utili, paraphrasi illustrati a Federico Ceruto Veronensi;* Veronæ, in-4°.

Hæc editio nullum habet usum criticum, neque interpretatio poetæ valde juvatur paraphrasi, quæ tamen Augustæ Vindel. 1599, 1600 et 1603, repetita est. Tali quoque paraphrasi Cerutus Virgilium et Horatium illustrare est conatus. *Eam ultra verbalem constructionem raro adsurgere*, jam monuit Henninius.

1599. *Juvenalis*, Rostoch, in-8°.

1600. *Ed. Raphelengiana* (Lugd. Bat. ex off. Plantin. ap. Rapheleng.) in-8°.

SÆC. XVII. 1601—1701.

1602. ** *Juvenalis Satyræ* XVI, *cum veteris scholiastæ et Jo. Britannici commentariis; quibus accesserunt P. Pithœi, Curionis et Pulmanni notæ et variæ lectiones: ad calcem adjecta est Sulpiciæ Satyra.* Lutetiæ, *apud Claud. Morellum*, in-4°.

Editio recusa ann. 1613, et utraque collata a Maittario in ed. Lond. 1716. Morellus in textu poetæ exprimendo sequutus est editiones Pithœi, in recudendo Britannici commentario Frobenianam ann. 1551.

1602. *Juvenalis, cum comm. Lubini*, Rostocæ, in-8°.

Laudatur ab Henninio. Vid. mox ad ann. 1603.

1602. Index omnium vocabulorum in Sat. *Juven.* Paris. in-4°. *Biblioth. Bodl.*

1603. *Juvenalis, cum paraphr. Fed. Ceruti*, Augustæ Vindelic. in-4°. Cf. sup. ad ann. 1597 et 1599.

1603. Gryphii VII. *Persii et Juvenalis Satyræ;* Lugduni, *ap. Gryph.* in-12.

1603. *Juvenalis*, Paris. in-4°.

1603. *Juvenalis et Persii Satyræ cum comm. Theod. Pulmanni et Eilh. Lubini*, Lugduni, in-12.

1603. * Lubini II s. Wecheliana (n° 77). *Juvenalis Satyrarum libri V, ex duobus mss. exemplaribus et vetustiss. ms. Commentario plus quam ducentis locis correcti. Præterea A. Flacci*

Persii Satyrarum liber unus. Cum analysi et doctissimis commentariis, partim nunc primum, partim de integro editis, Eilhardt Lubini. In fine accessit rerum et verborum index utilissimus. Hanoviæ, *typis Wechelianis*, in-4°.

Lubinus Juvenalem et ad fidem codicum MSS. recensere, et interpretari conatus est, sed impar fuit talibus ausis. Raro notavit varietatem lectionis, et modo hanc, modo illam recensionem superiorem, plerumque Stephani, Gryphii et Pulmanni, sequutus videtur. Commentarius autem speciosus verbis, re inanis est et verbosum prodit nugatorem, qui pleraque non semel, sed bis terve, mutatis verbis παραφράζει, et vanam sæpe alienamque ostentat doctrinam, quæ multa tum obscura non illustrat, tum satis clara et perspicua alienis luminibus affusis obfuscat: quare vix satis mirari possum, quid causæ fuerit, quod recentiores interpretes, Prateus, Schrevelius, Marshall aliique hunc commentarium cæteris longe præferendum et ad verbum fere repetendum aut unice sequendum censuerint. Neque meum modo hoc judicium est, sed Henninii quoque et aliorum.

1603. *Juvenalis*, in Voll. II. Corp. poet. Lat. edit. a Sam. Crispino, Genevæ (Aureliæ Allobr.) in-4°.

Editio recusa ann. 1611 et 1627.

1605. *** *Juvenalis et Persii Satiræ, ex officina Plantiniana Raphel.* Antverpiæ (in Bibl. Reg. Gall.), in-16.

1607. *Juvenalis et Persii Satyræ cum commentationibus et Paralipomenis* B. Autumni. Paris, 1607. *Item Stephani* Claverii *commentarius in A. Persii Satyras*, Paris. 1607. *Item* Claverii *periphrases ænigmaticæ in Juvenalem: adjunctæ* Jos. Scaligeri, Lipsii *et aliorum explicationes.* Parisiis, *apud Rob. Fouet*, in-8°.

Claverii Periphrases quorumdam locorum Juvenalis difficiliorum, ab Henninio insertæ Notis Selectis, paucæ sunt et exiguo vel nulli adeo usui ad interpretationem poetæ. Cf. Barth. ad Sat. t. I, p. 432. De *Autumno* recte jam Henninius ita judicavit: « *Bernardus Autumnus* Nitiobrix, in Senatu Burdigalensi patronus, summa cum pompa promittit *Commentationes, Observationes, Paralipomena* in has Satiras a se ex MSS. (si Diis placet) restitutas, omnesque ante eum Interpretes no-

minatim mox ab initio jactat castigatos. Verum, sine invidia verum mihi liceat dicere, si singuli sua repetitum venirent, nudus remaneret procul dubio ineptissimus rhapsodus, ut Barth. Advers. XXVII, 17, aliisque, non sine ingenti merito suo, dicitur. »

1607. *Juvenalis, cum ind. Langii*, Friburgi, in-4°.

1608. *Juvenalis et Persius, cum Jos. Langii indice omnium vocabulorum*, Friburgi, in-4°.

Jos. *Langii*, Cæsaremontani, Rhetorices et Græcarum Lit. Profess. in Academia Friburgensi, opera posita tantum in conficiendo Indice vocabulorum (et quidem singulorum tantum), non phrasium, absolutissimo, qui ab aliis deinde editoribus, etiam Henninio et *Achaintre*, receptus est, sed non adeo magnum habet usum. Similis Index jam in antiquis editt. reperitur; hic tamen plenior est.

1610. *Juvenalis Satyræ, castratæ in usum Collegii S. I. Brunsbergensis*, Coloniæ, in-8°.

1611. *Persius et Juvenalis* in vol. I et II, Corp. Poet. Lat. Crispiniani edit. II. Genevæ, in-4°. Vid. sup. ad ann. 1603.

1612. *Juvenalis et Persius, cum not. et ind. omnium verborum*, Genevæ, in-12.

1612. *Juvenalis et Persius, cum notis Thomæ Farnabii*, Londini, in-12.

Editio hæc, scholarum usibus inserviens, sæpissime repetita est in-8° et in-12, Paris. 1614, atque multo emendatior et auctior Lond. 1620, 1633. Francof. ad M. 1623. Amst. 1624, 1631, 1633, 1634, 1641, 1642, 1648, 1650, 1652, 1662, 1668, 1670. Paris. 1626, 1628, 1644. Lugd. 1650, 1672. Hagæ Com. et Roterod. 1683. Roterod. 1702. Pictav. 1705. Notæ, margini adscriptæ, breves sunt et maximam partem ex aliis interpretibus; non magna judicii subtilitate, selectæ; in textu vero et lectio et distinctio parum proba et accurata.

1613. * *Junii Juvenalis*, etc. ut in edit. I, ann. 1602. — *Additus est index geminus rerum et verborum omnium absolutissimus.* Lutetiæ, *apud Claud. Morellum*, in-4°.

1613. *Juvenalis et Persius*, Coloniæ, in-12.

1613. Stephani III, Rigaltii I (n° 70). *Juvenalis Satirarum*

libri V, Sulpiciæ Satira cura Nic. Rigaltii. Lutetiæ, *ex off. Rob. Stephani* III, in-12.

Conf. ad Rigaltii edit. II, ann. 1616.

1614. *Grangæi (n° 81). *Juvenalis Satyræ cum comm. Is. Grangæi.* Parisiis, *apud Rob. Fouet*, 1614, in-4°. *Juvenalis cum comm. Bern. Autumni.* Paris, 1614. *Juvenalis cum comm. Dom. Calderini*, Paris. in-4°.

De *Autumno* vid. ad edit. Paris. 1607, de *Calderino* ad ann. 1474. *Grangæi*, Gymnasiarchæ Vindocinensis, opera magis ad interpretationem, quam ad rem criticam spectat. Commentarius ejus est omnium longe doctissimus, sed multa quoque, quæ ad poetam nihil faciunt, ad singulas voces et sententias in eo adnotata sunt et operose congesta. Conf. ad edit. Venetam XVIII, ann. 1499.

1616. *Stephani IV, Rigaltii II (n° 70). *D. Junii Juvenalis Satirarum libri V, Sulpiciæ Satira. Nova editio, cura Nicolai Rigaltii.* Lutetiæ, *ex officina Rob. Stephani* III, in-8°.

Editio hæc nova utrum a priore ann. 1613 differat, necne, dicere non habeo. Classica autem est et superioribus præferenda omnibus emendatæ sanæque lectionis nomine; simplici quoque elegantia et nitore typographico commendanda. Ei præfixa est Rigaltii *Diss. de Satira Juvenalis*, adnexæ autem ad calcem *Notæ et Notæ aliquot repetitæ lectionis.* In hisce notulis plerumque vera poetæ mens declaratur vel tribus quatuorve verbis, vel collatis aliorum scriptorum locis, et variantes lectiones membranarum bis tantum, aliorumque librorum, nescio utrum scriptorum an editorum, toties vel ter laudantur: quod neque sæpius, neque accuratius, libris designatis, factum esse et miror et doleo; quum Rigaltius haud dubie usus sit opibus Biblioth. Regiæ Paris. in qua certe in ordinem digerenda adjuvit Casaubonum, cuique post hujus mortem præfuit. — Sodales Bipontini duplicem edit. Rigaltianam hujus anni, alteram Persii, Juvenalis et Sulpiciæ, in-8°, e Bibl. Cordesiana, p. 499, alteram Juven. et Sulpic. in-12, e Catal. *de la Bibl. du Roi, Belles Lettres*, t. I, p. 318, memorant.

1617. *Persius et Juvenalis*, uterque omni obscœnitate expurgatus, in Alex. Ficheti Choro poetarum, Lugduni, in-4°.

1619. Lubini III, s. Wecheliana II. *Juvenalis et Persius, cum comm. Lubini*, Hanoviæ, in-4°.

Repetitio edit. ann. 1603, qua usus est Henninius.

1619. *** *Juvenalis et Persius cum comm. Lubini apud David et Daniel Aubry*, Hanoviæ, in-8°. (In Bibl. Reg. Gall.)

1619. *Juvenalis et Persius*, Amstelod. in-24.

1621. ** *Juvenalis Satyra II* (Paris.), *ap. Jo. Libert*, in-4°.

Ejusdem typographi impensis excusæ Sat. VI ann. 1622; Sat. XIII, ann. 1624; Sat. I, ann. 1643; Sat. III, ann. 1644; Sat. IV, V, VII, VIII, sine nota anni; et Sat. XII, ap. viduam Libert. ann. 1652. Quæ editiones collatæ sunt a Maittario in edit. Lond. 1716, et modo hanc, modo illam recensionem, plerumque Gryphianam, sequuntur.

1627. *Persius et Juvenalis* in Corp. poet. Lat. Crispiniano, edit. III, Genevæ, in-4°. Cf. ad ann. 1603 et 1611.

1644. ** *Juvenalis et Persius*, Parisiis *ex typogr. Regia*, in-fol.

Editio collata a Maittario et splendide excusa prelo Luparensi, ex quo etiam Virgilius, Horatius et Terentius non minore impensa et nitore exierunt.

1648. Schreveliana I. *Juvenalis et Persii Satyræ cum veteris Scholiastæ et Variorum commentariis, accurante Corn. Schrevelio*, Lugduni Bat. in-8°.

De hac edit. vid. inf. ad quartam ann. 1664.

1651. *Juvenalis et Persius, ex doctorum virorum emendatione*, Amstelodami *ap. Lud. Elzevirium*, in-12.

Editio videtur digna, quæ inspiciatur.

1652. *Juvenalis et Persius*, Genevæ, in-12.

1658. Schreveliana II vel III. *Juvenalis et Persii Satyræ cum Vet. Scholiastæ et Variorum Commentariis, accurante Corn. Schrevelio*, Lugduni Bat. in-8°.

Repetit. edit. ann. 1648. Utrum vero secunda an tertia sit Schreveliana, dicere non habeo: editio certe ann. 1664 est quarta; quod ex Præfat. ejus intelligitur.

1664. *Schreveliana IV. *Juvenalis* (Sulpiciæ), *et Persii Satyræ cum Vet. Scholiastæ et Variorum Commentariis, accurante Corn. Schrevelio* (M. D. et Gymn. Lugd. Bat. Rectore), Lugd. Batav. et Roterod. in-8°.

Editio *cum notis Variorum*, quales a Batavis Sæc. XVII curari solebant; in quibus multorum notæ (et quidem, quod mireris, integræ Lubini et Farnabii, selectæ aliorum) larga manu, sine judicio ac delectu, non ubi iis opus erat, sed ubi hic vel ille commentator eas adscripserat, congestæ, et sæpissime vel eadem, quæ plures observarunt, bis terve apposita, vel vulgaria, aliena ac falsa excerpta sunt; varietas autem lectionis vix quinque vel sex locis, nec fere nisi verbis *alii legunt*, notata, etsi editor usus est et multorum commentariis, editionibus observationibusque, et quatuor codd. MSS. Salmasii et Gudii. In textu tamen constituendo felicior ille fuit, (plerumque enim sequutus est recensionem Rigaltii in ed. Stephan. III,) quam in delectu notarum. Scholia autem vetera sæpe pro lubitu et perperam emendavit; et tamen Henninius incaute eum sequutus est: vid. sup. ad edit. Pithœi I, ann. 1585.

1669. *** *D. Junii Juvenalis et A. Persii Flacci Sat. apud Sim. Bernard*, Parisiis, in-12. (*Bibl. de l'Arsenal.*)

1671. *Juvenalis et Persii* (nec non Sulpiciæ) *Satyræ ex doctorum virorum emendatione.* Amstelodami, *typis Dan. Elzevirii*, in-16. Repetit. forte edit. ann. 1651.

1671. *Juvenalis et Persius cum notis Variorum et Mich. Marollesii, cum ejusd. vers. Gallica*, Lutetiæ, in-8°.

1671. *** Schrevel V. *Juvenalis*, etc. Lugd. Bat. in-8°.

1675. Satiræ VIII *Juven.* cum notis Vorstii, Lips. in-8°. *Biblioth. Bodl.*

1680. *Juvenalis et Persius*, Roterod. in-12.

1681. *Juvenalis et Persius latine cum versione gallica Valterii* (*de La Valterie*), Paris. in-8°.

1683. *** *Juvenalis Satiræ ab omni obscœnitate expurgatæ, apud Masson*, Parisiis, in-12. (*Biblioth. de Sainte-Geneviève*).

1684. Schreveliana VI. *Juvenalis*, etc. ut in ed. IV ann. 1664. Amstel. *ex off. I. H. Wetstenii*, in-8°.

1684. Hæc editio prioribus auctior est, adjectis varr. Lectt. cod. Basil. et Grævii notis, sed paucis tantum et criticis. Cf. ad ann. 1664. Præter hanc edit. a sociis Bipontinis alia memoratur h. a. nec nisi his verbis: *Schreveliana*, Amstel. in-8°.

Mai. 1684. **Juvenalis et Persii Satiræ, notis illustravit Ludov.*

Prateus, Rhetoricæ Professor emeritus, jussu Regis, in usum Delphini, Parisiis in-4°.

Prateus inter meliores Juvenalis interpretes eosque, qui in Delphini usum commentati sunt, referendus est, et contextui poetæ paraphrasticam *interpretationem*, huic vero copiosas subjecit *annotationes* maximamque partem ex aliorum commentariis excerptas; quibus et summam cujusque satiræ nexumque sententiarum, et obscuriora loca, verba ac res explicare conatus est. Multa tamen immiscuit tum vulgaria, tum falsa et aliena; quæque res postulabat, sæpe non monuit: permultos quoque versus, nimio castitatis studio et exemplo aliorum (vid. ad ann. 1610, 1617, 1685, 1689, 1697), resecuit; sed eosdem perperam et imprudenter in unum locum congestos ad calcem editionis suæ rejecit: nam qui his lautitiis pascuntur, eas in tali lance satura appositas cupide devorabunt. Præterea omnis fere opera ejus in commentando versata est, non in textu emendando, et passim revocata lectio, quam Pithœus, Rigaltius aliique jam recte respuerant. Recusa est hæc editio Rhotomagi 1685, Lond. 1691, 1699, 1708.

1685. Henniniana I. *D. Junii Juvenalis Satyræ, scholiis veterum et fere omnium eruditorum, qui ex professo in eas scripserunt, commentariis tam antea vulgatis, quam novis.... illustratæ, quibus sua spicilegia adjecit. Henr. Christ. Henninius.* Ultrajecti, *apud Rud. a Zyll.* in-4°. Vid. inf. ad edit. II, ann. 1695.

1685. *Juvenalis Satyræ omni obscœnitate expurgatæ.* Turonibus, *apud Phil. Masson*, in-12.

1685. *Juvenalis et Persii Satyræ in usum Delphini, cum interpr. et notis Ludov. Pratei*, Rhotomagi, in-4°.

1685. *Juvenalis et Persius*, Antverp. in-12.

1689. *Persius et Juvenalis cum paraphrasi gall. Tarteroni S. J.* Paris, in-12. In hac edit. omissa sunt loca obscœniora. Versio Tarteroni repetita Amst. 1695, Paris. 1706, 1729, 1737, 1752.

1695. *Persius et Juv. cum vers. gall. Tarteroni*, Amstel. in-12.

Ita Fabric. et ex eo alii. Sed Paris. 1695 hæc versio repetita est, ut ibidem sæpius, si fides habenda Catalogo Bibl. Francofurti d. 8 Jul. 1799 divenditæ.

1595. * Henniniana II. *D. Junii Juvenalis Aquinatis Satyræ,*

cum Scholiis Veterum et Commentariis integris, selectis et conquisitis fere omnium Eruditorum, ut Grangæi, Britannici.... Henninii. Accedit A. Persii Flacci Satirarum liber. Isaacus Casaubonus recensuit et commentario libro illustravit. Lugduni Bat. *apud Petrum van der Aa*, in-4°.

Repetitio edit. Ultraject. ann. 1685, quæ omnium præstantissima est, et curata ab Henr. Christ. *Henninio*, historiarum et eloquentiæ in Acad. Duisburg. Professore, qui ann. 1706 e vita discessit. Ea continentur I, *Prolegomena*, et in his Vita Juvenalis, quæ Suetonio tribuitur, Rigaltii diss. de ejus Satira et index octo codd. MSS. Juvenalis (qui a nobis in Var. Lect. numeris 2—7, 28 et 29, designantur); Editionum tam vulgatarum, quam promissarum (quæ admodum brevis et manca est); Versionum, nec non Variantium Lectionum (quæ deprehenduntur tum in octo illis codd. mss. tum in editt. Grangæi ac Stephani I et II); II, *Juvenalis Satyræ XVI*, cum *Scholiis Veterum* et *Grangæi* Commentariis; III, Commentaria Britannici, immixtis Scholiis Curionis et Merulæ; IV, V, VI, Adnotationes Pulmanni, Pithœi et Rigaltii; VII, Calderini Commentaria; VIII—X, Notæ variorum variæ et selectæ; XI, Henninii Spicilegia; XII, Peplus notarum ad Scholia Veterum; XIII, Index vocabulorum, de quo v. ad edit Langii ann. 1608. — Hæc est summa vasti hujus operis et celebratissimæ editionis. Cujus si externam speciem consideres, nitidissima est, si internam indolem, et hic cognosces, non omne quod niteat aurum esse. Vere eam dixeris indigestam vanæ speciosæque doctrinæ farraginem rudemque rerum inutilium molem. Præterea Henninius non novam nobis neque poetæ, neque veteris Scholiastæ, recensionem dedit, sed Schrevelianam (de qua v. ad ann. 1664) et notas Variorum codicumque MSS. lectiones non, ut Schrevelius, ad quævis poetæ loca, ad quæ spectant, sed has seorsum in Prolegomenis et excerptis Pithœi, Rigaltii aliorumque notis memoravit, illas singulatim ita, ut unum commentarium alter excipiat, descripsit; qua perversa ratione dici non potest, quam molestum difficilemque reddiderit editionis suæ usum. Hæc et alia jam notarunt alii, inpr. Lengnich in *Beiträgen zur Kenntniss seltener*

Bücher, t. II, p. 134—141, et Clericus in *Bibliothèque ancienne et moderne*, Amst. 1718, in-12, t. IX, p. 113.

1697. *Juvenalis et Persius, cum interpr. ac notis Jos. Juvencii* (*Jouvency*) *S. I.* Rothomagi, in-12.

Juvencius aliorum exémplo obscœna prætermisit loca (v. ad edit. Pratei ann. 1684), et cavere voluit, ne nimis vel breves vel prolixæ essent notæ. Editio auctior et emendatior prelo exiit Rothomagi 1709, Paris. 1700, 1715 et 1729.

Juvenalis et Persius, ex doctorum virorum emendatione, Amstel. *ap. Henr. Wetstenium*, in-16 s. a.

Hæc editio, ut verba Sodalium Bipontinorum mea faciam, imitatur quidem Elzevirianam (ann. 1651 et 1671), sed et subinde ab ejus lectione differt.

SÆC. XVIII. 1701—1800.

1711. *Juvenalis et Persii Satiræ, cum notis et metaphrasi Hetrusca, e regione posita. Edidit Camillus Sylvester, Comes ac Nobilis Rhodiginus*, Patavii, in-4°.

Vid. *Journal des Savants*, 1713, *août*, p. 231. Annum 1712 memorant alii, nisi hæc repetita est editio. Notæ et Diss. sunt doctissimæ et potissimum antiquariæ, in quibus multæ etiam, et antea ineditæ, Inscriptiones exhibentur. Vellem iis uti potuissem.

1713. *Persius et Juvenalis*, in Operibus et Fragmentis vett. poet. lat. a Maittario editis, vol. II, p. 884—889, et p. 1142—1166. Londini, in-fol.

1716. * *D. Junii Juvenalis et Auli Persii Flacci Satiræ*, Londini, *ex off. Tonson et Watts*, in-12.

Hanc edit. curavit *Mich. Maittaire*, qui aliquot contulit editiones antiquas. Inde tamen non multum, ne dicam nihil lucis affulsit contextui poetæ, sed sæpissime restitutæ sunt pravæ ac vitiosæ lectiones, ab aliis jam emendatæ. Dimidiam fere libelli partem capit Index verborum, similis nostro, sed dimidio minor.

1723. * *Juvenalis et Persii Satiræ, ex optimis codd. recensuit notisque illustravit Thomas Marshall A. M. Editio nova cæteris*

emendatior, cui accesserunt nova Argumenta, nec non Diss. de origine, progressu et regulis Satiræ. Londini, in.8°.

Quomodo in Juvenale edendo versatus sit Marshall, ipse in fine Dissert. declaravit his verbis: « Textum hic castigatissimum tibi exhibemus, utpote cum correctissimis Schrevelii, Lubini et aliorum editionibus collatum et ad fidem optimorum exemplarium diligentissime revocatum. Argumenta etiam nova singulis Satyris præfixi. Quod ad Notas adtinet, licet maximam earum partem contexui, multum tamen Grangæo, multum Britannico, plurimum etiam Lubino me debere profiteor. » Adjectus est brevis Index vocabulorum et phrasium memorabilium.

1724, 1725. *** *Juvenalis Satyræ*, Parisiis, in-12.

1726. *Juvenalis et Persius.* Amstelod. in-8°.

1735. *Juvenalis et Persius*, Amst. in-12.

1739. *Juvenalis Satyræ cum vers. Ital. et notis Camilli Sylvestris*, in Corp. omnium vett. poet. Lat. cum eorumdem vers. Ital. t. XXVIII, Mediolani, in-4°.

1742. *Juvenalis et Persius, ad fidem optimorum librorum accurate recensiti.* Gottingæ, in-12.

Recusi ann. 1769. Juvenalis et Persius, cura Hambergeri. Editiones istæ dignæ sunt, quæ commendentur, ob curam in vera lectione reddenda positam.

1744. *Juvenalis et Persius*, Londini, in-12.

1746. *Juvenalis et Persius, ex recogn. Steph. Andr. Philippe*, Paris, in-12. Repetita edit. ann. 1747 et 1754.

1746. Anglus editor (*Valpy*) duas hic addit edd. Dublinensem, in-4°, typis nitidam et valde correctam; Glasguensem ob easdem qualitates commendandam.

1749. *Juvenalis et Persius cum Chrestomathia. I. P. Milleri*, Berolini, in-8°. Milleri editiones nitidissimæ, sed non satis emendatæ et parum utiles, ut et Glasguenses.

1750. *Juvenalis et Persius*, Glasguæ, in-8°.

1760. *Juvenalis Satira VII ad fidem codicis Schwarziani recusa*, Altorf. in-8°. Eam edidit Cl. Will, Prof. Altorf. De cod. Schwarz. v. sup. Ind. Codd. MSS.

1761. *Juv. et Persii Sat. edente Baskerville*, Birmingham, in-4°.

1763. *Juvenalis et Persius*, Cantabr. in-8°. edit. nitidissima.

1771. *Juvenalis et Persii Satiræ*, Parisiis, in-12.

1776. *Juvenalis, Persii et Sulpiciæ Sat.* Paris. in-12.

1777. * *Juvenalis Satiræ*, cum vers. Germ. eaque paraphr. Berol. et Lips. in-8°. Cf. inf. verss. German.

1780. * *Juvenalis Satyræ ex rec. Henninii, et Persii Satyræ ex rec. Casauboni*, Norimb. in-12.

1781. * *Juvenalis Satyræ, ex rec. Henninii. Persii Satyræ ex rec. Casauboni fideliter expressæ. Sulpiciæ Satyra.* Mannhemii, *cura et sumptibus Societatis literatæ*, in-8° min.

Editiones Henninii et Casauboni tam *fideliter expressæ* sunt, ut ne manifesta quidem operarum vitia sint emendata.

1783. *Juvenalis Sat.* Paris. apud Fournier, in-8°.

1785. * *Persii et Juvenalis Satiræ ad optimas editiones collatæ, accedit Sulpiciæ Satira. — C. Lucilii Fragmenta. Editio accurata.* Biponti *ex typographia Societatis*, in-8°.

Editio cum a simplici elegantia, tum a diligentia ac studio commendanda, quo illi poetæ recensiti sunt et indices editionum confecti. Poetis præter vitam eorum, quæ Suetonio tribuitur, et notitiam literariam, ex Fabricii Bibl. Lat. petitam, præmittuntur Argumenta Satt. et Index Editt. longe auctior Fabricioano et in quatuor ætates digestus. Ad calcem reperiuntur Indices in Persium et Juvenalem, in quibus tum sententiæ proverbiales moralesque, in iis obviæ, laudantur, tum verba quædam obscura ac potissimum nomina propria explicantur.

1790. *Juv. Satyren; Kalbwasser*, Francofurt. in-8°.

1801. *D. Junii Juvenalis Aquinatis Satiræ XVI, ad optimorum exemplarium fidem recensitæ, varietate lectionum perpetuoque commentario illustratæ et indice uberrimo instructæ a Ge. Alex. Ruperti.* II voll. Lipsiæ, sumptibus Caspari Fritsch, in-8°.

1803. *Classici Romanorum Scriptores. Vol. I, Juvenalis et Persii Satiræ. Pars I. D. Junii Juvenalis Aquinatis Satiræ XVI, ad optimorum exemplarium fidem recensitæ atque procemiis, argumentis et indice rerum instructæ a Ge. Alex. Ruperti.* II. voll. Gottingæ, sumptibus Henr. Dieterich, in-8°.

1804. *Juv. et Persii Sat.* Hala Sax. in-8°.

1804. *Juv. et Pers.* cum Lucilii Fragm. Vind. in-8°.

1806. *Juv. cum Pers.* ex recens. Henninii, Manheim, in-8°.

1806. *Juv. et Pers.* cura Hunteri, cum comment. Rupertii et Reineckii, Edimb. in-8°.

1807. *Juv.* ex Hennin. et Casaub. Nuremb. in-12.

1807. *Juv. et Persii Sat.* per Aloy. Mussium, Mediol. in-fol.

1810. *The original Text of Juv. and Pers.... Notes and introductory Essays, by Edw. Owen, A. M. Lond.* in-8°.

1810. *Decimi Junii Juvenalis Satiræ ad codices Parisinos recensitæ, lectionum varietate et commentario perpetuo illustratæ a Nic. Lud. Achaintre. Accedunt Hadr. et C. Valesiorum notæ adhuc ineditæ.* II vol. Paris. sumptibus et typis Firm. Didot, in-8°.

Tomus primus, pag. 1—568, continet poetæ Satiras cum notis textui subnexis et lectionis varietate notis subjecta, ad calcem vero tabulas sex de mensuris et ponderibus Romanorum; alter, pag. 1—27, vitam Juvenalis a Suetonio, incerto auctore, Salmasio, Dodwello et editore concinnatam; pag. 27—33, testimonia veterum et recentiorum de Juvenale; p. 33—51, elenchum codicum Juvenalis; p. 51—75, elenchum editionum Juvenalis; p. 75—112, de scholiastis Juvenalis, vett. glossis (quarum magna pars e codd. variis excerpta est), et de iis omnibus qui hunc poetam notis atque commentariis illustraverunt; p. 113—228, Hadriani Valesii, Consiliarii et Historiographi regii, notas in D. Jun. Juvenalis Satiras (in dimidiam earum partem), labore et studio Caroli Valesii, Hadriani filii, in Senatu Parisiensi causarum patroni, qui suas etiam in Juvenalem notas adjecit ann. 1699 (quas notas adhuc ineditas *Chardon de La Rochette* editori excudendas concessit); p. 229—353, vetera scholia in Juvenalis Satiras, a P. Pithœo primum Lutetiæ 1585, edita; p. 353—367, P. Pithœi et editoris notas in hæc scholia eorumque emendationes; p. 1—132, Indicem vocabulorum omnium, quæ in satiris Juvenalis leguntur, de quo vid. sup. ad edit. Jos. Langii, Friburgi 1608. Editor ex meo commentario plurima in suum transtulit, iisdem quoque verbis retentis, nonnulla rectius exposuit, et copiose disseruit de rebus notissimis, præcipue geographicis, de *sestertiis*, *macellis*, *fascibus*, *nominibus civium Rom.* et aliis quæ his sunt similia. Bibliotheca quoque

Imperialis, nunc Regia, ei suggessit quidem XXXV codices mss. et in his antiquissimos optimosque, Puteanum, Alexandrinum, Pithœanum, Colbertinos, Senatorium et Fauchetianum, vid. sup. Indd. codd. MSS. Sed eos non fere consuluit nisi in locis obscurioribus, et plerumque non indicat ac docet, quæ et quales, sed quot membranæ hanc illamve lectionem exhibeant; quam ob causam brevissimæ sunt notæ criticæ, commentario subjectæ.

1816. *D. Junii Juvenalis Satiræ ex recensione Rupertiana editæ in usum scholarum academicarum. Hafniæ typis Schubothe*, in-8°.

Hæ sunt editiones, quæ quidem mihi innotuerunt, omnes: nam etsi multo plures a me, quam ab Henninio, Maittario, Fabricio ipsisque Sodalibus Bipontinis, memoratæ sunt, non dubito tamen, quin aliæ adhuc, mihi nec visæ nec cognitæ, in lucem prodierint et passim in bibliothecis, sive publicis sive privatis, lateant. Ex earum Indice apparebit, me in antiquioribus recensendis diligentiorem fuisse, quam in recentioribus: neque enim ea potissimum consilii mei ratio fuit, ut omnes ac singulas, sed ut eas potissimum percenserem editiones, e quibus aliquid vel ad contextum Juvenalis historiamque ejus conficiendam, vel ad interpretationem poetæ adjuvandam, utilitatis redundaret. Restat nunc, ut editionibus singulatim enumeratis, universæ quædam tum de stemmatibus et familiis, tum de indole earum subjungam. Quæ quidem tela paucis pertexi poterit verbis, quoniam supra jam ad quamvis editionem, quæ ad illud consilium meum spectat, monui, ad quod earum genus et ad quam classem ea sit referenda. Quum vero multæ editiones et inter has quædam memorabiliores, v. c. Mediolanenses et Juntina, mihi nondum in manibus fuerint, et quæ a me sint collatæ, quamvis ingens earum numerus sit, non sufficiant ad accuratam textus Juvenalis historiam condendam, quumque ista rei literariæ subtilitas nec otio, nec animo ingenioque meo satis respondeat: non accurate et absolute, sed crassa tantum et pingui, ut aiunt, Minerva omnis hæc opera a me perfici poterit; quam itaque ut æqui bonique consulant viri docti, etiam atque etiam rogo. Meliora forte et perfectiora tempus dabit, si editiones a me non in-

spectas alii diligenter excusserint. Multum tamen inde fructus ad ipsum poetam rediturum esse, vix speraverim.

Romana princeps e codice parum emendato fluxit. Meliores membranæ paulo post adhibitæ in Venetis, a quibus, ut in Virgilio et Horatio, primum Juvenalis lectio ita videtur constituta, ut per omnes propagaretur Sæculi XV editiones, quamvis harum fere nulla sit, quæ plane conveniat cum superiore aliqua. Magnam potissimum familiam ducit Veneta prima, ann. 1475, cum Domitii Calderini, qui etiam codicibus mss. usus est, commentariis vulgata, ex qua expressæ sunt Venetæ 1482, binæ 1483, 1485, 1487, aliæque Vicent. 1480, Lipsienses 1497, 1502, 1504, 1507, etc. Ad emendandum deinde Juvenalis textum ope librorum scriptorum accesserunt *Valla* in Veneta 1486, et *Mancinellus* in Veneta Tacuini de Tridino 1492. Illam plerumque sequuntur Venetæ 1491, 1492 (Locatelli), 1498, 1501, hanc vero Veneta 1494, Norimberg 1497, et Ascensianæ novem Lugd. 1498, 1501, 1507, 1511, 1512, 1515. Paris. 1505, 1512 et 1519, nam Jodocus *Badius Ascensius* in textu Juvenalis, ut et Virgilii Horatiique, parum ant nihil pæne operæ collocavit. Eamdem fere recensionem servavit *Britannicus* in Venet. 1499, 1509, 1512, 1515. Brix. 1501, 1503, alioque etsi plura in iis novata sunt et correcta. Omnino enim Sæculo XV magis interpretandi studium viros doctos exercuit, quam critica cura: Juvenalis autem (ut Henninii verba in Præf. ad Domitii Calderini Comm. mea faciam) tantis eo tempore erat in deliciis, ut ille fere doctior haberetur, qui quam plurima acutissimi poetæ memoria complecteretur, illumque vel accuratius explicare posset, vel commentariis illustrasset; quod etiam intelligitur ex Domitii Calderini Epistola ad Julianum Medicen ann. 1474 scripta. Hinc etiam Sæculo XV plerique *Commentarii* in Juvenalem scripti sunt et editi, de quorum indole jam supra in Editionum catalogo sententiam meam dixi; primum *Ang. Sabini* et *Domitii Calderini* Romæ 1474, deinde *Ge. Merulæ* Venet. et Tarvisii 1478, *Ge. Vallæ* Venet. 1486, *Ant. Mancinelli* Venet. 1492, *Jod. Badii Ascensii* Lugd. 1498, et *Jo. Britannici* Venet. 1499. Qui commentarii sæpius repetiti sunt, tum seorsum, Domitii Cal-

derini Venet. 1475, 1482, bis 1483, 1485, 1487. Paris. 1614, Merulæ Brix. 1486, Mancinelli Colon. 1517, Britannici Brix. 1501, 1503. Venet. 1509, 1512, 1515, 1548. Mediol. 1514, tum junctim, Domitii Calderini et Vallæ Venet. 1491. Merulæ et Domitii Calderini Venet. bis 1492. Mancinelli, Domitii Calderini et Vallæ Venet. 1492, 1494. Norimb. 1497. Mancinelli, Domitii Calderini, Merulæ et Vallæ Venet. 1498, 1501. Sabini, Merulæ, Calderini et Vallæ Venet. 1493. Paris. 1498. Mancinelli et Badii Ascensii Lugd. 1498, 1501, 1507, 1511, 1512, 1515. Paris. 1505, 1512, 1519. Badii Ascensii et Britannici Venet. 1539, 1548.

Novæ melioresque textus recensiones Sæculo XVI adornatæ sunt ab *Aldo, Junta, Colinæo, Gryphio, Rob. Sthephano, Theod. Pulmanno* et *P. Pithœo*, qui etiam de Virgilio, Horatio aliisque scriptoribus Romanis bene meriti sunt omnes, præter Pithœum, cui tamen plurimum debent Juvenalis, Persius et Sulpicia. In *Aldinis* fundamenti loco positæ videntur Venetæ antiquiores, in primis ann. 1486. Aldina prima prodiit sine nota anni, altera, quæ emendatissima est, ann. 1501, et tertia, quæ ad priorem plerumque rediit, ann. 1535. Ex iis et quidem, quod mireris, magis ex prima, quam secunda, ductæ sunt *Juntina* Florent. 1513, quam tamen nondum a quoquam critica cum cura et subtilitate excussam esse doleo, *Argentinensis* 1518, 1527, egregia editio, Parisinæ *Sim. Colinæi* Paris. 1528, 1535, 1542. Venetæ *Stagnini* 1530, 1535, Basileensis *Curionis* 1531. *Gryphianæ* Lugd. 1534, 1538, 1546, 1560. Paris. 1545. Lugdunenses *Frellonii* ex rec. *Junii* 1556, 1562, 1564, quæ tamen omnes passim et ab Aldinis, et a se invicem discedunt.

Textum Aldinum expresserunt etiam *Rob. Stephanus* I, in Paris. 1544, 1549, et *Theod. Pulmannus* in Plantinianis Antverp. 1565, 1566, 1585, 1587. Lugd. 1590, sed multa correxerunt ex membranis.

Melior deinde Juvenali lux affulsit opera *P. Pithœi* et *Nic. Rigaltii*. Ille eum magna cum cura criticaque solertia recensuit ad fidem codd. MSS. Lutet. 1585, quam editionem Commelinus repetiit Heidelb. 1590. Maxime tamen omnium de integri-

tate contextus Juvenalis promeritus est *Nic. Rigaltius*, cujus editionem *Rob. Stephanus* III, Lutet. 1613 et 1616, prælo suo excudendam curavit. Is poetæ, olim magnopere deformato, si non plane veram ac genuinam, certe venustam reddidit faciem, quæ satis placere possit.

Post Pithœum et Rigaltium, adeoque annis abhinc fere ducentis, non fuit fere quisquam, qui multum operæ, vel eam felici successu in Juvenale recensendo poneret. Antiquiores plerumque lectiones adsciverunt *Eilh. Lubinus*, a quo tres membranæ in consilium adhibitæ sunt, in editt. Rostoc. 1602. Hanov. 1603, 1619, et *Maittaire* in edit. Lond. 1716, cujus omne pretium ex variarum lectionum elencho et Indice verborum pendet. Recensio autem Rigaltiana tantum non integra restituta est in editionibus *Schrevelianis* Lugd. Bat. 1648—1684. *Henniniana* Ultraj. 1685, et Lugd. Bat. 1695 (nam Henninius non novam curavit recensionem, sed exemplum Schrevelianum operis librariis excudendum tradidit et paucis tantum locis correxit, quod ipse profitetur in Præfat.) *Goettingensi* 1769, et *Bipontina* 1785, quæ reliquis emendatiores sunt, nec multum a se invicem discrepant.

Hi fere sunt editores Juvenalis, qui ingenium doctrinamque ad textum ejus emendandum contulere: quorum tamen opera nondum ille integritati suæ ita restitutus est, ut critica jam cura supersedere liceat. Præter eos fuere etiam inde ab initio Sæculi XVI, qui notas et commentarios, sed parum idoneos, in poetam scriberent. Quos nunc breviter laudasse sufficiat, quum jam in Editionum indice de iis eorumque laboribus qualemcumque tulerim sententiam.

Commentarios Badii Ascensii, Britannici et Mancinelli sæpius repetitos esse Sæculo XVI, jam supra monui. Iis accessere:

I. Annotatiunculæ *Cœlii Sec. Curionis*, brevis commentarii vice margini adjectæ a Colinæo, Gryphio et aliis Paris. 1528, 1535, 1561. Crac. 1529. Lugd. 1538, 1556, 1564. Antverp. 1559.

II. Scholia, et quidem 1° ejusdem *Curionis*, quibus tum præterita ab aliis et potissimum Britannico explicantur, tum male intellecta corriguntur, edita cum Britannici

comment. a Frobenio Basil. 1551, et a Morello Lutet. 1602, 1613; 2° Alia, tam critici quam grammatici argumenti, scripta ab *Hadr. Junio* et a Pulmanno apposita margini editionis suæ Antverp. 1565, 1566, 1585, 1587 Lugd. 1590. 3° *Scholia Vetera* s. *Veterum*, quorum dimidiam fere partem Valla Venet. 1486 evulgaverat, et quæ integra edidere primum Pithœus Lutet. 1585, deinde Commelinus Heidelb. 1590. Morellus Lutet. 1602, 1613. Schrevelius Lugd. Bat. 1648—1684, et Henninius Ultraj. 1685. Lugd. Bat. 1695.

III. Adnotationes *Pulmanni* Antverp. 1565 seq. *Pithœi* Lutet. 1585. *Rigaltii* Lutet. 1613, 1616. *Farnabii* Lond. 1612, 1620, 1633. Paris. 1614, 1629, 1644. Amst. 1619, 1624, 1631, etc. Francof. 1623. Lugd. 1650, 1672. Roterod. 1680, 1683, 1702. Hagæ Com. 1683. *Amelovenii* et *Henninii* in hujus edit. Ultraj. 1685. *Camilli Sylvestris*, *Bahrdtii*, *Abeli* aliorumque versibus Juvenalis.

V. Periphrases ænigmaticæ *Claverii* Paris. 1607.

V. Paraphrases parum utiles *Feder.* *Ceruti* Veronæ 1597. Augustæ Vindel. 1599, 1600, 1603. *Pratæi* Paris. 1684. *Anonymi* auctoris vers. german. Berol. 1777.

VI. Commentarii *Lubini* Rostoc. 1602, Lugd. 1603. Hanov. 1603, 1619. *Autumni* Paris. 1607, 1614. *Grangæi* Paris. 1614. *Pratæi* in usum Delphini Paris. 1684. Rothomagi 1685. Lond. 1691, 1699, 1708. *Juvencii* Rothomagi 1697, 1709. Paris. 1715. *Marshalli* Lond. 1723. *Oweni* et *Madani* in verss. Angl. Lond. 1785 et 1789.

VII. Indices *Langii* Friburgi 1607, 1608. Genevæ 1612. *Maittarii* Lond. 1716, et *Sodalium Bipontinorum* 1785.

VIII. Editiones castratæ seu obscœnitate omni purgatæ, *Colon.* 1610. *Ficheti* in Choro poetarum Lugd. 1617. *Pratei* Paris. 1684. *Massoni* Turonibus 1685. *Tarteroni* Paris. 1689, 1695, 1706, 1729, 1737, 1752. *Juvencii* Rothomagi 1697, 1709. *Oweni* Lond. 1785, 1786.

IX. Versiones.

X. Observationes *in Juvenalem separatim editæ*, et

XI. Inedita,

Quæ omnia mox singulatim memorabimus, si prius universe

pauca dixerimus de his virorum doctorum studiis et de fructu, quem inde poetæ interpretatio tulerit.

Toto Sæculo XVI ne unus quidem commentarius novus exiit in vulgus, sed veteres primum sæpius et variis locis recusi sunt, hisque substituta deinde Scholia Curionis et Junii, multarum editionum margini adjecta ann. 1528—1590, et puerilibus dicata studiis, quæ tamen iis valde adjuvari posse nemo facile sibi persuadebit. Neque plus valent vel ad ingenia juvenum alenda vel ad poetam illustrandum et Periphrases Claverii Paris. 1607, et Paraphrases Ceruti Veronæ 1597. Pratei Paris. 1684, aliorumque, quæ omnino, si breves sunt, ad interpretationem nihil faciunt, præcipue in poetis satiricis, qui prosa fere oratione utuntur, si copiosæ ac prolixæ, non sine summo tædio legi possunt. Adnotationes Pulmanni, Pithœi, Rigaltii, Almelovenii, Henninii aliorumque sive ad rem potissimum spectant criticam, sive uni tantum alterique loco lucem afferunt.

Sæculo XVII novi quidem vulgati sunt *Commentarii* Lubini, Autumni, Farnabii, Grangæi, Pratei, Juvencii: sed longe maxima eorum pars vel ex antiquioribus, in primis Britannici, deprompta est, vel magis doctam prodit subtilitatem, quam judicii sensusque elegantiam. Intellexere utique viri docti, ad Juvenalis interpretationem non sufficere unius alteriusve loci explicationem, sed perpetuos requiri commentarios, qui nihil relinquerent obscuritatis. Iidem vero perperam sibi persuasisse videntur, se compendiaria via eo, quo tenderent, pervenire posse, si non suum adhiberent judicium, sed alienum fere sequerentur, neque ipsi diligenter circumspicerent, quæ explicare et monere opus essent, sed selectas ex aliis interpretibus notas singulis vocibus, sententiis locisque adspergerent. Qua ratione etsi parum proficitur, nisi tum ab aliis jam omnia satis illustrata sunt nihilque præteritum est quod luce aliqua indigeat, tum aptissima tantum et cæteris probabiliora solerter ex iis excerpuntur; non mirum tamen est, eam multis arrisisse, quum tantopere blandiatur et desidiæ et inani famæ cupidini, quæ alienis gloriari bonis alienisque pennis se exornare amat. Cupidissime illam præ cæteris arripuere Ba-

tavi, qui eamdem, per se jam satis commodam ac facilem, multo quoque expeditiorem reddiderunt, invecto more Auctorum classicorum vel cum omnibus fere Variorum Notis, vel cum integris virorum doctorum commentariis edendorum. Illam rationem sequutus est Schrevelius inde ab ann. 1648, utramque vero Henninius ann. 1685, compilatores nimis seduli, in quorum editionibus, quæ superiores interpretes ad singulas voces sententiasque illustrandas observaverant, etiam maxime aliena, arguta, vulgaria et absurda, neque semel, sed sæpius a pluribus verbisque tantum aliis notata, sine ullo animi judicio ac delectu cumulata atque congesta sunt, quibus lector oneratur magis, quam adjuvatur.

Sæculo denique XVIII non novos poeta nactus est interpretes, præter Marshallum (Lond. 1723), qui tantum non omnia debet Lubino, et quosdam eruditos Anglos, Italos et Germanos, qui versionibus suis adnotationes subjecerunt, in quibus multa quidem insunt bona, sed quæ non omnibus lectorum desideriis satis faciunt.

Jam si omnia, quæ a nobis et singulatim et universe dicta sunt, collegeris, facile intelligitur, quam parum adhuc editorum Juvenalis studia tum in emendationem contextus, tum in summam interpretationis profecerint, et quam vere dixerit Fabricius (in Bibl. Lat. t. II, p. 362, edit. Ernest. Lips. 1773): « Quum Henninii editio sit nimis onerata notis, nec ad usum satis apta, quum adeo multis locis sit quærendum, si scire interpretum sententias velis, omninoque nondum satisfactum sit in hoc scriptore: optandum videtur, ut aliquis vir doctus, tum literis latinis egregie instructus, tum in Satiricis scriptoribus cognoscendis tritus, suscipiat novam editionem, etiam mole minorem Henniniana, et ad eam bene curandam ante omnia libros scriptos et editt. excutiat paulatim, ut materiam ei instituto aptam habeat, per quam deinde et purgare Satiras, et illustrare deinde possit. »

VERSIONES.

Omnes Juvenalis versiones recensere, non est consilii mei. Neque etiam otium mihi fuit et facultas earum cum poeta comparandarum, etsi id, ob notas quoque eruditas (inpr. Oweni et Madani Anglorum, quibus ægre carui), non sine fructu fieri posse crediderim. Recentiores tantum popularium meorum subinde inspexi, et memoravi præcipuas. Qui plures noscere cupit, consulat *la France littéraire, ou Dictionnaire des auteurs françois de 1771—1796, par M. Ersch. Vol. II* (Hamb. 1797). *A View of the english editions, translations and commentaries of ancient writers, by M. Brüggemann* (Stettin, 1796.), *I. Fr Degen's Versuch einer vollstandigen Literatur der deutschen Uebersetzungen der Romer*, Altenb. 1764 et aliud.

I. ANGLICÆ.

1616 et 1673. *Persius and Juvenal translated, with explanatory Notes, by Bart. Holyday*, Oxf. in-8°.

1644. *Juvenal* (sex tantum priores Satiræ), *translated by Rob. Stapleton*, Oxf. in-fol.

1647. Eodem interprete, omnes satiræ cum notis, Lond. in-8°. — Repetita ann. 1660 cum icon. *Bibl. Bodl.*

1660. Hæc versio (inscripta : *Mores hominum, the manners of men described in sixteen satires by Juvenal*) cum animadversionibus iconibusque ære descriptis recusa est Londini, in-fol.

1697. *The Satires of Juvenalis and of Persius, translated by Mr Joh. Dryden.* Lond. in-8°.

Repet. Lond. 1711, et 1755, cum figuris æri incisis

1777. Versio cum notis, Lond. in-8°. Angl. pros. et icones exhibet.

1785, 1786. *The Satires of Juvenal, translated in to english Verse, with a correct Copy of the Original latin on the opposite page, cleared of all the most exceptionable Passages and illustrated with marginal Notes from the best Commentators. Also Dr. Brewster's Persius, with the Original on the opposite page and notes from Casaubon. By Ed. Owen M. A. Rector of Warrington*, London, in-8°. Vid. Hal. Allg. Lit. Zeit. 1786, P. II, p. 581.

1789. *A new and literal translation of Juvenal and Persius*,

with copious explanatory Notes. By Mrs Madan. 2 *vol.* London, in-8°. Vid. Hal. Allg. Lit. Zeit. 1791, P. IV, p. 357.

Stepneum quædam Juvenalis Anglico carmine haud inscite reddidisse, monet Fabricius in Bibl. Lat.

II. BELGICÆ.

1682. *De Schimpdigten van Juvenalis en Persius vertaald d. Abr. Valentyn.* Lugd. Bat. in-12.

Hæc versio denuo typis expressa est ann. 1703. Cf. Kœnig. Præf. ad poem. Canitz. p. 45.

Belgico etiam carmina expressas primum singulas Juvenalis Satiras (VIII, ann. 1679; XI, ann. 1695, et XIII, ann. 1704), deinde omnes Harlem. 1709, in-8°, edidere Sodales literariæ societatis Amstel. cui symbolum *Nil volentibus arduum*, nec non Laur. *Bake* et Petr. *Nuits*. vid. *Boeksaal van Europe* 1695. Jul. et Aug. p. 48. *Tweemaandelyse Uyttreksels* 1704, Mai. Jun. p. 539. (Habet Persium cum Juvenale conjunctum.)

III. DANICÆ.

1731. Juvenalis Satiram XIV, metaphrasi Danica expressam edidit *Falsterus* cum interpretatione sive paraphrasi latina notisque, et eodem deinde anno totum Juvenalem, additis etiam notis, Hafniæ, in4°.

Vid. Act. Erud. 1733, pag. 176; et *Biblioth. Germanique*, t. XXII, p. 184.

1790. *Juvenal og Persius om Menneskeness Onsker. To Satirer oversatte af det Latinske og oplyste med Anmaerkn. af F. Plum. Udg. ved Selskabet til de skionne Videnskapers forfremmelse.* Hafniæ, in-8°.

Vid. Nyeste Kjobenhavnske Efterredninger om laerde Sager. 1790, vol. II, p. 568.

IV. GALLICÆ.

1544. *Les Satires de Juvénal translatées de latin en françois, par Michel d'Amboise, seigneur de Chenillon*, à Paris, I. Longis, in-8°. Et à Poitiers, in-12,

1607. *Les Satyres de Perse et de Juvénal traduites en françois*,

avec des annotations, par Andr. du Chesne Tourangeau, à Paris, in-8°.

1653. *Les Satires de Juvénal en vers françois, avec un discours de la Satire, par Denis Challine, advocat*, Paris, in-12.

1653. *Satires de Juvénal et de Perse en latin et en françois, par M. D. M. D.* A. V. Paris, in-8°.

1657. *Les Satires de Juvénal en vers burlesques, par Colletet*, in-12.

1658. *Les Satyres de Juvénal et de Perse, avec des remarques en latin et en françois, par Mich. de Marolles* (abbé de Villeloin en Touraine), à Paris, in-8°.

Hæc versio recusa ann. 1671 et 1675. Auctor ejus multos scriptores, et Græcos et Romanos, Gallice, sed parum accurate reddidit et eleganter.

1669. *Les Satires d'Horace et de Juvénal, et quelques épigrammes de Martial en vers françois, traduites par le président Nicole*, Paris, in-8°.

1681. *Les Satyres de Juvénal et de Perse, traduites par M. de La Valterie*, 2 vol. à Paris, in-8°.

1689. *Les Satyres de Juvénal, traduites par Jérôme Tarteron*, à Paris, in-12.

Repetita quoque ann. 1803. *Crapelet, Paris*, in-8°.

Latinus textus e regione positus est et omni obscœnitate purgatus. Repet. ad ann. 1665, 1706, 1729, 1737, 1752.

1690, 1691. *Traduction nouvelle des Satyres de Juvénal en vers françois, avec des remarques sur les passages les plus difficiles, par M. de Silvecane, Président en la Cour des Monnoyes*, etc. A Paris, in-12.

1716. *Le nouveau Juvénal en vers, par Ch. Utrecht*, in-12.

1769. *Les Satyres de Juvénal, traduites par M. Dusaulx*, à Paris, *chez Lambert*, in-8°.

Versio hæc recusa ann. 1770, deinde cum diss. de poetis sat. Rom. 1782, cum adnotatt. auctoris magnisque sumptibus Didoti jun. 1796, in-4°, II vol. emendatior, in-8°.

1776. *Les Satyres de Perse, traduites en vers françois, par M. Taillade d'Hervilliers. Les Satyres I, II, XV, de Juvénal, traduites en vers françois*, à Paris, in-8°.

sunt momenti, ut nec variæ lectiones duorum codd. Mss. quæ in iis laudantur.

Conr. Sam. Schurzfleischii Spicilegium Animadversionum in D. Junii Juvenalis Satyras XVI, cura Henr. Leon. Schurzfleischii (fratris). *Vinariæ* 1717, min. 8. Liber doctissimus et utilissimus, in quo variæ lectiones codicis MS. Schurzfleischiani (qui bonas subinde lectiones, a nobis *n.* 11, designatas, et Scholia Pithœanis emendatiora exhibet), egregiæque inveniuntur observationes auctoris et aliorum, tam critici quam philologici argumenti, in Juvenalem ejusque Scholiasten.

Observationes philologicæ in Satyras Juvenalis duas priores, quas — Præside M. Ulrico Sebastiano Beckio Norimbergensi publice disquirendas proponit Joh. Jac. Haas. Altorfii Noricorum 1732, in-4°.

Commentatio historico-critica de Codice MS. Juvenalis Satiras complectente. Ulmæ 1793, in-4°. Vid. sup. in Indice Codd. MSS.

Sterkii Observationes in aliquot (quatuor) *Juvenalis loca*, doctæ et criticæ, reperiuntur in Actis liter. Societ. Rheno-Traject. Lugd. Bat. 1793, in-8°, tom. I, pag. 173 seq.

Frid. Jacobsii Emendationes in Juvenalis Satiras, in vol. I, Miscell. philol. ab Aug. *Matthiæ* edit. Altenb. 1803, p. 80—92.

Hadriani et *Caroli Valesiorum notæ in Juvenalis Satiras*, editæ ann. 1810, a Nic. Lud. *Achaintre*. Vide quæ notavi ad edit. Juvenalis, Paris. 1810. Nescio an ab his Hadr. Valesii notis differant, nec ne, ejus *adnotationes ad Juvenalem* ipsius manu adscriptæ ad marginem editionis, quæ exstat in Biblioth. Cizensi.

Animadversiones in Juvenalis Satiras, sive censura editionum Rupertianarum, auctore J. R. Aug. Heineke, Scholæ Lat. Orphan. Halensis Collega, Rectore designato Perleberg. Halis Sax. 1804, in-8°. Libellus probrosus, in quo sæpius errores tam mei, quam aliorum interpretum summorumque virorum, et quidem alii recte, perperam alii, omnes vero tam acerbe et rustice, tam arroganter et inhumane notantur, ut in juvene hoc jam nunc Orbilius Klotziusque revixisse videantur.

Commentatio prima et secunda in Juvenalis Satiras. Scripsit Cor. Frid. Heinrich, D. et Prof. P. O. Kiliæ 1806 *et* 1810. Com-

mentationes istæ doctrinam quidem et sagacitatem, sed inhumanitatem quoque et arrogantiam, Heineckiana, quæ ab ipso earum auctore culpatur, longe majorem spirant.

Observationes in loca aliquot difficiliora Juvenalis, quibus præmissis ad examen in Gymn. Magdal. habendum invitat. *Joh. Casp. Frid. Manso*, Dr Philos. Rector et Prof. Vratislav. 1812 et 1814. Quædam ex his loca, non omnia, rectius, quam ab aliis, exposita videbuntur; oratio quoque viri docti paulo modestior est et humanior, quam obtrectatorum modo nominatorum, quorum malignitas et calumniæ ab eo notantur.

Alias virorum doctorum observationes, per varia dispersas opera, passim laudavi. Plures autem haud dubie inveniuntur in libris, quos consulere mihi non licuit, vel in quorum lectione non occurrerunt oculis meis.

INEDITA ET PROMISSA

Multa ex iis jam indicavit Henninius in Proleg. Sect. IV, his verbis:

« Præter ea (Scholia), quæ latent in Bibliotheca Mediolanensi aliisque, non possunt non latere hinc inde *Lectiones Publicæ* super Juvenalem, quales Romæ *Muretus*, Leidæ *Cunæus*, *Boxhornius* aliique variis in locis habuere. *Scholas Privatas*, quas vulgo *Collegia* et *Dictata* appellant, quis enumerabit? Scio tales exstare *Aug. Buchneri* et aliorum. Qui cirratis hunc Poetam in trivio prælegunt, solent et illi aliquid ad eum allinere, et talia vidi *Ant. Æmilii* quædam. Taceo superioris ætatis Glossatores Monachiscos, quales sunt *Philippinus*, *Magister Martinus* et alii, qui, ut credo, in privatis quorumdam Bibliothecis, præcipue Italicis, latent. Nunc tantum enumerabo illos, qui publicanda in Aquinatem sunt moliti.

I. Caspar Barthius, quod ipse variis in locis suorum operum testatur, quodque intelligitur ex Daumii Epist. XVI, ad Reines. p. m. 52.

II. Isaacus Casaubonus, quod patet non solum ex iteratis Barthii indiciis (vid. ad Claudian. et Advers. L, 9.), sed et ex ipsius Casauboni Epistolis 112, 260 et 266, pag. 244 et 304,

Edit. Græv. Latent hodie ejus Notæ in Biblioth. Regis Angliæ, quæ Londini est.

III. Eberhardus Elmenhorstius, ut ex laudatis Casauboni Epistolis apparet.

IV. Octavius Ferrarius, ut fatetur Elect. II, 14.

V. Thomas Gale, Anglus, qui, ut audio, meditatur notas in hunc Poetam.

VI. Pearsonius, Jurisconsulti celeberrimi et doctissimi Episcopi frater, cujus Animadversiones in hunc poetam, ut aiunt, latent apud Standlæum, Londini.

VII. Hadrianus Valesius, cujus notas apud Ægid. Menagium exstare audio.

Præter eos, quos Henninius laudavit, Juvenalis editionem pararunt:

VIII. Jo. Burdelotius, cujus et *Hadr. Valesii* notas ad Juvenalem et Persium in lucem produturas Parisiis scripsit Jac. Bernardus in Novellis Reip. literariæ ann. 1700, t. I, p. 357.

IX. Jac. Thomasius, a quo certe Juvenalem cum cod. MS. et vetere editione collatum esse, tradunt auctores Ephemeridum literariarum, quæ Germanice editæ sunt Lips. 1710, p. 603.

X. D. Christianus Reitzer, qui in animum induxerat, Juvenalem recensere ad fidem codd. MSS. et Hafniæ cum notis edere.

XI. Jo. Gottl. Sam. Schwabe, doctus Phædri editor et Scholæ olim Buttstadiensis Rector, nunc Gymnasii Vinariensis Conrector, qui jam XXXVI abhinc annis novam Juvenalis editionem publice promiserat, sed omne jam dudum abjecit consilium. De ejus apparatu critico vide supra, in Indice Codd. MSS.

XII. Cramer, Jurisconsultus eruditissimus et Prof. Kilon. qui diu jam in Juvenale edendo laboravit. — Novam nunc Juvenalis editionem meditantur *Gurlitt*, Prof. et Dir. Johan. Hamburg. Dr Theol. *Heinrich*, Prof. Kil. *Heinecke*, Rector Scholæ Perleberg. et, quod nunc rescivi, *Manso*, Prof. Vratislav.

Alia inedita, quæ ad Juvenalem illustrandum pertinent, sunt: 1° *Observationes quædam Frid. Brummeri Lipsiensis* et

variæ lectiones e codd. Gudianis adscriptæ margini editionis Schrevelianæ, quod exemplar olim habebat Fabricius; 2° *Jani Dousæ Præcidanea in Juvenalem*; quæ ubi lateant, non habeo dicere; 3° *Frid. Lindenbrogii adnotatiunculæ*, de quibus vide supra ad edit. Heidelberg. 1590; 4° *Henr. Schœvii paraphrasis latina*, quam vulgandam receperat Frid. Redtelius, Conr. Scholæ Stettinensis; de quo v. Nova literaria maris Balthici ann. 1702, pag. 73; 5° *Frid. Rappolti Prælectiones in Juvenalem et Persium*, quas laudavit Jo. Sam. Adamus in Præf. ad germ. metaph. Persii Dresd. 1674, in-8°; 6° *Guntheri Henrici Plathneri Lectionum Juvenalium Libri V*, ann. 1637, scripti, qui servantur in Biblioth. Gothana et a Viris Cel. Geislero et Doeringio, quæ summa eorum benevolentia est, una cum duobus codd. MSS. Gothanis ad me missi sunt, sed magnopere fefellerunt spem meam. Est enim ventriosum quartæ formæ volumen, in quo multa sunt docta et quædam utiliter monita, sed pleraque vel falsa, vel nimis arguta et aliena, more istius ævi et ad modum Pitisci congesta, quæ magis ad antiquitates Romanas Christianasque exponendas pertinent, quam ad interpretationem poetæ, qui vanæ tantum eruditionis ostentandæ expromendæque occasionem præbuit. Meliora et aptiora, tam critici quam philologici argumenti, non sine summo tædio excerpsi: unde *Plathnerum* passim a me laudatum reperies. Quædam ex iis jam antea benevole mecum communicaverat S. V. Augusti, nunc Prof. Vratislav.

RECENSUS EDITIONUM

PERSII,

LONGE AUCTIOR FABRICIO-ERNESTIANO, ET IN QUATUOR ÆTATES DIGESTUS.

PERSII ÆTAS I, natalis 1469—1499; quæ ad Persium tum separatim sine loco et anno, tum Romæ ap. Udalr. Gallum (an. 1470) cum Juvenale editum origines refert. Has exceperunt Brixienses ab an. 1473; et Mediolanenses Zarotinæ ab an. 1474; Venetæ dein, quarum I, cum Comm. Barth. Fontii prodiit 1480. Ab alterius commentatoris Jo. Britannici cura commendatur Brixiensis II, 1481. Uterque juncti comparent in Veneta VI, 1491. Persius vero vel solus, vel cum Juvenale edi consuevit.

Sine anno et loco: *Persii Satyræ;* quam scriptor Catal. Bibl. Hulsianæ omnium principem censet ex versu, qui in fine legitur:

Explicit *ignotus* per totum *Persius* orbem [1].

— *Persii Flacci* nobilissimi Satyrici unicus, sed elegantissi-

1. Anglus editor *Valpy* putat non satis clare, vel etiam recte designari a Rupertio editionem Juv. et Persii principem; quod, inquit, consulenti *Biblioth. Spencer.* apparebit; at pro certo aliam hujus generis non omnino descripsit, aliter *characteristicas* notas procul dubio dedisset, neque aliqua editionum, ab eodem viro docto descriptarum, pro hac sumi possit. Hanc edit. vidimus in Bibliotheca nobili Colleg. Magd. apud Oxonienses per amicitiam eruditi Præsidis *M. J. Routh*, D. D. et satis percepimus, in ipsis artis typographicæ incunabulis excusam fuisse. Ne moremur Lectorem, indicia non deerant, quibus in sententiam ducti eramus, hunc ipsum librum Magdalensem accipi posse pro *Juvenalis et Persii*, conjunctim (ut

mus Satyrarum liber fol. occurrit in Catal. Bibl. Uffenbach, tom. II, App. Incunab. artis typogr. Additt. n° 346, pag. 817.

— in-4° *Persius* cum glossis Scipionis Ferrarii Georgii filii de Monferrato, memoratur Engelio in Bibl. select. pag. 123. Idem Scipio etiam in Val. Flacci Argonaut. glossas edidit.

Sine anno, *Persii Satyræ;* cujus ed. vetustatem, certe in Gallia principatum, colligit scriptor Catal. Bibl. Huls. ex versibus in fine:

> Excepit claros *Andegavense* poetas
> Ut studium, *Persi*, tu cito sculptus ades:
> *Gallorum* egregias sic sculptus perge per Urbes,
> Ut possit spatium cernere glossa suum.

vocant), *edit. Principe;* et, ut verum fateamur, nihil nobis, magis serio deliberantibus, statim occurrit quod in aliam opinionem nos subito inclinet. Hujus editionis exemplare est inveniendum, nec in Bodl. Bibliotheca, nec in Museo Britann. nec apud Cantabrigienses, nec apud Scotos, nec forsan in ulla alia publica Bibliotheca Britannica. Nec quidem occurrit exemplare inter *Romanas* aut *Italicas Editiones Sæculi* XV, nec inter cimelia Maphæi Pinelli, ut apparet a Catalogo Baptistæ Audiffredi, et Bibliotheca Pinelliana. Ideoque alia indicia vetustatis prætermittentes (quorum quidem multa sunt), tetrastichon tantum *characteristicum*, quod transcripsimus, subjicimus Lectori: A. P. F. Satyrarum Liber finit feliciter.

Gerhardi Tetrastichon ad *Germanos* librarios ingenuos:

> Ecce tibi Princeps Satyrarum codice parvo
> Persius! arte nova impressus et ingenue.
> Felices igitur Alamannos, arte Magistra
> Qui studia orsantes fortia in astra gradum.

Inde patet editores non recte designasse *principem* Persii editionem; et etiam si recte, argumentum, quo utuntur ad discernendam, stabiliendamque eamdem editionem, ut nobis videtur, deficit. Secundum alium quemdam bibliographum quod obtulere exscriptorunt; et sententiam ejus citando videntur probasse. Aiunt de Persii editione sine anno et loco, scriptorem Catal. Biblioth. Hulsianæ omnium Principem censere, ex versu qui in fine legitur:

« Explicit *ignotus* per totum Persius orbem. »

At quidem hic idem versus non editoris aut impressoris est, sed e codice, ni fallimur, quem jam indicavimus, exscriptus. Et sive auctor per *ignotum* intellexerit (usu nimirum figuræ orationis, ut Græci utuntur « *intensivo* æque ac *privativo*) *valde notum;* seu præ ignorantia (ut scribæ illi monastici sæpissime se gesserunt) scripserit; seu (quod probabilius videtur) per *ignotum* de Persio præ omnibus poetis *obscuro* ἐμφατικῶς quasi luserit; utcumque sit, versus e codice quodam derivari videtur, ideoque quoad *impressi* libri antiquitatem nihil probat.

1474. Ferrariensis, in-fol. Persius memoratur Fabricio.

1475. Lovaniensis, in-fol. Persius.... « per Joannem de Westphalio, arte characterisandi novissima, » ut in fine dicitur. Ita Fabricius.

1480. Veneta I, Fontii, in-fol. *Auli Persii Flacci poetæ Satyrarum opus.* Constat 28 foliis iisque signatis, sed caret paginarum numero et custode. Præmissa Bartholomæi Fontii dedicatio ad Laur. de Medicis. Textum notæ ambiunt. In fine legitur : « A. Persii Flacci Satyrarum finis MCCCCLXXX. Venetiis. »

1482. Daventriæ, in-fol. *Persius.* Vid. Corn. a Beughem incunab. Typogr. pag. 105.

1482. Veneta II, in-fol. min. *Persii Satyræ* cum Comm. B. Fontii, per Bapt. *de Tortis.* Exstat in Biblioth. Archipal. Manhemii.

1482. Veneta III, in-fol. *Persii Satyræ*, cum Comm. B. Fontii. « A. Persii Flacci Satyrarum finis. Anno MCCCCLXXXII, Mensis Decembris die XXIV, per me Magistrum Renaldum de Novimagio Theutonicum Venetiis impressum. »

De his duabus Venetis vide Beughem. l. c. pag. 105; Bauerum l. c. p. 185; Gœtzium in memorab. Bibl. Dresd. tom. III, pag. 120, n° 207; et Catal. Bibl. Trajectino-Batavæ (edit. 1718, f.) in Libr. f. p. 87.

1484 Veneta IV, in-fol. *Persius*, cum Comm. Fontii.... per Bapt. *de Tortis*, teste Fabricio.

1485. Veneta V, in-fol. *Persius*, cum Comm. Fontii per Anton. de Bactibobus. Cf. *Lengnich Beitræge zur Kenntniss seltener Bücher*, etc. 2 *Theil.* pag. 120. Exstat quoque in Bibl. Archipal. Manhem. hujus anni editio.

1491. Veneta VI, in-fol. *Persius* cum Comm. Jo. Britannici Brixiani et Barthol. Fontii. — Impressum Venetiis per Bernardinum Benalium Bergomensem et Matthæum Capcasam Parmensem anno nativ. Dom. MCCCCXCI, die III Aug. Sic in Engelii Bibl. select. pag. 115, sub Terent. et in Cat. librorum in Biblioth. Gœtting. in duplo exstantium an. 1784, pag. 16, n° 120 (b).

1492. Veneta VII, in-fol. *Persius* c. Comm. Jo. Britannici

per Barth de Ragozzonibus. Vid. *Lengnichii Beitræge*, etc. P. II, p. 120.

1494. Veneta IX, in-fol. *Persius* c. n. Jo. Brit. et B. Fontii. Venetiis sumptibus Jo. de Tridino; castig. a Barth. Merula.

1495. Veneta X, in-fol. *Persius*, c. Comm. B. Fontii.

1497. Veneta XI, in-fol. *Persius*.

ÆTAS II.

1499—1585. Cum scholiis veteribus, quæ sub Cornuti nomine feruntur. Ea nimirum 1499, primus protulit Jo. Bonardus, sacerdos Veronensis, dein curatius Rob. Stephanus 1544; locupletiora autem Elias Vinetus 1560. Textus vero inde et ab Aldina 1501 (cujus filia videtur Juntina 1513), a Parisina Colinæi, Lugdunensibus Seb. Gryphii 1534, et 1538; Parisina R. Stephani 1544; Basiliensi Frobeniana Cælii Sec. Curionis 1551; Pictaviensi Vineti 1560; Plantiniana Pulmanni 1565, et Basil. Th. Freigii profecit. — Novi Commentatores accessere Ph. Beroaldus, et Ang. Politianus 1507; Jo. Murmellius Ruremundanus, et Jo. Bapt. Plautius 1516; Jod. Badius Ascensius 1523; qui et Plautii, Murmellii, Britannici, Ælii Ant. Nebrissensis ac Jo. Scoppæ curis suas leviores conjunctiores edidit, et ab an. 1525 Herm. Buschius, cujus obss. in Sat. I, Murmellianæ edd. sibi vindicarunt, et Des. Erasmus Roterod. Ascensianæ filia melior est Frobeniana Curionis; quem excepit novus Commentator Ant. Foquelinus. Denique paraphrastæ munus sibi sumpit Nic. Frischlinus. Tacemus alios.

1499. Veneta XII, cum picturis, in-fol. *Persius* cum Comm. Cornuti philosophi, Jo. Britannici et Barth. Fontii — « Impressum Venetiis sumptu diligentissimi viri Joannis de Tridino. » In hujus ed. capite est epist. Jo. Bonardi, sacerdotis Veronensis, ad Angelum Marcellum, Patricium Venetum: in qua se dicit Cornuti Comm. diu lacerum et valde depravatum operosa industria sua restituisse et Tacuino exprimendum dedisse. Exstabat bis in clar. Jo. Aug. Ernestii Bibl. teste Catal. p. 172, n° 2565, et 2595.

1500. Lugdun. in-4° *Persius* c. Comm. Jo. Britannici. Exstat in Bibl. Archipal. Manhem.

1500. Brixiensis IV, in-fol. *Persius* e Comm. Jo. Britannici et ex ejus recognitione : per Jac. Britannicum.

1502. Lipsiæ, in-fol. *Persius*. Vid. *Gœtze Merkwürdigkeiten der Dresdner Bibl.* tom. III, pag. 179, n° 219.

1506. Lugd. in-8°, *Persius* c. interpr. Jo. Britannici. Exstabat in Bibl. Zechiana, teste Catal. Lips. 1782, edito, pag. 61, n° 995, nisi mendum subest.

1507. Lipsiensis (*Lipzk*) in-fol. *Persius*, sine notis.

1507. Lugdun. in-fol. min. s. in-4°. *A. Persii familiaris explanatio c. interpr. Jo. Britannici ; præmissæ Beroaldi et Politiani in Persium prælectiones :* vid. Cat. Bibl. Ill. L. B. *de Zech.* n° 658, pag. 46.

1510. Lugdun. in-4°, *Persius*, Repet. ed. 1507, teste eodem Catal. n° 659.

1515. *Persius* (forsan cum interpr. Jo. Britannici, Beroaldi et Politiani prælectt. et impressa per J. A. *Scinzenzeler*). Exstat in Bibl. Francof. ad M. teste Catal. Jo. Jac. Lucii.

1515. Lips. (*Liptzk*) in-4°, *Persius*. Vid. Ill. Zechii Bibl. Cat. l. c. n° 660.

1516. Veneta, in-fol. *Castigatissimum Persii poema : cum Joan. Baptistæ Plautii frugifera interpretatione : nec non cum Cornuti philosophi ejus præceptoris : Joannis Britannici Brixiani : ac Bartholomæi Fontii aureis commentariis.* In fine : « Impressum Venetiis per Joannem *rubeum* Vercellensem. Anno a nativitate Domini MDXVI, die vero XXV, Mensis Aprilis Regnante inclyto ac felicissimo principe Leonardo Lauredano. » Sic titulum nobis descriptum communicavit vir humanissimus Aug. Christ. *Borheck.*

1516. Daventriæ, in-4°, *Persius cum Ecphrasi et Scholiis Jo. Murmellii.* Vid. Cat. Bibl. Zech. n° 661. (Jo. Murmellius obiit Daventriæ 1527.)

1517. Coloniæ, in-4° min. Nova commentaria in Persium. *A. Persii Flacci Satyræ compluscula quibus scatebant mendis repurgatæ : cum Ecphrasi et Scholiis Joannis Murmellii Rure-mundensis.* In fine : « Impressum Colonie in officina libraria

Quentell. Anno Domini MDXVII, in Septembri. » Hujus ed. rarioris notitiam debemus viro literatissimo A. C. *Borheck.*

1520. Paris. in-4°, *Persius* c. interpr. Jo. Britannici. Bibl. Zech. n° 662.

1522. Colon. in-4°. *A. Persii Flacci Satyræ, luculentissima Ecphrasi et Scholiis doctissimi viri Joh. Murmellii Ruremundensis enarratæ. — Herm. Buschii epistola, qua Persiani Prologi et primæ Satyræ argumentum explicatur.* — Apud Sanctam Ubiorum Coloniam Anno MDXXII. — In fine folii B legitur: « Coloniæ in ædibus Eucharii Cervicorni. » Mense Augusto. — Servatur in Bibl. Acad. Heidelberg. significante nobis perhumane Viro pl. rev. et doct. Car. Buttinghausen, Theol. D. et Prof.

1523. Ascensiana, in-fol. *Persii Satyræ cum quinque Commentariis et eorum indice amplissimo: ac Satyrarum argumentis Jodoci Badii Ascensii, Jo. Bapt. Plautii, Jo. Murmellii, Jo. Britannici, Ælii Antonii Nebrissensis. Additis ad calcem L. Joannis Scoppæ in eundem annotationibus.* Venundantur in ædibus Jodoci Badii Ascensii 1523. Ita Hambergerus, tom. II, p. 72.

1525. Eadem ex prelo Ascensiano. Conf. Engelii Bibl. sel. pag. 124.

1525. Colon. in-8°. *Persius c. scholiis Jo. Murmellii et Herm. Buschii ad eum epistola.* Vid. Bibl. Ernestianæ Cat. Lips. 1782, pag. 192, n° 2898.

1527. Paris. in-8°, ap. Rob. Stephanum. *Persius* c. notis Æl. Ant. Nebrissensis.

1529. Lucronii (in Hispania) in-8°, *Persius* c. n. Ælii Ant. Nebrissensis.

1531. Paris. in-4°, *Persius* c. scholiis Jo. Murmellii et ep. Herm. Buschii, ap. Christ. Wechel.

— Basil. in-8°, Persius. Vid. *Gœtze*, l. c. t. I, p. 526, n° 616.

1533. Eadem, ibid. ap. eumd.

1538. Paris. in-4°, *Persius* c. scholiis Jo. Murmellii et ep. Herm. Buschii ex off. Christiani Wechel. Cf. ad an. 1531, et Engelii Bibl. sel. p. 123; Bauerum, tom. III, pag. 186.

1538. Coloniæ, in-8°, *Persii Satyræ obscurissimæ alioqui luculentissima ecphrasi et scholiis Jo. Murmellii illustratæ. Accesse-*

runt Des. Erasmi, Roterod. Annotationes et Herm. Buschii epistola, ad intelligentiam Persii multum conducens. Coloniæ exc. Joannes Gymnicus, 1538. Vid. Cat. Bibl. Bunav. tom. I, vol. 1, pag. 345; cf. supra, an. 1522 et 1525.

1541. Antverp. in-8°, *Persius.* Vid. Cat. Bibl. Ultraject. in-8°, pag. 133.

1544. Aug. Vindel. in-fol. *Persius* c. Plautii, Cornuti, Britonis s. Britannici Brixiani, et Fontii Commentariis.

1551. Basil. Frobeniana, in-fol. *Persii Satyræ cum Comm. Jo. Badii, Jo. Britannici, Jo. Bapt. Plautii, Ant. Nebrissensis, Jo. Murmellii*, etc. Filia igitur est Ascensianæ; sed in ea notæ Nebrissensis non sunt integræ.

1553. Paris. in-8°, ap. Wechel. *Persius* c. n. Murmellii et Erasmi Fabricio memoratur.

1555. Paris. in-4°, *Persius* cum Ant. Foquelini Comm.

1558. Paris. in-4°, *Persius.* Vid. Bauerum Suppl. tom. II, pag. 264.

1560. Pictav. in-4°, *Persius c. Comm. A. Cornuti et Eliæ Vineti, Santonis.* — Pictavis apud Enguilbertum Marnefium. Exstitit in Bibl. Cordesiana (Paris. 1643, in-4°); Zechiana (Lips. 1780) pag. 46; Græviana, pag. 210, n° 71; et servatur in Bibl. Lugdun. (1716, in-fol.) tom. II, pag. 117.

1564. Lugd. in-12, *Persii*, repetita. Vid. Bauerum, tom. II, pag. 217; et Bibl. sel. Jo. Henr. Harscheri, bibliopolæ Basil. n° 1975, teste Catal. 1769.

1565. Antverp. Plantin. in-8°, *Persius e rec. et c. notis Th. Pulmanni.*

1578. Basil. in-4°, *Persius* c. n. varr. ex edit. Th. Freigii, Basileæ apud Petrum Pernam. Cf. Engelii Bibl. sel. pag. 124, ab initio, et Bauerum, tom. III, pag. 186.

1579. Paris. in-4°, *Persius* cum indice vocabulorum.

1580. Basil. in-4°, in Persium notas Phil. Engelberti commemorat Lipenius.

1582. Basil. in-4°, *Persius c. paraphrasi Nic. Frischlini notisque Valentini Volsci, Engentini, et Foquelini.* Cf. Becmani Catal. Bibl. Francof. pag. 223, Col. 1; Catal. Bibl. Ultraject. in-4°, pag. 51, et Bauerum, tom. III, pag. 186; Cat. Bibl. Ze-

chianæ, pag. 46, n° 664; et Bibl. select. Jo. Henr. Harscheri, Basil. pag. 249, n° 732.

ÆTAS III.

Pithœo-Casauboniana, 1585—1648. Petrus nimirum Pithœus, Cod. antiquissimum Budensem nactus, ex eo Persii et Juvenalis textum longe melius constitutum simulque e veteri exemplari glossas veteres in Persium selectiores consilio Jos. Scaligeri, et vitam Persii a Probo vel alio vetusto auctore scriptam primus edidit 1585, quam ed. repetiit H. Commelinus 1590. Denuo illum glossasque veteres recensuit Is. Casaubonus, poetam Commentario, quem Scaliger dixit « divinum, » illustravit Paris. an. 1605, quæ ed. repetita ibid. 1615, et cura Merici Casaub. filii, Londini 1647. Ante eum jam præclare de Persio meritus erat commentando Th. Marcilius, a cujus et Jo. Tornupæi curis auctior prodiit Parisina Claudii Morelli, cum notis varr. 1601, et Orrii 1613. Sed Casaubonum nemo superavit. Post Nic. Frischlinum tamen novi supervenere paraphrastæ ab an. 1595. Eilh. Lubinus, qui et ipse Wechelianas Persii 1603, 1607, et 1619, curavit, et Franc. Sanctius an. 1599. In Persium commentati etiam Steph. Claverius et Bernh. Autumnus, Galli, notasque breviores ad juvenum studia aptiores scripserunt Th. Farnabius, 1612; et Jo. Bond. 1614; quæ dein sæpissime recusæ sunt.

1586. Paris. in-8°, *Persius* c. vers. Gallica G. Durandi.

1587. Francof. in-8°, *Persius* cum paraphr. Nic. Frischlini.

1595. Amstel. in-8°, *Persius* cum paraphrasi et notis Eilhardi Lubini memorat Crenius P. III, Animadvers. pag. 16, et Catal. Bibl. Zech. pag. 61, n° 996; Bibl. Hasæana Brem. pag. 592, n° 146.

1596. Francof. in-8°, *Nicodemi Frischlini quum in Q. Horatii Epp. libros duos: tum in A. Persii Fl. Volaterr. Satyras sex paraphrases.* Francof. ad Mœnum typis Joh. Spiessii MDXCVI. Servatur in Bibl. Acad. Heidelb. significante nobis clar. *Büttinghausen.*

1599. Salmanticæ, in-8°, *Persius*, cum ecphrasi s. paraphr. et scholiis Franc. Sanctii, Brocensis.

1600. Paris. in-8°, *Persius* cum Comm. Theod. Marcilii, commemoratur Lipenio.

1601. Paris. in-4°, *Persii Satyræ* cum Comm. Theod. Marcilii, Jo. Tornupæi; L. A. Cornuti in eumdem Comm. ex Bibl. Jo. Roussati, El. Vineti Santonis in eumdem notæ. Acc. P. Pithœi variæ lectt. et notæ ad veteres glossas. Lut. Paris. apud Cl. Morellum.

1605. Paris. Casauboni I, in-8°, *Persii Satyrarum liber.* Isaacus Casaubonus recensuit et commentario libro illustravit. Parisiis, *N. Drouart.*

1607. Hanov. in-8°, *Persius* c. n. et paraphr. Eilh. Lubini.

1612. Lond. in-8°, *Persius* c. n. Tho. Farnabii.

1613. Paris. in-4°, *Persii Satyræ*, cum antiquissimis commentariis, qui Cornuto tribuuntur, collatis cum veteribus membranis et auctis : Eliæ Vineti præfatione et annotationibus, Johannis Britannici interpretatione, Phil. Beroaldi oratione habita in enarratione Persii, Angeli Politiani prælectione in eumdem; Petri Pithœi variis lectionibus et notis; Theodori Marcilii emendationibus et commentario. Lutetiæ, ap. Joh. Orris. Vid. Catal. Bibl. Bunav. tom. I, vol. 1, pag. 345.

1613. Paris. in-12, *Persius* ex off. Rob. Stephani.

1613. Colon. Agripp.

1614. Lond. in-8°, *Persius* cum notis posthumis Jo. *Bond.*

1615. Paris. Casauboni II, in-8°, *Persii Satyrarum Liber.* Isaacus Casaubonus recensuit et commentario libro illustravit. Parisiis, H. *Drouart.*

1621. Parmæ, in-4°, Asterii Manlii in I, et II *Persii* Satyram commentarius et notæ.

1621. *Persii Satyræ*, cum Comm. Barth. Fontii, Franc.

1625. Norimb. in-12, *Persius* c. n. posthumis J. *Bond.* Vid. Fabricium l. c.

1631. Norimb. in-12, *Persius* c. n. posthumis J. *Bond.*

1635. Jenæ, in-12, *A. Persii Satyræ* c. n. J. M. Dilherri. Vid. Cat. Bibl. Zechianæ Lips. 1680, p. 69, n° 1168.

Ab eodem Dilherro anno seq. Satyrici minores de corruptis sæculi moribus, Val. Cato, Petronius, Sulpicia poetria, etc. editi sunt.

1640. *Vita et Satira Persii*, Aur. Allobr. in-4°.

1644. Friburgi, in-8°, *Persius.*

1645. Amstel. in-12 maj. *Persius* c. posthumis commentariis Joannis *Bond*, quibus recens accessit index verborum : nunc primum excusus. Amstel. apud Jo. Janssonium.

1647. Lond. in-8°, Persius Casauboni, III editio : *A. Persii Fl. Satyrarum Liber, cum ejus vita, vetere scholiaste, et Isaaci Casauboni notis, qui eum recensuit et commentario libro illustravit, una cum ejusd. Persiana Horatii imitatione.* Editio novissima, auctior et emendatior ex ipsius auctoris codice : cura et opera Merici Casauboni Is. Fil. Accessit et Græcorum, ubi opus erat, interpretatio, item Index auctorum, rerum, verborum locupletissimus.

ÆTAS IV.

Casaubonio-Schreveliana ; ab an. 1648, ad nostram usque ætatem procedens.

1658. Paris. in-8°, *Persius* lat. et gall. *avec des remarques par le sieur Gefrier.*

1664. Amstel. in-12, Elzevir. *Persius* c. commentario Dav. Wedderburni Scoti, Aberdonensis, edente post fratris mortem Alex. Wedderburno.

1668. Amstel. in-12.

1675. Satira tertia *Persii* cum notis Vorstii, Lips.

1690. Neapoli, *Persius* cum Comm. Henr. Scalesii, Ord. Fr. pecc. 3 voll. quæ singula constant 500 pagg. Quæ ed. nobis non cognita, nisi ex J. Rud. Sinneri præf. Persii sui ed. 1765.

1725. Rostochii, in-8°, *Persii Satyr.* c. vers. germ. prosaria M. Joh. Benj. *Dragheim.*

1737. Mediolani, in-4°, *Persius* c. vers. Italica Ant. Mariæ Salvini, in Corp. omnium vet. poet. lat. Mediol. tom. XVI.

1738. Lips. in-8°, *Persius* c. vers. Germ. poetica. Jo. Dan. Heydii. Quæ quidem interpretatio satis est fusa.

1765. Norimbergæ, in-4°, *A. Persii Satyras sex* ad fidem optimarum editionum una cum variis lectionibus codicis Ebneriani edidit Georg. Frid. Sebaldus, tabulisque æneis incidit Jo. Mich. Schmidius, sumptibus b. Balth. Schmidii hæredum.

1765. Bernæ, in-8°, *Les Satyres de Perse. A Berne, chez*

B. L. Walthard, 1765.—« Auli Persii Flacci Satyræ : Bernæ, ex officina hæred. Wagneri, 1765. » *Sumt. B. L. Walthardi.* Duplicem hunc titulum excipit præfatio editoris (Jo. Rud. Sinneri, Bibliothecarii tum Bernensis, ab an. 1776, Advocati provinc. in *Erlach.*) in qua se præcipue ex Theod. Marcilii et Is. Casauboni Comm. profecisse, Tarteroni vers gall. utut sæpius a sensu poetæ aberrare sibi visam, et Drydenii vers. Anglicam, quæ magis ingenium interpretis, quam Persii redoleat, consuluisse, tandem vitam Persii (vetusto auctore a Pithœo editam) ad regulas artis criticæ emendasse, profitetur. (Videmus autem, jam olim vitam istam in fine a Dan. Eremita melius ordinatam conspirare cum emendatione Sinneriana.) Cujusque dein Satyræ fronti scite appictum est emblema ; textui latino e regione est versio Gall. prosaria. Dein Vita Persii sequitur c. vers. tum a pag. 81, explicatio emblematum, VI Satyris, et titulo libri Latipo appictorum ex antiquitate ; tandem, a p. 91 ad 184, notæ in Satyras Gallice satis eleganter scriptæ.

1775. Paris. in-8°, *Persius* c. vers. poet Gallica Selisii. Vide infra verss. Gall.

1775. Berolin et Lips. in-8° min. *Persius* c. vers. Germ. quæ quidem interpretatio fusa est.

1789. *Persius* ex edit. Casauboni, cura Homeri. Lond. Eleganter excusus.

1800. *Persii Sat.* in-12, Nuremberg.

1803. *Persii Sat. ex uno libro comprehensæ*, ad optimas editt. collatæ, cum selectis lectt. variis et annott. in-8° maj. Norimberg.

1804. *Persii Sat.* cum comment G. L. *König.* in-8°, Gott. Textus optimus.

1804. *Persii Sat.* Hafniæ, Editore Thulacio.

1804. *Persii Sat.* una cum Lucilii Fragment. in-8°, Vienn.

1808. *Aulus Persius Flaccus.* Textum recensuit Fr. *Passow.* In usum Prælectionum. in-8°, Lips. — Textum correctum sine notis, sed cum præfatione, exhibet hæc editio.

1807. *Persii Sat.* in-8°, *Munchen.* Edit. *Ortmann.*

1809. *Persii Sat.* in-8° maj. Lips.

1812. *Persii Sat.* cum comment. in-8°, Paris.

1812. *Persii Sat.* ad codd. Parisinos recensitas, lectt. varietate et commentario perpetuo illustravit *A. L. Achaintre*; in-8°, Paris.

VERSIONES.

GALLICÆ.

1514. h. a. Persium Gallica metaphrasi donavit Abel. Foulonius, Paris. Vid. Fabric.

1586. Persius ex vers. Gallic. G. Durandi, in-8°, c. textu Lat. Vid. ed. h. a.

1653. *Les Satires de Perse, traduites par Michel de Marolles. A Paris*, in-8°.

1658. *Les Satires de Perse, avec le Latin et des remarques, par le sieur Gefrier. A Paris*, in-8°.

1693. *Persius*, interprete eadem Sylvecano, additis notis. Paris.

1704. *Les Satires de Perse, traduites en vers françois, par M. Le Noble, avec le Latin à côté. A Paris*, in-12.

1706. Eadem repetita Amst. in-8°.

1765. *Les Satires de Perse, avec des Notes. A Berne, chez B. L. Walthard*, in-8°, c. figg. et textu Latino, cujus titulum vide supra.

1771. *Les Satires de Perse, traduction nouvelle, par M. Carron Le Gibert.*

— *Les Satires de Perse, avec le texte Latin à côté, et des notes, par M. l'abbé Le Monnier. A Paris, chez Jombert*, in-8°.

1772. *Les Satires de Perse, traduites en vers et en prose, pour servir de suite à la traduction de Juvénal, par M. Dusaulx; avec un discours sur la Satire. A Paris*, in-8°.

1775. *Les Satires de Perse, traduites en vers françois, avec des remarques par M. Selis, ancien Professeur d'Éloquence. A Paris*, in-8°. Idem quoque Persium defendit adversus contemptum interpretis alterius *Dusaulx*, scripta *Dissertation sur Perse, par M. Selis, Profess. des Belles-Lettres au Collége de Louis-le-Grand. A Paris, chez Fournier*, 1783, in-8°.

1776. *Les Satires de Perse, traduites en vers françois, par M. Taillade d'Hervilliers. A Paris, chez Nyon,* in-8°. *Le texte Latin, avec une traduction en prose, précède la traduction en vers.* Versio hæc longe est inferior, quod ad curam fidemque attinet, illa Monnierii; neque æque elegans est, ut ista Selisii.

Repetita, ann. 1812. *Paris, chez Volland.*

1812. *Les Satires de Perse, traduites en vers françois, par L. V. Raoul; Meaux,* in-8°.

1827. *Satires de Perse et de Sulpitia traduites en vers français,* par A. F. *Théry,* cum notis. Paris. *Hachette,* in-12.

GERMANICÆ.

1674. Joh. Sam. Adami, *Kays. gekr. Poetens, verdeutschter Persius in sechs Satyren. Dresden.* in-8°.

1725. *Des Rœmischen Poeten Persii sechs Satyræ, in die teutsche Sprache übersezet, mit nüzlichen Anmerkungen, auch mit den besten Phrasibus und einer accuraten lateinischen Edition versehen von M. Joh. Benj. Dragheim. Rostock.* in-8°.

1738. *A. Persii Satiren. Aus dem Lateinischen übersezt und mit Anmerkungen erlæutert. Diesen sind vorgesezt: 1° Plutarchs Abhandlung, wie man die Poeten lesen soll; aus dem Griechischen übersezt; 2° Eine Abhandlung von der Satirischen Poesie der Griechen und der Satire der Rœmer, von Joh. Dan. Heyden. Leipzig, bey B. Ch. Breitkopf.* in-8°.

1775. *Die Satiren des Aulus Persius Flaccus, sammt einer erklærenden Uebersezung. Berlin, bey Georg. Jacob Derker,* in-8°.

ANGLICÆ.

1697. *Persius* ex metaphrasi præstantissimorum poetarum Diepneyi, Drydenii, Creechii et Congrevii, cum notis et diss. de natura, origine et progressu Satiræ. Vid. Fabric.

1719. Versio Anglica ab Hen. *Eelbeck,* Ludimagistro, in-12. Lond. cum paucis Notis et Vita Persii brevi. Versio literalis, prosaica, cum Indicibus Lat. et Angl.

1728. *Persius translated into English prose, with explanatory*

Notes, by Thomas Sheridan, in-8°, *Dublin.* — Editio secunda, cum Indice et text. Lat. vulgata fuit Lond. 1739, in-12.

1730. *The Satires of Persius translated into English prose, by J. Senhouse.* Annotationibus illustrantur. Lond.

1736. *A. Persii Sat. sex.* Ab. J. *Stirling*, A. M. In usum Scholarum. Continet *Ordinem*, Phrasium Explicationem (Anglice), Historicum, Geographicum, et Poeticum indicem, etc. in-8°, Lond.

The Satires of Persius, translated into English verse, with some occasional Notes, and the original Text corrected. By Thos. Brewster, A. M. in-4°, Lond. 1741. — Versio multum laudata, et laude digna. Editio secunda, vulgata Lond. 1751, habet Vitam Persii præfixam, secundum *Mons. Bayle*, in-12, sine Notis.

1752. *The Satires of Persius, translated into English, with Notes critical and explanatory. By Edm. Burton, Esq.* in-4°, Lond. Versio prosaica est: notæ sunt valde æstimandæ.

1799. His adjicias, apud Anglos, *the Satires of Persius translated by W. Drummond., Esq.* in-8°. Lond. Versu Runico, et musico, et cum notis ac præfat. elegantibus. Nec prætermittenda est versio poetica, novissima et concinna et venusta, Francisci *Howes*, A. M. Lond. 1809, cum notis doctissimis.

Et quidem addendum sit quod, ut singularium sat. interpretes et imitatores Juvenalis habuit, sic etiam Persius. Ex hoc numero, *the Baviad, a paraphrastic imitation of the first Satire of Persius, A new edit.* Cum notis, 1793; et qui (*Meister*) Sat. I, in-8°, 1801, et comment. in Sat. IV, in-8°, 1801, cum multis aliis.

HISPANICÆ.

1609. *Persius, interprete Didaco Lopez Valentino, Burgis*, in-8°. Versionem quoque Barthol. Melgareji, sed ineditam, memorat Nic. Antonius.

ITALICÆ.

1576. *Le oscurissime Satire di Persio con la chiarissima spositione di Giovani Antonio Vallone. Napoli*, in-8°.

1630. *Metaphrasin Persii* c. Commentariis edidit Francisc. Stellatus, Romæ, in-4°.

1706. Francisc. Stellati *metaphrasis Persii* repetita Amst. in-8°.

1726. *Le Satire di A. Persio, tradotte in verso Toscano da Ant. Mar. Salvini. In Firenza*, in-4°.

1733. Idem in Corp. omnium vett. poett. Mediolanensi, tom. XVI.

1737. *Satire di A. Persio. Tradotto in verse Toscano da Ant. M. Salvini. Milano.*

1803. *Satire di A. Persio; traduzione di V. Monti. Milano* in-8°, cum notis.

Repetita Florentiæ 1826, apud Lionard. *Ciardetti*, in-8°, auctior, et multo emendatior.

Versio hæc multis laudibus ornanda, poeticam Persii vim et acerrimam bilem feliciter æmulatur, ejusque ambages et nodos subtili eruditione plerumque resolvit. Singulare hoc habet ut sexta Satira pari versuum italicorum numero reddatur.

GRÆCA.

Prologum Persii Græca metaphrasi donavit præter Jos. Scaligerum, Dionysius Petavius lib. II, ep. 29.

TESTIMONIA VETERUM

DE JUVENALE ET PERSIO.

M. VALERIUS MARTIALIS Epigr. VII, 24.

Cum Juvenale meo quæ me committere tentas,
  Quid non audebis, perfida lingua, loqui?
Te fingente nefas, Pyladen odisset Orestes:
  Thesea Pirithoi destituisset amor.
Tu Siculos fratres, et majus nomen Atridas,
  Et Ledæ poteras dissociare genus.
Hoc tibi pro meritis, et talibus imprecor ausis,
  Ut facias illud, quod, puto, lingua facis.

IDEM, Epigr. VII, 91.

De nostro, facunde, tibi, Juvenalis, agello
  Saturnalitias mittimus ecce nuces.
Cætera lascivis donavit poma puellis
  Mentula custodis luxuriosa Dei.

IDEM, Epigr. XII, 18.

Dum tu forsitan inquietus erras
Clamosa, Juvenalis, in Suburra,
Aut collem dominæ teris Dianæ;
Dum per limina te potentiorum
Sudatrix toga ventilat, vagumque
Major Cœlius et minor fatigant;
Me multos repetita post Decembres
Accepit mea, rusticumque fecit,
Auro Bilbilis et superba ferro.

CLAUDIUS RUTILIUS ITINERAR. Lib. I, 603—606.

Hujus vulnificis Satira ludente Camœnis
  Nec Turnus potior, nec Juvenalis erit.
Restituit veterem censoria lima pudorem;
  Dumque malos carpit, præcipit esse bonos.

C. SOLLIUS APOLLINARIS SIDONIUS Carm. IX, 266 sq. *ad Magnum Felicem* Cos.

Non qui tempore Cæsaris secundi
Æterno incoluit Tomos reatu:
Nec qui consimili deinde casu,
Ad vulgi tenuem strepentis auram,
Irati fuit histrionis exul.

AMMIANUS MARCELLINUS
Historiar. Lib. XXVIII.

Quidam detestantes, ut venena, doctrinas, Juvenalem et Marium Maximum curatiore studio legunt, nulla volumina, præter hæc, in profundo otio contrectantes.

PORPHYRIO
seu, quisquis est, *vetus Grammaticus in Comment. ad Horat.* Sat.

Satyra Horatii inter Lucilii Satiram et Juvenalis est media: nam et asperitatem habet, qualem Lucilius, et suavitatem, qualem Juvenalis.

SUIDAS IN LEXICO.

Ἰουβεναλιος ποιητὴς Ῥωμαῖος· οὗτος ἦν ἐπὶ Δομετιανοῦ βασιλέος Ῥωμαίων. Ὁ δὲ Δομετιανὸς ἐφθόνει τὸν ἀρχηστὴν πρασίνου μέρους τὸν λεγόμενον Πάριν, περὶ οὗ καὶ ἐλοιδορεῖτο ὑπὸ τῆς συγκλήτου, καὶ Ἰουβεναλίου τοῦ ποιητοῦ· ὅστις βασιλεὺς ἐξώρισε τὸν Ἰουβενάλιον ἐν Πενταπόλει ἐπὶ τὴν Λιβύην, τὸν δὲ ἀρχηστὴν πλουτίσας ἔπεμψεν εἰς Ἀντιόχειαν· ὃς κτίσας οἶκον καὶ λουτρὸν ἔξω τῆς πόλεως ἐκεῖ τελευτᾷ.

Multi inter recentiores de Juvenale judicia tulerunt, quos recensere supersedeo, quosdam tantum e Nostratibus indicare contentus. Boileau, *Art Poétique, chant II;* La Harpe, *Cours de Littérature,* Ire *partie, ch.* 9; Dusaulx, in egregia versionis suæ præfatione; Schoell, *Histoire abrégée de la Litt. Rom.* t. II, p. 329 sqq. Dussault, *Annales littéraires,* t. III, p. 430 sqq.

M. FABIUS QUINTILIANUS, lib. X, cap. 1, *Institut. Orator.*

Satira quidem tota nostra est, in quæ primus insignem laudem adeptus est Lucilius, qui quosdam ita deditos sibi adhuc habet ut eum non ejusdem modo operis auctoribus, sed omnibus poetis præferre non dubitent. Ego quantum ab illis, tantum ab Horatio dissentio, qui « Lucilium fluere lutulentum, et esse aliquid, quod tollere possis, » putat. Nam et eruditio in eo mira, et libertas, atque inde acerbitas et abunde salis. Multo est tersior, ac purus magis Horatius, et ad notandos hominum mores præcipuus. Multum et veræ gloriæ, quamvis uno libro, Persius meruit. Sunt clari hodieque, et qui olim nominabuntur.

M. VALER. MARTIALIS, lib. IV, 29.

Obstat, care Pudens, nostris sua turba libellis:
Lectoremque frequens lassat et implet opus.
Rara juvant: primis sic major gratia pomis;
Hybernæ pretium sic meruere rosæ:
Sic spoliatricem commendat fastus amicam,
Janua nec juvenem semper aperta tenet.

Sæpius in libro memoratur Persius uno,
Quam levis in tota Marsus Amazonide.
Tu quoque de nostris releges quemcumque libellis,
Esse puta solum : sic tibi pluris erit.

HIERONYMUS, *in Chron.*

Anno imperii Tiberii trigesimo secundo, olympiade ducentesima, Persius Flaccus poeta Volaterris nascitur, et olympiade ducentesima decima moritur : cujus præceptor Cornutus philosophus postea in exsilium pulsus est.

CASSIODORUS, *in Fastis.*

Gallo et Noniano consulibus, Persius Flaccus, satiricus poeta, Volaterris nascitur.

DIOMEDES, ex lib. III *Grammat.*

Satira dicitur carmen apud Romanos, nunc quidem maledicum, et ad carpenda hominum vitia archææ comœdiæ charactere compositum, quales scripserunt Lucilius, Horatius et Persius : sed olim carmen, quod ex variis poematibus constabat, satira vocabatur, quales scripserunt Pacuvius et Ennius.

CASP. BARTH. lib. VIII *Epiderpid.* Epig. 52, p. 127.

TARRÆUS HEBIUS (qui idem cum BARTHIO) lib. X, *Amphitheatr. Sapient.* Epig. 37, p. 160.

Ut a liquore potus Hippocrenæo
Dat erudita, Persius, sed obscura.

IDEM TARR. HEBIUS, lib. XXIV *Amphitheatr. Serior. Joc.* Epig. 53, p. 393.

Ut vitia expurges, scrutabere mentem animi ipsam,
Ut Flaccum capias, omnia docta tene.
Dum discis vatem, vitii natura patescit,
Hic vere scripsit legitimam satiram.

IDEM, *ibid.* Epig. 59, p. 54.

Sint saturæ satiræ doctrina et moribus altis,
Ebrius est istis Persius, ergo duplex.

Inter recentiores de Persio judicarunt, præter interpretes, BOILEAU, *Art Poétique, chant II ;* LA HARPE, *Cours de Littérature, première partie, ch.* 9, § 2 ; SCHOELL, *Hist. abrégée de la Litt. Rom.* t. II, p. 313.

INDEX

VOCABULORUM OMNIUM,

QUÆ IN SATIRIS PERSII

LEGUNTUR.

Prior numerus Satiram; posteriores versum indicant.

A.

A, II, 70; V, 88, 160; VI, 42.
A tergo, I, 58.
Ab, V, 4, 46.
Abaco, I, 131.
Ablatura, I, 100.
Abrodens, V, 163.
Ac, I, 2, 66; V, 114, *bis*; VI, 45.
Accedam, V, 173.
Accedas, I, 6.
Accedat, VI, 67.
Accedo, VI, 55.
Accersor, V, 172.
Acci, I, 50, 76.
Accipio, V, 87.
Acerra, II, 5.
Acervi, VI, 80.
Aceti, IV, 32.
Aceto, V, 86.
Acre, IV, 34; V, 127.
Acri, II, 13; III, 23; V, 14.
Actus, V, 99.
Ad, IV, 28, V, 123, 126, 131, 141, 165; VI, 56.
Ad sacra, *Prolog.* 7.
Ad morem, III, 31.
Ad populum phaleras, III, 30.
Adde, VI, 58.
Addita, I, 92.
Adductis, III, 47.
Adeo, VI, 14, 51.
Adhuc, III, 58.
Admissus, I, 117.
Admoveam, II, 75.
Admovit, VI, 1.
Adsit, III, 7.
Adsigna, V, 81.
Adunca, IV, 40.
Advehe, V, 134.
Adverso, I, 44.
Ædes, II, 36.
Ædilis, I, 130.
Ægæum, V, 142.
Ægris, III, 88.
Ægro, V, 129.
Ægroti, III, 83.
Æquali, V, 47.
Æra, II, 59; III, 39.
Ærumnis, I, 78.
Ærumnosique, III, 79.
Affero, *Prolog.* 7.
Afferre, I, 69.
Afflate, I, 123.
Agam, V, 134.
Agaso, V, 76.
Age, II, 17, 42; VI, 52.
Agedum, II, 22.
Agendo, V, 97.
Ager, VI, 52.

Agis, III, 5; V, 154.
Agitare, VI, 5.
Agitet, V, 129.
Agnam, V, 167.
Ahenos, II, 56.
Ais, I, 2.
Ait, I, 40, 85; III, 7; V, 163.
Alba, I, 110; V, 183.
Albas, I, 59.
Albata, II, 40.
Albo, III, 98.
Albus, I, 16; III, 115.
Alea, V, 57.
Algente, III, 111.
Alges, III, 115.
Alia, III, 36.
Alienis, I, 22.
Aliquem, I, 129.
Aliquid, I, 125; III, 60; V, 137; VI, 32, 64.
Aliquis, I, 32; III, 8, 77.
Aliud, IV. 19; V, 68.
Alius, V, 83; VI, 18.
Alli, V, 188.
Alter, I, 27; VI, 76.
Altera, V, 67; VI, 26.
Alternus, V, 155, 156,
Alto, III, 33, 103; V, 95.
Amarum, IV, 48.
Ambages, III, 20.
Ambiguum, V, 34.
Ambitio, V, 177.
Ambo, V, 43.
Amborum, V, 45.
Amens, III, 20.
Amice, V, 23.
Amicis, III, 47; V, 109.
Amico, I, 116.
Amicus, VI, 28.
Amitis, VI, 53.
Amo, I, 55.
Amomis, III, 104.
Amplexa, V, 182.
An, I, 41, 87; III, 19, 27; V, 83, 125, 155, 163, 164; VI, 51, 63.
Ancipiti, V, 156.
Ancipitis, IV, 11.
Angues, I, 113.
Angulus, VI, 13.
Angustæ, III, 50.
Angustas, III, 2.
Anhelanti, V, 10.
Anhelet, I, 14.
Animæ, I, 14; II, 61; V, 23.
Animam, VI, 75.
Animi, II, 73.
Animo, V, 65.
Animus, IV, 7; V, 39.
Anne, III, 39.
Annos, II, 2; V, 36, 69.
Annuere, II, 43.
Anseris, VI, 71.
Ante, I, 74; II, 33; IV, 5, 15; V, 115, 142, 166.
Anticyras, IV, 16.
Antiopa, I, 78.
Antithetis, I, 86.
Anus, IV, 19.
Apennino, I, 95.
Aperto, II, 7.
Apponit, II, 2.
Apposita, V, 38.
Appula, I, 60.
Aprici, V, 179.
Aptas, V, 140.
Aptaveris, V, 95.
Aptior, II, 20.
Aptius, I, 45, 46.
Aqualiculus, I, 57.
Arat, IV, 26.
Arator, V, 102.
Aratra, I, 75.
Aratro, IV, 41.
Arcadiæ, III, 9.
Arcana, V, 29.
Arcanaque, IV, 35.
Arcesilas, III, 79.
Arcessis, II, 45.
Arctos, V, 170.
Arcum, III, 60.
Areti, I, 130.
Argenti, II, 11, 52.

Argento, III, 69.
Aris, VI, 44.
Aristas, III, 115.
Arma, I, 96; VI, 45.
Arripit, V, 159.
Ars, V, 105.
Articulos, V, 59
Artifex, *Prolog.* 11.
Artificemque, V, 40.
Artifices, I, 71.
Artis, *Prolog.* 10.
Artocreasque, VI, 50.
Arundo, III, 11.
Asper, III, 69.
Aspexi, I, 10.
Aspice, I, 125.
Assem, I, 88.
Assensere, I, 36.
Assidue, III, 1.
Assiduo, IV, 18.
Assonat, I, 102.
Ast, II, 39; VI, 27, 74.
Astringas, V, 110.
Astrum, V, 51.
Astutam, V, 117.
At, II, 5, 68; III, 16, 96, 105; IV, 33; V, 62, 171, 178; VI, 41.
Attinge, III, 108.
Atque, II, 32; III, 98; V, 44, 94, 131, 170; VI, 4, 75.
Attamen, II, 48; V, 159.
Attin, I, 93, 105.
Audaci, I, 123.
Aude, VI, 49.
Audi, VI, 42.
Audiat, II, 8.
Audiet, V, 137.
Audire, I, 84.
Audiret, III, 47.
Audis, I, 125.
Auratis, III, 40.
Aurea, II, 58.
Aure, I, 126; VI, 70.
Aurem, II, 21; V, 86, 96.
Aures, IV, 50; V, 63.
Auriculas, I, 59, 108, 121; II, 30.
Auriculis, I, 22, 23.
Auro, II, 53, 55; IV, 44; V, 106.
Aurum, II, 59, 69.
Ausim, V, 26.
Auster, VI, 12.
Aut, III, 68; VI, 16.
Avaritia, V, 132.
Avia, II, 31; VI, 55.
Avias, V, 92.
Avidos, V, 150.
Avis, I, 46.
Avunculus, VI, 60.
Axe, V, 72.

B.

Baccam, II, 66.
Balanatum, IV, 37.
Balba, I, 33.
Balnea, V, 126.
Balteus, IV, 44.
Barba, II, 58.
Barbam, I, 133; II, 28.
Barbatum, IV, 1.
Baro, V, 138.
Bassaris, I, 101.
Basse, VI, 1.
Bathylli, V, 123.
Baucis, IV, 21.
Beatulus, III, 103.
Belle, I, 49, *bis.*
Bellum, I, 87, *bis.*
Bene, I, 111; IV, 22, 30.
Berecyntius, I, 93.
Bestius, VI, 37.
Beta, III, 114.
Bibulas, IV, 50.
Bicipiti, *Prolog.* 2.
Bicolor, III, 10.
Bidental, II, 27.
Bile, II, 14; IV, 6.
Bilis, III, 8; V, 144.
Bis, terque, II, 16.
Blandi, V, 32.
Blando, IV, 15.
Bombis, I, 99.

Bona, II, 5, 8, 63; VI, 21, 37.
Bone, II, 22; III, 94; VI, 43.
Boni, IV, 17.
Bove, II, 44.
Boves, I, 74.
Bovillas, VI, 55.
Braccatis, III, 53.
Brevis, V, 121.
Briseis, I, 76.
Bruma, VI, 1.
Bruttia, VI, 27.
Bruto, V, 85.
Buccas, V, 13.
Bullaque, V, 31.
Bullit, III, 34.
Buxum, III, 51.

C.

Caballino, *Prolog.* 1.
Cachinno, I, 12.
Cachinnos, III, 87.
Cadat, V, 91.
Cadunt, III, 102.
Cæco, I, 62.
Cæcum, IV, 44.
Cædimus, IV, 42.
Cædit, I, 106.
Cælestium, II, 61.
Cærulea, VI, 33.
Cæruleum, I, 94.
Cæsare, VI, 43.
Cæso, II, 44.
Cæsonia, VI, 47.
Cætera, V, 122.
Calabrum, II, 65.
Calamo, III, 12, 19.
Calcaverit, II, 38.
Calces, III, 105.
Calet, III, 108.
Calice, VI, 20.
Calidæ, IV, 7.
Calido, V, 144.
Calidum, I, 53.
Calidumque, III, 100.
Callem, III, 57.
Calles, IV, 5; V, 105.
Callidior, III, 51.
Callidus, I, 118; V, 14.
Callirhoen, I, 134.
Caloni, V, 95.
Calve, I, 56.
Camelo, V, 136.
Camœna, V, 21.
Camino, V, 10.
Campo, V, 57.
Campos, II, 36.
Candelæ, III, 103.
Candida, III, 110.
Candidus, II, 2; IV, 20; V, 33.
Canicula, III, 5, 49.
Canina, I, 109.
Canis, I, 60; V, 65, 159.
Canis, ἀπὸ τοῦ adject. *canus*, V, 65.
Canitiem, I, 9.
Cannabe, V, 146.
Cano, I, 83.
Cantare, *Prolog.* 14.
Cantas, I, 89.
Cantaverit, IV, 22.
Cantet, I, 88.
Canthum, V, 71.
Canto, V, 166.
Capillis, III, 10.
Capite, III, 80, 106; V, 18.
Capiti, I, 83.
Cappadocas, VI, 77.
Caprificus, I, 25.
Captis, VI, 46.
Caput, I, 100; II, 16; III, 58; V, 188.
Carbone, V, 108.
Caret culpa, III, 33.
Carmen, *Prolog.* 7.
Carmina, I, 20, 43, 63; V, 2.
Carminis, V, 5.
Carpamus, V, 151.
Casiæ, VI, 36.
Casiam, II, 64.
Casses, V, 170.
Castiges, I, 7.
Castoreum, V, 135.

Catasta, VI, 77.
Catenæ, V, 160.
Catino, III, 111.
Catinum, V, 182.
Catoni, III, 45.
Cauda, V, 183.
Caudam, IV, 15.
Caules, VI, 69.
Causas, III, 66.
Cautus, IV, 49; V, 24.
Cedo, *pro* da, II, 75.
Cedro, I, 42.
Celsa, I, 17.
Censen', V, 168.
Censoremque, III, 29.
Centenas, V, 26.
Centeno, V, 6.
Centum, I, 29; V, 1, 2, *bis*, 191; VI, 48.
Centuriones, V, 189.
Centurionum, III, 77.
Centusse, V, 191.
Cepe, IV, 31.
Ceraso, VI, 36.
Cerdo, IV, 51.
Certe, V, 51.
Certo, V, 45, 100.
Certum, V, 65.
Cervice, I, 98.
Cervices, III, 41.
Cespite, VI, 31.
Cessas, V, 127.
Cesses, IV, 33.
Cessit, V, 30.
Ceves, I, 87.
Chærestratus, V, 162.
Χαῖρε, *Prol.* 8.
Charisque, III, 70.
Chartæ, III, 11.
Chartis, V, 62.
Chiragra, V, 58.
Chlamydes, VI, 46.
Chordæ, VI, 2.
Chrysidis, V, 165.
Chrysippe, VI, 80.
Cicer, V, 177.
Ciconia, I, 58.
Cicutæ, IV, 2; V, 145.
Cinere, VI, 41.
Cinis, I, 36; V, 152; VI, 45.
Cinnama, VI, 35.
Cippus, I, 37.
Circum, *præp.* I, 32, 117.
Cirratorum, I, 29.
Citius, V, 95.
Cito, V, 161.
Citreis, I, 53.
Cives, VI, 9.
Cladem, VI, 44.
Clam, I, 119.
Clamet, II, 22, 23.
Clare, II, 8; VI, 51.
Clarum, III, 1.
Claudere, I, 93.
Clauso, V, 11.
Cleanthea, V, 64.
Clientis, III, 75.
Clivumque, VI, 56,
Coa, V, 135.
Cocta, III, 22.
Coctum, I, 97.
Cœna, V, 147.
Cœnam, VI, 33.
Cœnanda, V, 9.
Cœnare, VI, 16.
Cognatis, V, 164.
Cognoscite, III, 66; VI, 9.
Colligis, I, 22; V, 85.
Collo, III, 50.
Collueris, I, 18.
Comitem, I, 54.
Comites, V, 32.
Comitum, III, 7.
Committere, II, 4.
Commota, IV, 6.
Compage, III, 58.
Compescere, V, 100.
Compita, IV, 28; V, 35.
Compositas, III, 91.
Compositum, II, 73.
Compositus, III, 104.
Conari, *Prolog.* 9.

Concessit, V, 119.
Conchæ, II, 66.
Concordia, V, 49.
Condidit, VI, 29.
Conditur, II, 14.
Connives, VI, 50.
Consentire, V, 46.
Consumere, V, 41.
Consumpsimus, V, 68.
Contemnere, III, 21.
Contentus, V, 139.
Continet, V, 98.
Continuo, V, 190.
Contra, V, 96.
Convivæ, I, 38.
Coquatur, VI, 69.
Coquit, III, 6.
Coquitur, V, 10.
Cor, I, 78; II, 54; III, 111; VI, 10.
Corbes, I, 71.
Cornea, I, 47.
Cornicaris, V, 12.
Cornua, I, 99.
Cornute, V, 23, 37.
Corpora, V, 187.
Corpusque, II, 41.
Corrupto, II, 64.
Cortice, I, 96.
Corvos, *Prolog.* 13.
Corymbis, I, 101.
Costa, VI, 31.
Costam, I, 95.
Coxit, II, 65.
Cras, V, 66 *bis*, 68 *bis*.
Crassa, II, 42.
Crassi, II, 36.
Crassisque, III, 104.
Crasso, VI, 40.
Crassos, V, 60.
Crassum, V, 190.
Crassus, III, 12.
Crateras, II, 52.
Cratero, III, 65.
Cratino, I, 123.
Credam, IV, 47.
Credas, *Prolog.* 14; III, 9; V, 161.
Crede, IV, 1.
Credens, I, 129.
Credere, V, 80.
Crepet, II, 11; V, 25.
Crepidas, I, 127.
Crepuere, III, 101.
Creta, V, 108.
Cretata, V, 177.
Cribro, III, 112.
Crimina, I, 85.
Crispante, III, 87.
Crispini, V, 126.
Crudi, I, 51.
Crudis, I, 92.
Crudo, II, 67.
Crudum, V, 162.
Crura, IV, 42.
Cubito, IV, 34.
Cui, I, 32; III, 19; V, 84.
Cuinam, II, 19.
Cuiquam, II, 19.
Cuique, V, 53.
Cuivis, II, 6.
Cujus, IV, 25.
Culpa, III, 33.
Culpam, V, 16.
Cultor, V, 63.
Cultrixque, III, 26.
Cum, I, 11, 45; IV, 12, 22, 37, 46; V, 32, 58, 67, 72, 113, 115, 122, 157, 160, 172, 179; VI, 72.
Cumque, V, 34.
Cum primum, V, 30.
Cum, *præpos.* I, 16; IV, 30; V, 18, 139, 166, 186; VI, 39.
Cumini, V, 55.
Cunis, II, 31.
Cur, III, 16, 85; V, 89; VI, 61.
Curas, *nomen*, I, 1.
Curata, IV, 18.
Cures, II, 18.
Curibus, IV, 26.
Curo, III, 78.
Curras, V, 72.
Currere, III, 91.

Curta, IV, 52.
Curtaveris, VI, 34.
Curto, V, 191.
Curva, IV, 12.
Curvæ, II, 61.
Curvos, III, 52.
Curvus, VI, 16.
Custos, V, 30.
Cuticula, IV, 18.
Cutis, III, 63.
Cynico, I, 133.

D.

Da, II, 45, 46; IV, 45.
Dabit, VI, 35.
Dabitur, II, 50.
Dama, V, 76, 79.
Damnosa, III, 49.
Damus, II, 71; V, 22.
Dant, VI, 8.
Dare, II, 71; V, 20, 93.
Dat, I, 68.
Datum, V, 124.
Datus, III, 68.
Dave, V, 161, 168.
De, I, 33, 55, 109; III, 77, 84, 92; V, 92; VI, 30, 31.
Deque, VI, 55.
Debilis, V, 99.
Deceat, III, 27, 71, 114.
Decenter, I, 84.
Deceptus, II, 50.
Decerpere, V, 42.
Decies, VI, 79.
Decipe, IV, 45.
Decoctius, I, 125.
Decoquit, V, 57.
Decor, I, 92.
Decorus, IV, 14.
Decursu, VI, 61.
Decussa, III, 112.
Dedecus, I, 81; V, 163.
Dederam, V, 118.
Dedit, V, 105.
Deduxit, III, 56.
Deest, VI, 64.
Defecerit, III, 76.
Defensis, III, 74.
Defer, V, 126.
Defigere, V, 16.
Dei, *pro* Dii, VI, 30.
Deinde, IV, 8; V, 143.
Delphin, I, 94.
Delumbe, I, 104.
Demersos, I, 106.
Demersus, III, 34.
Demum, I, 64.
Denique, I, 52.
Dentalia, I, 73.
Dente, VI, 21.
Dentes, III, 101.
Deorum, II, 29.
Deos, V, 187.
Depellentibus, V, 167.
Depinge, VI, 79.
Deposcere, V, 26.
Deprendere, III, 52.
Deradere, IV, 29.
Descendere, IV, 23.
Desinis, IV, 16.
Despuat, IV, 35.
Despumare, III, 3.
Destertuit, VI, 10.
Deterius, III, 96; IV, 21.
Detonsa, III, 54.
Detonsis, IV, 38.
Deunces, V, 150.
Deus, III, 71; VI, 62.
Dexter, III, 48.
Dextram, III, 107.
Dextro, II, 11; III, 57; V, 114.
Dia, divina, I, 31.
Dic, II, 22; IV, 3; VI, 51.
Dicam I, 56; VI, 58.
Dicas, I, 23; V, 17, 158, 171.
Dicat, III, 42, 78; IV, 46.
Dicenda, IV, 5,
Dicere, I, 8, 44, 68, 128; III, 46; IV, 2.
Dicier, I, 28.
Dicisque, III, 117.

Dicit, III, 90.
Dicite, II, 69.
Dicito, I, 55.
Dicta, VI, 66.
Dictarunt, I, 52.
Dictata, I, 29.
Dictaturam, I, 74.
Didicisse, I, 24.
Didicit, I, 93.
Diducit, V, 35.
Diem, II, 1; IV, 15; V, 67.
Dies, III, 15; V, 46, 60, 180.
Digito, I, 28; II, 33; V, 138.
Digitum, V, 119.
Digna, I, 42.
Dignoscere, V, 24, 105.
Dis, II, 63; IV, 27; V, 167; VI, 48.
Diluis, V, 100.
Dilutas, III, 14.
Dinomaches, IV, 20.
Dira, III, 36; IV, 2.
Dirigat, I, 66.
Dirigis, III, 60.
Dirimebat, I, 94.
Disce, III, 73; V, 91.
Discedo, I, 114.
Discernis, IV, 11.
Discincti, III, 31.
Discincto, IV, 22.
Discite, III, 66.
Discolor, V, 52.
Discrepet, VI, 18.
Discutitur, II, 25.
Disponimus, V, 43.
Dispositæ, V, 181.
Dissolvit, II, 64.
Dissutis. III, 59.
Ditescant, VI, 15.
Diversum, V, 154.
Dives, IV, 26.
Dividit, V, 49.
Divis, II, 4.
Divûm, II, 31; III, 35.
Dixeris, V, 113, 189.
Dixit, V, 81.
Do, I, 134.
Docet, III, 53.
Doctas, I, 86.
Doctores, VI, 38.
Doctus, V, 16.
Docuit, *Prolog.* 9.
Dolores, V, 161.
Dolosi, *Prolog.* 12.
Domini, V, 130.
Dominos, V, 156.
Dominum, V, 125.
Dominus, V, 78.
Domo, III, 92.
Domum, I, 75.
Domusque, II, 25.
Dona, II, 53.
Donant, V, 82.
Donare, I, 54.
Donas, V, 67.
Donata, 5, 31.
Donatæ, II, 70.
Donaveris, IV, 50.
Donec, II, 50.
Dubites, V. 45.
Ducentis, V, 4.
Ducere, II, 63; V, 83.
Duci, *verbum*, V, 46.
Ducis, *verbum*, III, 28.
Ducis, *nomen*, VI, 48.
Ducit, V, 40, 176.
Dulcia, V, 151.
Dulcis, V, 23, 109.
Dum, IV, 21; V, 10, 92, 165.
Duo, I, 3.
Duorum, V, 49.
Duos, I, 113.
Duplica, VI, 78.
Duplici, V, 154.
Durum, III, 112.

E.

E manibus, I, 38; III, 101.
E tumulo, I, 39.
E sitiente camelo, V, 136.
Ebenum, V, 135.

Ebria, I, 51.
Ebrius, V, 166.
Ebullit, II, 10.
Ecce, I, 30, 69; II, 31; V, 68.
Echo, I, 102.
Edictum, I, 134.
Effluis, III, 20.
Effundat, I, 65.
Egerit, V, 69.
Egit, V, 131.
Ego, I, 45; V, 26, 124; VI, 12, 22, 62.
Egregie, VI, 49.
Egregios, VI, 6.
Egregium, IV, 46.
Eheu, V, 137.
Eia, V, 132.
Elargiri, III, 71.
Elegidia, I, 51.
Elevet, I, 6.
Eliquat, I, 35.
Elixasque, IV, 40.
Emaci prece, II, 3.
Emeris, II, 30.
Emeruit, V, 74.
Emole, VI, 26.
Empta, VI, 20.
En, I, 26; III, 5; V, 154.
Enarrabile, V, 29.
Enim, I, 47, 63; V, 63.
Enni, VI, 10.
Ensis, III, 40.
Epulis, III, 98; V, 42.
Equidem, I, 110; V, 19, 45.
Erat, III, 49; V, 93.
Ergennaque, II, 26.
Ergo, IV, 6.
Eris, VI, 42.
Erit, I, 41; V, 69.
Eritis, I, 111.
Error, V, 34
Es, I, 44; III, 23; IV, 51; V, 109; VI, 61.
Escam, I, 22.
Esse, I, 48; III, 71, 79, 118; VI, 10.
Essedaque, VI, 47.
Est, I, 1; III, 25; IV, 34; V, 1, 76, 151, 153, 174; VI, 9, 19, 26, 52, 56, 59, 64, 68.
Estne, II, 18.
Esto, II, 42; IV, 20; V, 113.
Et, *Prolog.* 13; I, 3, 4, 9, etc.
Et quid opus, III, 65.
Etenim, III, 48; IV, 10; V, 41.
Etiam, VI, 58, 59.
Euge, I, 49, 75, 111; V, 167.
Eupolidem, I, 124.
Evion, I, 102.
Evitanda, V, 107.
Evitandumque, II, 27.
Ex, II, 63; VI, 11, 57, 59.
Ex adverso, I, 44.
Ex humero, I, 90.
Ex tempore, III, 62.
Examen, V, 101.
Examenve, I, 6.
Excepto, V, 90.
Exclamet, V, 103.
Excussit, III, 115.
Excusso, I, 118.
Excute, I, 49; VI, 75.
Excutias, II, 54.
Excutienda, V, 22.
Excutit, III, 101.
Excutitur, VI, 45.
Exemit, II, 32.
Exere, V, 119.
Exhalante, III, 99.
Exhalet, V, 148.
Exieras, V, 174.
Exierit, I, 25.
Exime, VI, 67.
Exis, V, 130.
Exit, I, 45, 46; V, 78; VI, 60.
Exoptas, II, 44.
Exossatus, VI, 52.
Expedivit, *Prolog.* 8.
Expers, VI, 39.
Expiat, II, 34.
Exporrecto, III, 82.
Expungam, II, 13.

Exspecta, IV, 19.
Exspes, II, 50.
Exstat, IV, 38.
Exstet, I, 57.
Exstincta, V, 166.
Exstinxerit, V, 145.
Exsultat, I, 82.
Exsuperat, III, 89.
Extendit, III, 2, 105.
Extis, II, 48; VI, 71.
Extra, I, 7, 113.
Extremumque, I, 48.
Extrinsecus, V, 128.

F.

Fabula, V, 3, 152.
Face, III, 116; V, 166.
Facere, V, 97.
Faciam, I, 12; V, 172.
Facies, *nomen*, II, 56.
Facimus, I, 10.
Facis, IV, 48.
Facisque, III, 117.
Facit, II, 69; V, 76.
Fæcem, IV, 32.
Fagi, V, 59.
Falernum, III, 3.
Fallere, V, 37.
Fallier, III, 50.
Fallit, IV, 12.
Fama, II, 8.
Far, III, 25; V, 74.
Farina, III, 112.
Farinæ, V, 115.
Farragine, V, 77.
Farrata, IV, 31.
Farre, II, 75.
Farto, II, 48.
Fas, I, 8, *bis;* III, 69; V, 98.
Fas est, I, 44; VI, 25.
Fasque, II, 73.
Fata, V, 49.
Fauces, III, 113.
Faucibus, III, 89.
Favilla, I, 39.
Faxit, I, 112.
Feci, VI, 78.
Fecisse, IV, 7.
Felix, I, 37.
Fenestra, V, 180.
Fenestras, III, 1.
Fenoris, VI, 67.
Feram, *verbum*, II, 53.
Ferat, III, 62.
Fermentum, I, 24.
Ferret, III, 48.
Fert animus, IV, 7.
Ferrum, V, 4.
Ferus, V, 171.
Ferveat, I, 126.
Fervebit, V, 9.
Ferventi, III, 37.
Ferventis, II, 67.
Fervescit, III, 116.
Fervet, IV, 6.
Festa, VI, 69.
Festuca, V, 175.
Flaccus, I, 116.
Flagellas, IV, 49.
Flagello, *nomen*, III, 51.
Flammis, II, 47.
Flexura, I, 101.
Flexus, III, 68.
Floralia, V, 178.
Fiat, II, 38.
Fibra, I, 47; II, 45; V, 29.
Fibris, II, 26; III, 32.
Fictile, II, 60.
Fidele, II, 41.
Fidelia, III, 22, 73; V, 183.
Fidelibus, V, 48.
Fides, *nomen*, II, 8.
Fierent, I, 103.
Fies, V, 152.
Fiet, V, 66, *bis.*
Figas, IV, 33.
Figentes, III, 80.
Figit, IV, 28.
Figuræ, VI, 73.
Figuras, I, 86.
Filius, VI, 59.

Filix, IV, 41.
Findor, III, 9.
Fine, III, 24.
Finem, V, 65.
Finemque, I, 48.
Fingendus, III, 24.
Finere, V, 161.
Finitor, VI, 80.
Fissa, VI, 70.
Fistula, III, 14.
Fit, VI, 38.
Fixi, V, 27.
Fixum, V, 111.
Fluere, I, 64.
Flumine, II, 16.
Foci, III, 26.
Foco, VI, 1.
Focus, I, 72.
Fœdere, V, 45.
Fœnisecæ, VI, 40.
Fœno, I, 72.
Fœtum, II, 46.
Folle, V, 11.
Fonte, *prolog.* 1.
Forcipe, IV, 40.
Forent, V, 107.
Fores, *nomen*, V, 166.
Forte, I, 45, 108, 125; III, 109.
Fortunare, II, 45.
Fortunataque, I, 39.
Fossor, V, 122.
Fracta, I, 89.
Fractus, I, 18.
Frangam, V, 165.
Frange, VI, 32.
Frangimus, V, 50.
Fratres, II, 56.
Fregerit, I, 130; V, 59.
Fregit, I, 115.
Fretus, IV, 3.
Frigent, III, 109.
Frigescant, I, 109.
Frigidus, VI, 45.
Fronte, V, 116.
Frontem, V, 104.
Frontemque, II, 32.
Fruge, V, 64.
Frustra, III, 63; V, 71.
Fueris, V, 115.
Fuge, VI, 65.
Fugit, V, 153, 160.
Fuisse, I, 29.
Fulta, I, 78.
Fulto, V, 146.
Fumo, V, 20.
Fumosa, I, 72.
Fumosum, VI, 70.
Funde, II, 3.
Fundo, *nomen*, II, 51.
Funemque, V, 118.
Funeris, VI, 33.
Funus, II, 10.
Fur, I, 85.

G.

Galli, V, 186.
Garrit, V, 96.
Gaudere, I, 132; VI, 63.
Gausapa, VI, 46.
Gausape, IV, 37.
Gemina, IV, 10.
Geminos, V, 49; VI, 18.
Gemuerunt, III, 39.
Generis, VI, 60.
Generoso, II, 74.
Generum, II, 37.
Genio, II, 3; V, 151; VI, 19.
Genioque, IV, 27; VI, 48.
Gente, III, 77.
Genuinum, I, 115.
Germanæ, VI, 44.
Gestas, VI, 49.
Gestit, I, 127.
Gigni, III, 83.
Gignimur, III, 67.
Glutto, V, 112.
Glyconi, V, 9.
Græce, I, 70.
Græcos, V, 191.
Graiorum, I, 127.
Graios, VI, 38.

Grana, V, 55.
Granaria, V, 110; VI, 25.
Grande, I, 14; V, 7.
Grandes, I, 68; II, 42; V, 186.
Grandi, III, 55.
Grandia, III, 45; VI, 22.
Grave, V, 12.
Gravem, V, 50.
Gravis, III, 89.
Gregibus, II, 46.
Gurgite, II, 15.
Gurgulio, IV, 38.
Gustaveris, V, 188.
Guttas, II, 54; III, 14.
Guttur, I, 17.
Gutture, III, 99; V, 6.

H.

Habes, IV, 44.
Habet, I, 50, 121; III, 70; V, 176.
Habita, IV, 52.
Hac, V, 73.
Hæc, II, 15; IV, 19, 39; V, 5, 82, 87, 108, 113, 122, 163, 189; VI, 41.
Hæreat, V, 121.
Hæres, *verbum*, II, 19.
Halitus, III, 89.
Hamo, V, 154.
Haud, II, 6; III, 36, 52, 114; IV, 19; VI, 58.
Haud mora, V, 171.
Hedera, *Prolog.* 6.
Helicone, V, 7.
Heliconiadasque, *Prolog.* 4.
Helleborum, III, 63; V, 100.
Heminas, I, 130.
Herba, VI, 26.
Hercule, I, 2; II, 12.
Heres, *nomen*, II, 12; VI, 33, 41, 56.
Herilis, V, 131.
Heroas, I, 69.
Herodis, V, 180.
Hesterni, III, 106.
Hesternum, III, 59; V, 68.
Heu, V, 75.
Heus, II, 17; III, 94.
Hianda, V, 3.
Hiantem, V, 176.
Hic, *pronomen*, I, 13, 28; III, 98, 108; V, 1, 54, 56, 57, 76, 86, 131, 174, *ter;* VI, 21, 60.
Hic, *adverb.* I, 19, 32, 50; V, 149; VI, 12.
Hinc, III, 103; V, 17, 64; VI, 67.
Hircosa, III, 77.
His, III, 26; V, 26; VI, 18.
Hoc, I, 24, 112; II, 70; III, 27, 85; IV, 1, 9, 30; V, 19, 28, 45, 66, 82, 124, 153, 161; VI, 10, 39.
Hoc pacto, IV, 43.
Hominis, III, 118.
Hominum, I, 1; V, 52, 98.
Honesto, II, 74; VI, 5.
Honore, I, 129.
Hora, V, 48, 153.
Horoscope, VI, 18.
Horridulum, I, 54.
Hortante, V, 21.
Hos, V, 69.
Hospes, II, 8.
Huc, III, 8; VI, 62.
Huccine, III, 15.
Humana, III, 72.
Humero, I, 90.
Humeros, I, 32.
Humilesque, II, 6.
Humor, III, 12.
Hunc, II, 1, 19, 37, 38; III, 97; IV, 27, *bis;* V, 57, 78, 155.
Hunccine, V, 155.
Hyacinthina, I, 32.
Hybernatque, VI, 7.
Hypsipylas, I, 34.

I.

I, ab *Eo*, *is*, IV, 19; V, 126.
Id, II, 71; III, 95; V, 97; VI, 16, 65.
Idcirco, II, 28.
Idem, V, 66.

Ideo, VI, 23.
Idonea, V, 20.
Igitur, I, 98; II, 21; IV, 14; V, 172; VI, 48.
Ignoras, V, 125; VI, 43.
Ignoscite, I, 11.
Ignotus, IV, 34.
Ignovisse, II, 24.
Ilex, II, 24.
Ilia, IV, 43.
Iliade, I, 123.
Ilias, I, 50.
Illa, II, 9; V, 108.
Ille, I, 13; V, 57, 176; VI, 13, 62.
Illi, V, 159; VI, 74.
Illinc, V, 173.
Illis, *Prolog.* 5; I, 38, 115; II, 58.
Illita, III, 53.
Illud, II, 55; IV, 9 *bis.*
Illum, III, 105.
Imagines, *Prolog.* 5.
Imitata est, I, 59.
Immeiat, VI, 73.
Immittere, II, 62.
Immurmurat, II, 9.
Imo, II, 51.
Impallescere, V, 62.
Impellere, II, 21.
Impellit, V, 128.
Impello, II, 13.
Impensius, VI, 68.
Imperio, V, 158.
Implerunt, I, 99.
Imprimet, I, 37.
Improbe, IV, 47.
Improbum, I, 6.
Impulit, II, 59.
Impune, V, 32.
Impunitior, V, 130.
Imus, III, 41, 42.
In, I, 1, 67, *bis*, 105; II, 61, 69; III, 49, 72, 105, 113; IV, 23, 35, 48; V, 2, 49, 58, 72, 77, 96, 121, 129, 147, 154, 175; VI, 17, 20, 26, 29, 33, 61, 79.
Inque, III, 11, 15; IV, 42; V, 111.
Inane, I, 1.
Inanes, II, 61.
Inclusi, I, 13.
Incolumis, VI, 37.
Incoctum, II, 74.
Increpuit, V, 127.
Increvit, III, 32.
Incurvasse, I, 91.
Incusaque, II, 52.
Incussere, V, 187.
Inde, I, 126; V, 153.
Indomitum, III, 3.
Induco, VI, 49.
Induit, I, 74.
Indulge, V, 151.
Indulges, I, 41.
Indulget, V, 57.
Induto, III, 106.
Inepte, V, 12.
Ineptus, V, 175.
Inexpertum, III, 52.
Infami, II, 33.
Infelix, III, 43; VI, 13.
Inflantes, V, 187.
Infodiam, I, 120.
Infundere, I, 79.
Infusa, III, 13.
Ingeminat, I, 102; III, 87.
Ingemit, IV, 30.
Ingemuere, V, 61.
Ingenique, *Prolog.* 10.
Ingenium, III, 37; IV, 4.
Ingens, V, 190; VI, 7.
Ingentes, I, 20; VI, 30.
Ingentesque, VI, 47.
Ingenuo, V, 16.
Ingere, V, 177.
Ingeris, V, 6.
Inguine, V, 4; VI, 72.
Inguinibus, IV, 38.
Inhibere, II, 34.
Iniquas, I, 130.
Innata est, I, 25.
Inodora, VI, 35.
Inopi, VI, 32.
Inops, VI, 28.

Inquis, I, 55, 112; VI, 51.
Inquit, V, 85, 132, 133.
Insana, III, 5.
Insane, V, 143.
Inscitia, V, 99.
Inseris, V, 63.
Insignem, VI, 44.
Insomniis, III, 54.
Inspice, III, 88, 89.
Instantique, V, 157.
Instat, V, 133.
Insulso, V, 9.
Intabescantque, III, 38.
Integer, V, 173.
Intendis, V, 13.
Intendisse, VI, 4.
Intendit, II, 49.
Intepet, VI, 7.
Inter, I, 30; II, 56; III, 100; IV, 11; V, 189.
Intima, I, 21.
Intortos, V, 38.
Intrant, I, 21.
Intrat, III, 2; V, 128.
Introrsum, II, 9.
Intumuit, V, 145.
Intus, I, 24, 50; III, 30, 42; V, 129.
Inventus, VI, 80.
Invideas, III, 73.
Invigilat, III, 55.
Ionio, VI, 29.
Ipse, *Prolog.* 6; II, 23; III, 117; VI, 21, 29.
Ira, III, 116; V, 91.
Iratis, IV, 27.
Iratum, I, 124.
Iratus, III, 18; VI, 34.
Irriguo, V, 56.
Irrorans, VI, 21.
Ista, IV, 41.
Istas, III, 19.
Iste, VI, 71.
Istud, III, 94.
Ita, VI, 38.
Ita est, V, 81.
Italis, V, 54.
Italo, I, 129.
Itane, III, 7.
Iter, V, 34.

J.

Jaces, II, 27.
Jacet, VI, 29.
Jactare, IV, 15.
Jactat, V, 175.
Jam, II, 14, 49, *bis*, 50, *ter*; III. 1, 10; V, 33, 61, 68, 110, *bis*. 140, 158; VI, 1, 45, 46, *bis*, 53, 59, 78, *bis*, 79.
Jamdudum, III, 6.
Jamne, VI, 2.
Jampridem, III, 97.
Jamque, VI, 30.
Jane, I, 58.
Jecore, I, 25; V, 129.
Jocos, VI, 5.
Jove, II, 18; V, 50, 114, 139.
Jovemque, II, 43.
Jovis, II, 21.
Jubente, II, 26.
Jubeo, V, 161.
Jubet, VI, 10.
Judex, II, 20.
Judice, V, 80.
Jugum, IV, 28.
Junctura, I, 65, 92; V, 14.
Junicum, II, 47.
Jupiter, II, 22, 23, *bis*, 29, 40; V, 137.
Jura, V, 137.
Jure, III, 48.
Juret, III, 118.
Jus, II, 73; V, 176.
Jussit, II, 67; III, 72; V, 89.
Jussus, III, 90.
Justum, IV, 9, 10.
Juvat, I, 112; II, 62; V, 24, 62.
Juvenci, III, 39.
Juvenes, VI, 5.
Juvenesque, V, 64.

Juvenum, V, 63.
Juventus, III, 54, 86.
Juxta, VI, 52.

L.

Labe, III, 25.
Labefactent, IV, 40.
Labella, II, 32.
Labello, III, 82.
Labentes, II, 2.
Labeonem, I, 4.
Laborat, V, 39.
Laboro, II, 17.
Labra, *Prolog.* 1; V, 184.
Labris, I, 105; III, 102.
Laceræ, VI, 31.
Lacerna, I, 54.
Lactibus, II, 30.
Læna, I, 32.
Læsum, V, 148.
Lætari, II, 54.
Lævo, II, 53.
Lagena, III, 62; VI, 17.
Lallare, III, 18.
Lambunt, *Prolog.* 5.
Lampada, VI, 61.
Lance, II, 71; IV, 10.
Lapidosa, V, 58.
Lapillo, II, 1.
Laquearibus, III, 40.
Lare, V, 109.
Large, V, 177.
Largior, VI, 51.
Largire, VI, 32.
Largitor, *Prolog.* 10.
Laribus, V, 31.
Latet, III, 113; V, 29.
Latinæ, VI, 4.
Lato, IV, 44.
Latus, VI, 7, 76.
Laudanda, III, 46.
Laudant, I, 38.
Laudare, I, 71.
Laudari, I, 47.
Laudatur, I, 87.
Laurus, VI, 43.
Lautus, VI, 23.
Lavatur, III, 98.
Laxa, I, 98.
Laxamus, V, 44.
Laxes, V, 110.
Laxis, III, 102.
Laxumque, III, 58.
Lectis, I, 52.
Lecto, III, 104.
Lector, I, 126.
Legarat, VI, 66.
Legendum, I, 98.
Leges, I, 17.
Leget, I, 2.
Legunto, V, 7.
Lemures, V, 185.
Lenia, III, 93.
Lente, III, 99.
Leti, V, 153.
Leve, I, 64.
Levis, I, 82.
Levior, I, 37.
Lex, V, 98.
Libabit, II, 5.
Libelle, I, 120.
Liber, *nomen*, III, 10.
Liber, *adject.* I, 13, 76; V, 83, 124.
Liberior, V, 85.
Liberque, V, 114.
Libertas, V, 82.
Libertate, V, 73.
Libertis, VI, 23.
Libido, III, 36.
Libra, V, 47.
Libræ, IV, 11.
Librat, I, 86.
Liceat, V, 89, 97.
Licet, IV, 39; V, 84, *bis*, 87.
Licetur, V, 191.
Licini, II, 36.
Lictor, I, 71; V, 175.
Ligus, VI, 6.
Limen, V, 165.
Limina, I, 109,

Limite, III, 57.
Limo, III, 22.
Limum, IV, 29.
Linea, III, 4.
Lingua, II, 9.
Linguæ, I, 60; V, 25.
Linguas, I, 81; V, 2.
Linquere, I, 43.
Lippa, II, 72.
Lippos, I, 79.
Lippus, V, 77.
Liquescant, II, 47.
Liquido, I, 17.
Litabis, V, 120.
Litabo, II, 75.
Litera, I, 110; III, 56.
Littore, VI, 29.
Littus, VI, 8.
Locat, VI, 47.
Locatus es, III, 72.
Locuplete, III, 74.
Locus, I, 113.
Longa, V, 160.
Longo, I, 95.
Longos, V, 41.
Loquendi, I, 80.
Loquere, IV, 8.
Loquimur, V, 21.
Loquor, V, 153.
Loquuturi, V, 7.
Loquutus, I, 33, 42.
Loturo, III, 93.
Lotus, V, 86.
Lubrica, V, 135.
Luce, VI, 69.
Lucemque, V, 60.
Lucernæ, V, 181.
Luciferi, V, 103.
Lucilius, I, 114.
Lucis, II, 27.
Lucro, VI, 75.
Luctata, V, 159.
Lucum, I, 70.
Ludere, I, 127.
Ludit, I, 117.
Luditur, III, 20.
Ludo, V, 16.
Lumbi, IV, 35.
Lumbum, I, 20.
Lumine, III, 2, 80.
Lunaï portum, VI, 9.
Lupe, I, 115.
Lusca, V, 186.
Lusce, I, 128.
Lusco, I, 128.
Lusisse, VI, 6.
Lustralibus, II, 33.
Lutatus, III, 104.
Lutea, III, 95; VI, 46.
Luto, V, 111.
Lutoque, III, 61.
Lutum, III, 23.
Lux, V, 67.
Luxum, I, 67.
Luxuria, V, 142.
Lympha, III, 13.
Lyncem, I, 101.
Lyra, VI, 2.

M.

Macram, II, 35.
Macrine, II, 1.
Mænaque, III, 76.
Mænas, I, 101, 105.
Mæonides, VI, 11.
Magis, III, 39, 40.
Magister, *Prolog.* 10.
Magistro, III, 46.
Magistrum, IV, 1.
Magna, II, 71.
Magnanimus, VI, 22.
Magne, III, 35.
Magni, II, 72.
Magnos, III, 65.
Magnum, V, 66.
Majestate, IV, 8.
Major, VI, 60.
Majore, III, 92.
Majorum, I, 108.
Male, IV, 9.
Maligne, III, 21.

Malis, id est, *genis*, III, 59.
Mammæ, III, 18.
Mando, 39.
Mane, I, 134; II, 16; III, 1; V, 132, 188.
Manes, *nomen*, V, 152.
Manet, VI, 54.
Manibus, I, 38; II, 35; III, 101.
Manius, VI, 56, 60.
Mansuescit, IV, 41.
Mantica, IV, 24.
Manus, I, 59; III, 11; IV, 8.
Manusque, III, 108.
Marce, V, 81.
Marcentes, IV, 36.
Marco, V, 79, 80.
Marcus, V, 79, 81.
Mare, V, 146; VI, 7.
Marem, VI, 4.
Maris, VI, 39.
Marsi, III, 75.
Mascula, V, 144.
Massa, V, 10.
Massæ, II, 67.
Masuri, V, 90.
Matertera, II, 31; VI, 54.
Mavis, IV, 45.
Mavult, V, 56.
Maxillis, IV, 37.
Me, IV, 46; V, 36, 61; VI, 57, 61.
Mea, V, 113.
Medendi, V, 101.
Medico, III, 90.
Medis, III, 53.
Meditantes, III, 83.
Meditor, V, 162.
Meiite, I, 114.
Melicerta, V, 103.
Melior, IV, 16.
Meliore, II, 1.
Melos, *Prolog.* 14.
Membrana, III, 10.
Membris, III, 115.
Memini, *Prolog.* 3; III, 44; V, 41.
Meminisse, V, 179.
Memor, V, 153.
Men', I, 88, 119.
Mendax, V, 77.
Mendose, V, 85.
Mendosum, V, 106.
Mens, II, 8.
Mensa, V, 44.
Mensasque, V, 17.
Mentes, V, 35.
Mentis, II, 74.
Mephites, III, 99.
Mera, V, 82.
Meracas, IV, 16.
Mercare, VI, 75.
Mercede, II, 29.
Merces, VI, 67.
Mercibus, V, 54.
Mercurialem, V, 112.
Mercuriumque, II, 44.
Mercurius, VI, 62.
Mergis, *verbum*, II, 15.
Mergis, *nomen*, VI, 30.
Meruisse, I, 42.
Merum, II, 3.
Messalæ, II, 72.
Messe, VI, 25.
Messes, III, 5.
Metæ, III, 68.
Metas, I, 131.
Metuam, I, 47.
Metuas, III, 26; VI, 26, 41.
Metuens, II, 31; IV, 29.
Metuentia, I, 43.
Metus, V, 131.
Meum, VI, 7.
Meus, V, 88; VI, 41.
Mida Rex, I, 121.
Mihi, I, 4, 47, 55; V, 19, 27, 30, 89; VI, 6, 52, 56, 57 59, 64, 65, 69, 73, 78.
Mille, V, 52.
Millesime, III, 28.
Milvus, IV, 26.
Mimalloneis, I, 99.
Min', I, 2.
Minimum, II, 17.
Minuas, VI, 37.

Minui, VI, 16, 64.
Minutum, III, 17.
Miræ, I, 111.
Mire, VI, 3.
Miscere, V, 122.
Miser, III, 15, *bis*, 107.
Miserabile, I, 3.
Miseri, III, 66.
Miserisque, V, 65.
Missa est, VI, 43.
Mittit, II, 36.
Mittunt, II, 57.
Mobile, I, 18.
Mobilis, I, 59.
Modesto, V, 149.
Modice, III, 92.
Modico, V, 15.
Modicum, III, 25.
Modicus, V, 109.
Modo, I, 44, 69.
Modus, III, 69.
Mœsto, V, 3.
Molle, III, 23, 110.
Molli, I, 63.
Mollis, III, 68.
Momento, V, 78.
Moneat, V, 143.
Monitus, I, 79.
Monstrari, I, 28.
Monstravit, III, 57.
Montes, III, 65.
Monumenta, III, 75.
Morantur, II, 43.
Morbo, III, 64.
Mordaci, I, 107; V, 86.
Mordens, IV, 30.
More, I, 19.
Morem, III, 31.
Mores, I, 26, 67; II, 62; III, 52; IV, 35; V, 15, 38.
Moretur, I, 77.
Morientis, IV, 32.
Morituro, III, 45.
Moror, I, 111.
Morosa, VI, 72.
Mos, V, 1.
Moveare, V, 123.
Moveat, I, 88.
Moverit, III, 37.
Moves, V, 184.
Mox, V, 108; VI, 5.
Multa, III, 73; IV, 49; VI, 8.
Multum, I, 132; III, 46.
Multumque, III, 86.
Mundi, VI, 76.
Munera, IV, 51.
Muria, VI, 20.
Murice, II, 65.
Murmura, III, 81.
Murmure, V, 11.
Murmurque, II, 6.
Musa, I, 68.
Mutat, II, 60; V, 54.
Muti, I, 115.
Mutire, I, 119.
Mycenis, V, 17.

N.

Nam, I, 8; II, 56; V, 70, 159.
Namque, II, 13.
Nare, *nomen*, I, 33, 109.
Naribus, I, 41.
Nascentur, I, 40.
Nascuntur, V, 130.
Naso, I, 118; III, 87; V, 91; VI, 17.
Nata, V, 48.
Natalibus, VI, 19.
Natalitia, I, 16.
Natat, I, 105; V, 183.
Nates, IV, 40.
Nattæ, III, 31.
Natura, V, 101.
Naturaque, V, 98.
Naufragus, I, 88.
Navem, V, 102, 141.
Ne, III, 96; IV, 21; V, 97, 106, 170, 172; VI, 32.
Nebulam, V, 181.
Nebulas, V, 7.
Nec, *Prolog.* 1, 2; I, 119 *bis*; III,

73; V, 11, 13, 53, 122, 128, 157, 174; VI, 23, 24, 76.
Nefas, I, 119; V, 122.
Negaris, V, 157.
Negas, V, 133.
Negatas, *Prolog.* 11.
Negato, II, 39.
Negliget, VI, 34.
Nemo, I, 2, *bis*, 3; IV, 23, *bis*.
Nemon', III, 8.
Nempe, II, 70; III, 1; V, 67.
Nepos, VI, 71.
Neque, V, 10.
Nequeas, II, 4.
Nequicquam, II, 51; IV, 14; 50.
Nerea, I, 94.
Nerio, II, 14.
Nervis, II, 41.
Nervos, IV, 45; V, 129.
Nescio, V, 51.
Nescio quid, III, 88; V, 12.
Nescire, VI, 36.
Nescit, III, 33.
Nescius, V, 34, 101.
Neu, III, 51; VI, 66.
Nigra, III, 13.
Nigri, V, 185.
Nigrum, IV, 13.
Nihil, I, 27; III, 84, 94; V, 128.
Nihilo, I, 30; III, 84.
Nihilum, III, 84; VI, 55.
Nil, I, 111, 122; III, 84, 108; V, 119, 141.
Nilne, I, 83.
Nimis, I, 40.
Nisi, I, 24, 27, 63; II, 4; V, 83, 123, 142; VI, 50.
Niti, V, 6.
Nobis, I, 104; V, 82.
Nocte, I, 90.
Noctem, II, 16.
Noctes, V, 42.
Nocturnis, V, 62.
Nodosaque, III, 11.
Nodum, V, 159.
Nollem, III, 45.
Nolo, I, 11.
Non, I, 8, 36, 37, 38, 39; III, 31, 78, 109, 118, *bis*; V, 29, 73, 76, 89, 145, 175, 187; VI, 51.
Nonne, I, 96.
Non queo, V, 133.
Non secus ac si, I, 66.
Nonaria, I, 133.
Nondum, III, 76.
Noris, IV, 52; V, 18.
Nosse, VI, 24.
Nostin', IV, 25.
Nostra, *Prolog.* 9; V, 87, 178.
Nostræ, V, 22, 115.
Nostro, I, 68; V, 50; VI, 14.
Nostros, II, 62.
Nostrum, *Prolog.* 7; V, 151; VI, 39.
Notasti, V, 108.
Novi, III, 30.
Novimus, IV, 43.
Nox, III, 91.
Nucibus, I, 10.
Nugæ, I, 5.
Nugari, I, 70.
Nugaris, I, 56; V, 169.
Nugator, V, 127.
Nugis, V, 19.
Nulla, I, 58, 122; VI, 52, 53, 54.
Nullo, V, 120.
Num, VI, 43.
Numæ, II, 59.
Numera, II, 1.
Numeris, I, 92; VI, 3.
Numero, I, 64.
Numeros, I, 13, 131; V, 123.
Nummi, *Prolog.* 12; V, 149.
Nummo, IV, 47.
Nummos, V, 80.
Nummum, V, 111.
Nummus, II, 51; III, 70.
Nunc, I, 36, 38, 64; II, 36 *bis*; III, 23 *bis*, 116; IV, 19; V, 21, 110 *bis*, 171, 172, 174; VI, 6, 31, 68 *bis*.
Nusquam, I, 119.

Nutrici, II, 39.
Nutrieras, V, 150.

O.

O, IV, 3.
O bone, II, 22; VI, 43.
O curas hom. I, 1.
O curvæ, etc. II, 61.
O Jane, I, 58.
O miser, III, 15.
O miseri, III, 66.
O mores, I, 26.
O si, II, 9, 10.
Ob, VI, 16, 44, 48.
Obba, V, 148.
Oberrat, IV, 26.
Oberres, V, 156.
Oberret, VI, 32.
Objurgabere, V, 169.
Obscœnum, V, 165.
Obsequio, V, 156.
Obstat, V, 141.
Obstem, V, 163.
Obstipo capite, III, 80.
Obstiteris, V, 157.
Obvia, VI, 30.
Occa, VI, 26.
Occipiti, I, 62.
Occurrite, I, 62; III, 64.
Ocello, I, 18.
Ocima, IV, 22.
Ocius, II, 24; III, 7; V, 141.
Oculi, III, 117.
Oculo, I, 66.
Oculos, II, 34; III, 44; V, 33.
Œnophorum, V, 140.
Offas, V, 5.
Officia, V, 94.
Officium, VI, 27.
Ohe, I, 23.
Oletum, I, 112.
Oleum, VI, 50.
Olim, VI, 71.
Olivo, II, 64; III, 44.
Olla, V, 8.
Ollam, IV, 31.
Olus, III, 112; VI, 20.
Omenta, II, 47.
Omento, VI, 74.
Omne, I, 116; III, 6; VI, 76.
Omnem, VI, 28.
Omnes, I, 111; VI, 14.
Omnia, I, 110.
Opem, II, 41.
Operæ, VI, 9.
Opertum, I, 121.
Opifex, VI, 3.
Opimo, II, 48.
Opimum, III, 32.
Oportet, V, 155.
Optare, V, 2.
Optent, II, 37.
Optes, I, 84.
Opus, I, 67; III, 65; V, 43.
Opus est, V, 73.
Ora, V, 2; VI, 6.
Orbis, II, 20.
Orca, III, 76.
Orcæ, III, 50.
Ordo, III, 67.
Ore, III, 113; V, 15.
Orestes, III, 118.
Orti, VI, 15.
Os, I, 42.
Oscitat, III, 59.
Ossa, I, 37; VI, 35.
Ostendisse, V, 24.
Ostendit, V, 38.
Ovato, II, 55.
Ovium, II, 26.
Ovoque, V, 185.

P.

Pacto, IV, 43.
Pacuviusque, I, 77.
Pagina, V, 20.
Palato, I, 35.
Palæstritæ, IV, 39.
Palilia, I, 72.
Palleat, III, 43.

Pallentes, V, 15.
Pallentis, V, 55.
Palles, I, 124; III, 85, 94; IV, 47; V, 80, 184.
Pallidamque, *Prolog.* 4.
Pallor, I, 26.
Palmis, VI, 39.
Palpo, V, 176.
Palumbo, III, 16.
Palustrem, V, 60.
Pandere, IV, 36.
Pannosam, IV, 32.
Pannucea, IV, 21.
Papæ, V, 79.
Pappare, III, 17.
Par, V, 6.
Paratum, I, 90.
Paratus, I, 132; VI, 36.
Parca, V, 48.
Parere, V, 158.
Paria, VI, 48.
Pariter, V, 43.
Parnasso, *Prolog.* 2.
Pars, II, 5; V, 23, 160.
Parte, III, 72.
Parthi, V, 4.
Parvum, V, 120.
Parvus, III, 44.
Passim, III, 61.
Pasta, III, 55.
Patella, III, 26; IV, 17.
Pater, III, 35, 47; VI, 58.
Paterna, VI, 66.
Paterni, I, 103.
Paterno, III, 24.
Patinæ, II, 42; VI, 21.
Patranti, I, 18.
Patres, I, 79.
Patriæ, III, 70.
Patriam, V, 164.
Patriciæ, VI, 73.
Patricius, I, 61.
Patruelis, VI, 53.
Patrui, II, 10; VI, 54.
Patruos, I, 11.
Patula, III, 6.
Paulo, V, 115.
Paulum, V, 69; VI, 42.
Pavido, V, 30.
Pavisse, VI, 77.
Pavone, VI, 11.
Peccas, V, 119.
Peccat, II, 68 *bis*.
Peccent, VI, 36.
Pecori, VI, 13.
Pectas, IV, 37,
Pectine, VI, 2.
Pectore, II, 53; III, 107; V, 27, 117, 144.
Pectus, II, 74; III, 88.
Pecuaria, III, 9.
Pecunia, III, 109.
Pecus, II, 46; III, 6.
Pedę, I, 13; IV, 12.
Pedes, III, 108.
Pedibus, V, 18.
Pedio, I, 85.
Pedius, I, 85.
Pegaseium, *Prolog.* 14.
Pejoribus, VI, 15.
Pelle, IV, 14.
Pellem, V, 140.
Pellere, I, 84.
Pelliculam, V, 116.
Pellis, III, 95.
Penates, II, 45.
Pendas, I, 30.
Pendeat, III, 12.
Pendens, III, 40.
Penem, IV, 48.
Penemque, IV, 35.
Penu, III, 74.
Pependit, V, 31.
Per, I, 64, 110.
Perages, V, 139.
Peragit, VI, 22.
Percussa, III, 21.
Percute, V, 168.
Perdat, III, 33.
Perditus, I, 23.
Perducis, II, 56.
Pergant, V, 150.

Perge, III, 97.
Pericli, IV, 3.
Pericula, I, 33; V, 185.
Perisse, V, 103.
Perita, II, 34.
Permisit, V, 33.
Permittere, V, 94.
Pernæ, III, 75.
Peronatus, V, 102.
Pertusa, IV, 28.
Pes, III, 62.
Pessime, II, 46.
Petis; V, 149.
Petite, V, 64.
Petulans, I, 133.
Petulanti, I, 12.
Pexusque, I, 15.
Phaleras, III, 30.
Phyllidas, I, 34.
Picas, *Prolog.* 13.
Picasque, *Prolog.* 9.
Pice, V, 148.
Pictæ, V, 25.
Pictum, I, 89.
Pictus, VI, 32.
Piger, V, 132.
Piles, V, 82.
Pilos, IV, 5.
Pinge, I, 113.
Pingitur, VI, 63.
Pingue, III, 33.
Pinguem, V, 181.
Pingues, VI, 77.
Pingui, I, 96; II, 52.
Pinguibus, III, 74.
Pinguior, VI, 14.
Pinguis, I, 57.
Pinsit, I, 58.
Piper, III, 75; V, 55, 136; VI, 21.
Pipere, VI, 39.
Pirenen, *Prolog.* 4.
Pituita, II, 57.
Plantaria, IV, 39.
Plasmate, I, 17.
Plaudentibus, IV, 31.
Plebecula, IV, 6.
Plebeia, III, 114.
Plebeiaque, V, 18.
Plorabile, I, 34.
Plorabit, I, 91; V, 168.
Pluteum, I. 106.
Pocula, I, 30.
Poemata, I, 31.
Poeta, *Prolog.* III, 1, 175.
Poetæ, I, 36, 68.
Poetas, *Prolog.* 13.
Poetridas, *Prolog.* 13.
Polenta, III, 55.
Politus, V, 116.
Pollice, V, 40; VI, 5.
Polydamas, I, 4.
Ponatur, V, 3.
Pondus, V, 20.
Pone, III, 107.
Ponere, I, 70; VI, 23.
Pontifices, II, 69.
Ponto, V, 134.
Popa, VI, 74.
Popello, IV, 15; VI, 50.
Populi, I, 42, 63; III, 112; IV, 1.
Populo, I, 15; IV, 36, 50; V, 178.
Populum, I, 118; III, 30.
Populus, III, 86.
Porci, I, 72.
Portam, III, 105.
Portantes, V, 182.
Portes, I, 90.
Porticus, III, 54.
Portum, VI, 9.
Poscas, II, 15; VI, 61.
Poscat, V, 102.
Poscentes, III, 64.
Poscere, V, 1.
Poscis, II, 3, 41; III, 18.
Poscit, I, 128.
Positis, III, 10.
Positum est, III, 111.
Posse, I, 83; III, 84.
Possidet, V, 75.
Possint, V, 178.
Possis, V, 111.

Possit, II, 72.
Post, I, 134.
Posterior, V, 72.
Postibus, VI, 45.
Posticæ, I, 62.
Postquam, III, 90; V, 88; VI, 10, 38.
Posuisse, I, 86.
Pote, I, 56.
Potes, IV, 46.
Potior, II, 20.
Potis es, IV, 13.
Potius, III, 16.
Præbemus, IV, 42.
Præbet, II, 28.
Præcedenti, IV, 24.
Præcipites, III, 42.
Præcipui, II, 58.
Præclarum, II, 10.
Præcordia, I, 117; V, 22.
Prædia, IV, 25.
Prædictum, V, 188.
Præfigere, IV, 13.
Prægrandi, I, 97, 124.
Prælargus, I, 14.
Præparet, VI, 12.
Præponere, II, 18.
Præstantior, VI, 76.
Præsto, *adverb.* VI, 56.
Prætegit, IV, 45.
Præteritos, V, 162.
Prætore, V, 88.
Prætoribus, V, 114.
Prætoris, V, 93.
Prætrepidum, II, 54.
Prætulerint, I, 5.
Prandeat, III, 85.
Prandia, I, 67, 134; V, 18.
Prece, II, 3.
Premis, V, 11.
Premitur, V, 39.
Prendit, VI, 28.
Presso, V, 109.
Prima, III, 76.
Primas, V, 42.
Primordia, VI, 3.
Primum, V, 30.
Primus, V, 136.
Prior, VI, 61.
Prius, V, 108.
Pro nihilo, I, 30.
Probo, *nomen*, I, 19.
Proceres, I, 52.
Procerum, II, 5.
Procnes, V, 8.
Prodirem, *Prolog.* 3.
Producis, VI, 19.
Progenies, VI, 57.
Proh, II, 22.
Prohibes, VI, 51.
Prolui, *Prolog.* 1.
Promittere, III, 65.
Prompte, VI, 58.
Promptum, II, 6.
Proneptis, VI, 53.
Propago, II, 72.
Prope, IV, 34; V, 70; VI, 60.
Propenso, I, 57.
Properandus, III, 23.
Propinquis, III, 70.
Propria, VI, 25.
Protinus, I, 110.
Protulerim, I, 89.
Proxima, III, 43.
Proximus, II, 12.
Prudentia, IV, 4.
Psittaco, *Prolog.* 8.
Pubis, VI, 44.
Publica, V, 98.
Publius, V, 74.
Pudet, I, 83; III, 31.
Puella, III, 110.
Puellæ, II, 37.
Puer, V, 126, 167, 169; VI, 22, 69.
Pueri, I, 113.
Pueris, I, 79; III, 17; IV, 31.
Pueris, V, 140.
Puerisve, II, 20.
Puerum, II, 32.
Pulchrius, V, 179.
Pulchrum est, I, 28.

Pullatis, V, 19.
Pulmentaria, III, 102.
Pulmo, I, 14.
Pulmone, II, 30.
Pulmonem, III, 27.
Pulpa, II, 63.
Pulsa, V, 24.
Pultes, VI, 40.
Pulvere, I, 131; II, 67.
Puncto, V, 100.
Punire, III, 35.
Pupille, IV, 3.
Pupillum, II, 12.
Puppæ, II, 70.
Puppe, VI, 30.
Pura, V, 28.
Purgas, II, 16.
Purgatas, V, 63.
Purgatissima, II, 57.
Purpura, V, 30.
Purpureas, III, 41.
Purum, III, 25.
Putas, II, 24.
Puteas, IV, 49.
Putet, III, 73.
Puto, IV, 9.
Putre, III, 114.
Putris, V, 58.
Pythagoreo, VI, 11.

Q.

Qua, V, 106.
Qua parte, III, 72.
Qua, VI, 7.
Quæ, I, 24; II, 4; III, 56; IV, 17; V, 17, 118.
Quæcumque, I, 10.
Quæque, III, 53; V, 107.
Quære, VI, 57.
Quærere, VI, 65.
Quærimus, V, 174.
Quærisne, I, 80.
Quærunt, I, 30.
Quæsieris, IV, 25.
Quæsiveris, I, 7.
Quam, *pronomen*, V, 145, 175.
Quam, II, 25; III, 42; IV, 52.
Quamvis, II, 40; V, 70 *bis*.
Quando, I, 46.
Quandoque, *pro* quandocumque, IV, 28.
Quantaque, V, 22.
Quantas, V, 5.
Quantum, I, 1, 60; III, 49, 71; IV, 26; V, 27.
Quare, I, 3; IV, 38.
Quarto, VI, 78.
Quartus, VI, 57.
Quasi, V, 66.
Quatit, II, 35.
Quem, IV, 2; III, 71; V, 125, 131, 174, 176.
Querela, I, 91.
Queritur, III, 12, 14.
Qui, *pronomen*, II, 2; III, 90; IV, 28, 34; VI, 19, 61.
Quî, *adverb.* V, 130.
Quia, II, 24, 26; VI, 14.
Quibus, I, 23; III, 54; V, 8 *bis*, 75.
Quicquam, V, 128.
Quicumque, I, 123.
Quidquid, I, 52; II, 38; III, 95; IV, 48; VI, 65.
Quid, I, 12, 31, 50, 107; II, 18, 62, 69; III, 26, 67, 69; IV, 8; V, 12, 25, 66, 120, 134, 144, 149, 154, 179; VI, 12, 26, 68.
Quiddam, I, 33.
Quidnam, I, 98; II, 29; III, 67; V, 172.
Quin, I, 84; II, 71; IV, 14; V, 141.
Quincunce, V, 149.
Quinque, IV, 39.
Quinta, III, 4.
Quinti, I, 73.
Quintus, VI, 11.
Quippe, I, 88.
Quiritem, V, 75.

Quirites, III, 106; IV, 8.
Quis, *Prolog.* 8; I, 2, 8, 63 *bis;* II, 20 *bis;* III, 51, 68, 69; V, 97; VI, 49, 57.
Quisquam, I, 112; V, 83.
Quisque, V, 73.
Quisquis, I, 44; VI, 42.
Quo, III, 60, 62; V, 143 *bis.*
Quo fretus, IV, 3.
Quo pacto, II, 46.
Quod, *Prolog.* 12; III, 73, 76; VI, 34.
Quod, *pronomen,* II, 70, 71; III, 78, 114, 117; IV, 51; V, 29, 51, 97, 129, 152, 153; VI, 65.
Quodcumque, V, 89.
Quondam, VI, 65.
Quorsum, V, 5.
Quorum, *Prolog.* 5.
Quos, V, 149.
Quum, *Conjunct. Vid.* in Cum.

R.

Rabiosa, III, 81.
Radere, I, 107; III, 114; V, 15.
Raderet, III, 50.
Ramale, I, 97.
Ramalia, V, 59.
Ramos, III, 56.
Ramosa, V, 35.
Ramum, III, 28.
Rancidulum, I, 33.
Rapiant, II, 38.
Rapias, V, 142.
Rapidæ, V, 94.
Raptum, I, 100.
Rara, I, 46.
Rasis, I, 85.
Rasisse, II, 66.
Rastro, II, 11.
Ratio, V, 96, 119.
Ratione, III, 36; V, 39.
Ratis, VI, 31.
Raucus, V, 11.
Re, III, 72.
Rebus, I, 1; V, 104, 124
Recens, V, 136.
Recenti, I, 15; V, 54.
Receptat, VI, 8.
Recessi, V, 88.
Recessus, II, 73.
Recti, I, 48; V, 121.
Rectius, IV, 9.
Recto, V, 104.
Rectum, IV, 11.
Recusas, III, 18; V, 79.
Recusem, VI, 15.
Recuset, I, 41.
Recuso, I, 48.
Recutitaque, V, 184.
Redit, VI, 79.
Reduco, V, 118.
Refulserit, *Prolog.* 12.
Regina, II, 37.
Regula, IV, 12; V, 38.
Regum, I, 67; III, 17; VI, 46.
Regustatum, V, 138.
Relaxat, V, 125.
Relicta, III, 38; V, 168.
Relictam, V, 61.
Relictis, I, 10; VI, 63.
Relinque, V, 17.
Reliqua, V, 87; VI, 53.
Reliquum, VI, 68 *bis.*
Rem, II, 44; IV, 1; V, 164; VI, 34, 78.
Remque, VI, 28.
Remitto, *Prolog.* 5.
Remus, I, 73.
Renuis, VI, 63.
Reparabilis, I, 102.
Repente, *Prolog.* 3.
Repone, VI, 66.
Requiem, V, 43.
Requiescere, III, 90.
Rerum, III, 15, 66; IV, 4; V, 52, 93.
Res, I, 68, 111; VI, 48.
Resignent, V, 28.
Responde, II, 17.
Respondeat, IV, 19.

Respondet, III, 22.
Respue, IV, 51.
Restas, III, 97.
Retecti, III, 101.
Retines, V, 116.
Revello, V, 92.
Reverti, III, 84.
Rex, I, 121; II, 37.
Rhenos, VI, 47.
Rhombos, VI, 23.
Ridenti, I, 116.
Ridere, I, 122.
Rides, I, 40.
Ridet, III, 86; V, 190.
Rigida, VI, 77.
Rigidos, III, 105.
Rimas, III, 2.
Risisse, I, 132.
Rite, III, 111.
Ritu, VI, 59.
Rixanti, V, 178.
Robusti, V, 5.
Rodere, V, 170.
Rodunt, III, 81.
Rogarit, II, 40.
Rogavit, III, 93.
Rogitas, V, 134.
Roma, I, 5.
Romæ, I, 8.
Romule, I, 87.
Romulidæ, I, 31.
Rosa, II, 38.
Rota, III, 24; V, 72.
Rubellum, V, 147.
Rubra, V, 169.
Rubrica, V, 90.
Rubricam, I, 66.
Rubrumque, V, 182.
Rudere, III, 9.
Rudis, V, 103.
Rugam, VI, 79.
Rugosaque, V, 91.
Rugosum, V, 55.
Ruis, V, 143.
Rumore, V, 164.
Rumpere, III, 27; V, 13.
Runcantem, IV, 36.
Rupi, V, 158
Rupta, VI, 27.
Rupto, I, 25; V, 185.
Rure, III, 24.
Rursus, III, 34.
Rus, I, 71.

S.

Sabbata, V, 184.
Sabino, VI, 1.
Sacer, I, 113.
Sacerdos, V, 186.
Sacra, *Prolog.* 7.
Sacras, II, 55.
Sacro, II, 25.
Sacrum, VI, 21.
Sæpe, III, 44; V, 9.
Sævos, III, 35.
Sagittis, IV, 42.
Sale, IV, 30.
Salinum, III, 25; V, 138.
Salit, III, 111.
Saliva, I, 104.
Salivam, V, 112; VI, 24.
Salivis, II, 33.
Salutas, III, 29.
Sambucam, V, 95.
Samios, III, 56.
Sancte, II, 15.
Sanctis, II, 69.
Sanctosque, II, 73.
Sanguis, I, 61; III, 16.
Sani, III, 118.
Sanna, V, 91.
Sannæ, I, 62.
Sano, III, 46.
Sanus, III, 118.
Saperdam, V, 134.
Sapere, VI, 38.
Sapias, V, 167.
Sapiat, IV, 21.
Sapiens, III, 53; V, 114.
Sapimus, I, 11.
Sapio, III, 78.

Sapit, I, 106.
Sardonyche, I, 16.
Sartago, I, 80.
Satis, III, 27; 78.
Satur, V, 56; VI, 71.
Saturi, I, 31.
Saturniaque, II, 59.
Saturnumque, V, 50.
Saturum, I, 71.
Satyri, V, 123.
Saxa, VI, 27.
Scabiosum, V, 74.
Scabiosus, II, 13.
Scalpuntur, I, 21.
Scelerata, II, 63.
Sciat, I, 27.
Scilicet, I, 15; II, 19; IV, 4.
Scinderis, V, 154.
Scintillant, III, 117.
Scire, I, 27 *bis*; II, 17; III, 49.
Scire tuum nihil est, *etc.* I, 27.
Scis, I, 53, 54; IV, 10.
Scit, I, 65, 132.
Scombros, I, 43.
Scopuli, VI, 8.
Scribimus, I, 13.
Scribitur, I, 53.
Scribo, I, 45.
Scrobe, I, 119.
Scutica, V, 131.
Se, VI, 8.
Sese, I, 129; II, 23; IV, 23; V, 71.
Secretam, V, 96.
Secreti, V, 21.
Sectabere, V, 71.
Secto, I, 131.
Secuit, I, 114.
Secum, III, 81.
Secundo, V, 72.
Secura, III, 26.
Securus, III, 62; VI, 12, 13.
Secus, I, 66.
Sed, III, 24, 100; IV, 24, 44; V, 58, 67, 91, 120, 129, 137 168; VI, 33, 37, 64.
Sede, I, 17.
Seductior, VI, 42.
Seductis, II, 4.
Seductum, V, 143.
Seges, VI, 26.
Semel, I, 24; V, 157.
Semipaganus, *Prolog.* 6.
Semper, IV, 18; V, 69.
Semuncia, V, 121.
Sene, I, 124.
Senectæ, II, 41.
Senes, II, 179; VI, 6.
Senesque, V, 64.
Senio, *nominativus*, III, 48.
Senio, *ablat.* VI, 16.
Seniumque, I, 26.
Sensus, I, 69.
Sentis, II, 18.
Sepeli, III, 97.
Sepia, III, 13.
Sequaces, *Prolog.* 6.
Sequenda, V, 107.
Sequeris, III, 61; V, 14, 155.
Sequi, *Prolog.* 11.
Serena, I, 19.
Seri, V, 61.
Seria, II, 11; V, 44.
Seriolæ, IV, 29.
Sermo, I, 63.
Servas, V, 117.
Servitium, V, 127.
Sesquipede, I, 57.
Sessilis, V, 148.
Seu, V, 3, 4, 48; VI, 35, 36.
Severos, I, 64.
Si, IV, 33, 46, 47, 48, 49; V, 8, 90, 102, 127, 129, 139, etc.
Si fas, I, 8.
Si forte, I, 45, 125; III, 109.
Si quid, I, 5, 34, 45, 46.
Sibi, II, 9, 64; III, 93; V, 1, 61, 102.
Sic, *Prolog.* 3; IV, 43.
Siccas, III, 5.
Siccis, V, 163.
Siccum, VI, 20.

Siculi, III, 39.
Sidere, V, 46.
Signum, VI, 17.
Silentia, III, 81.
Siliquis, III, 55.
Silix (*lege*, filix), IV, 41.
Similis, III, 17.
Sin, V, 115.
Sinciput, VI, 70.
Sine, III, 25; VI, 16.
Singultiet, VI, 72.
Sinistro, IV, 27; V, 164.
Sint, I, 110.
Sinu, V, 37.
Sinuoso, V, 27.
Sis, III, 96; V, 122.
Sis, *pro* si vis, I, 108.
Sistam, VI, 79.
Sistro, V, 186.
Sit, IV, 30, 52; V, 6, 23, 147; VI, 58, 65, 74, 76.
Sitque, II, 58.
Sitiat, I, 60.
Sitiente, III, 92; V, 136.
Sive, I, 67; III, 109.
Socratico, V, 37.
Sodes, III, 89.
Sole, IV, 18; V, 54.
Solea, V, 169.
Solem, IV, 33.
Solers, V, 37, 142; VI, 24, 75.
Soles, *nomen*, V, 41.
Solidum, V, 25.
Solis, VI, 19.
Solitos, I, 70.
Solones, III, 79.
Soluta, III, 58.
Somnia, II, 57; III, 83.
Somniasse, *Prolog.* 2.
Somno, V, 56.
Sonat, I, 109; III, 21.
Sorbere, IV, 16; V, 112.
Sorbet, IV, 32.
Sorbitio, IV, 2.
Sordidus, I, 128.
Sparsisse, V, 33.
Speciem, V, 105.
Species, V, 52.
Spectatur, IV, 24.
Spem, II, 35.
Spes, *Prolog.* 12.
Spirent, VI, 35.
Splene, I, 12.
Spondente, V, 79.
Spumosum, I, 96.
Staio, II, 19, 22.
Stat, V, 96.
Stemmate, III, 28.
Steriles, V, 75.
Sterilis, VI, 54.
Stertimus, III, 3.
Stertis, III, 58; V, 132.
Stloppo, V, 13.
Stoicus, V, 86.
Stolidam, II, 28.
Strepitum, VI, 4.
Strigiles, V, 126, 131.
Stringere, II, 66.
Struere, II, 44.
Studeam, III, 19.
Studeo, V, 19.
Stultis, V, 93, 121.
Stupas, V, 135.
Stupet, III, 32.
Sub, II, 9, 11; III, 6; V, 40, 54, 70, 80, 117, 144.
Subærato, V, 106.
Subdite, V, 124.
Subduximus, I, 95.
Subeas, V, 155.
Subere, I, 97.
Subiere, III, 106.
Subiit, II, 55.
Subit, III, 100; IV, 12.
Subrisit, III, 110.
Subsellia, I, 82.
Subter, III, 41; IV, 43.
Suburra, V, 32.
Succinis, III, 20.
Succinctis, V, 31.
Succinctus, V, 140.
Sudans, III, 47.

Sudare, V, 150.
Sudes, II, 53.
Sufficiat, III, 4.
Suffla, IV, 20.
Sulcoque, I, 73.
Sulphure, II, 25.
Sulphureas, III, 99.
Sum, I, 12; IV, 20 *bis;* V, 84; VI, 62.
Sumen, I, 53.
Sumis, V, 124.
Summa, I, 104; III, 34; IV, 14, 17.
Summæ, VI, 64.
Summosque, III, 108.
Summum, III, 48.
Sumptus, VI, 67.
Sumus, III, 67.
Sunt, I, 77; V, 113.
Sunto, II, 58.
Supellex, IV, 52.
Superbo, I, 100.
Superest, VI, 55.
Superis, II, 71.
Superos, II, 43.
Supinus, I, 129.
Supplantat, I, 35.
Supplice, II, 35.
Supplicet, V, 173.
Supposita, III, 116.
Supposui, V, 36.
Supra, V, 118.
Surdaque, VI, 28.
Surdum, VI, 35.
Surge, V, 132, 133 *ter.*
Surgentem, III, 57.
Surgit, III, 95.
Surrentina, III, 93.
Suscipis, V, 36.
Suspendere, I, 110; IV, 10.
Suspendit, V, 47.
Suspiret, II, 51.
Susurros, II, 6.
Sua, IV, 51.
Sui, V, 176,
Suum, *Prolog.* 8, V, 53.

T.

Tabellas, V, 81.
Tabula, VI, 33.
Tacebo, III, 97.
Tacendaque, IV, 5.
Tacita, II, 5.
Tacite, III, 95.
Tacitus, V, 184.
Tadius, VI, 66.
Tali, III, 19.
Talo, V, 104.
Tam, I, 122; V, 120.
Tamen, I, 46, 120; II, 68; III, 94; IV, 41; VI, 58.
Tandem, I, 16.
Tandemque, III, 103.
Tangat, IV, 34.
Tange, III, 107.
Tangebam, III, 44.
Tangit, I, 117.
Tangitur, III, 4.
Tantum, I, 60; V, 123.
Te, III, 71; IV, 34; V, 27, 62, 70, 128; VI, 1.
Tectoria, V, 25.
Tecum, IV, 52; V, 12, 41, 42.
Temone, V, 70.
Temperat, V, 51.
Templis, II, 7, 62, 75.
Tempora, V, 47.
Tempore, III, 62.
Ten', I, 29.
Tenax, V, 48.
Tendere, I, 65.
Tendis, III, 60; V, 139.
Teneat, V, 99.
Teneo, V, 113.
Teneras, I, 107.
Tenero, I, 35; III, 113.
Teneroque, III, 16.
Teneros, V, 36.
Tenerum, I, 98.
Tentas, II, 21.
Tentat, IV, 23.
Tentemus, III, 113.

Tenues, VI, 24.
Tenui, V, 77.
Tenuia, V, 93.
Tenus, VI, 25.
Tepidum, I, 84.
Ter, V, 188.
Terque, II, 16.
Terebrare, V, 138.
Terens, I, 73.
Tergo, I, 58; IV, 24.
Teris, V, 15.
Terræ, VI, 57, 59.
Terram, III, 80.
Terris, II, 61.
Terruit, III, 41.
Tertia, II, 14; III, 91.
Tesserula, V, 74.
Testaque, III, 61.
Testiculi, I, 103.
Tetigisse, VI, 17.
Tetrico, VI, 2.
Theta, IV, 13.
Thure, V, 120.
Thus, I, 43; V, 185.
Thyestæ, V, 8.
Thynni, V, 183.
Tiberino, II, 15.
Tibi, II, 2; III, 20; IV, 48, 52; V, 21, 23, etc.
Timor, III, 115.
Tincta, III, 37.
Tingat, VI, 20.
Tinniat, V, 106.
Titos, I, 20.
Togaque, I, 15.
Togæ, V, 14.
Tollat, IV, 51.
Tolle, V, 87, 136.
Tollere, II, 7.
Tollit, IV, 2.
Tonat, II, 24.
Torosa, III, 86.
Torquere, III, 51.
Torta, V, 146.
Torva, I, 99.
Tot, II, 46; V, 124.
Totaque, V, 32.
Totum, I, 49; VI, 64.
Totumque, V, 28.
Totus, V, 173.
Trabe, I, 89; V, 141; VI, 27.
Trabeate, III, 29.
Tractas, IV, 1.
Tragœdo, V, 3.
Traham, V, 28.
Trahe, V, 17.
Trahitur, V, 160.
Trama, VI, 73.
Transcendere, V, 111.
Transilias, V, 146.
Transisse, V, 60.
Transtro, V, 147.
Tremat, VI, 74.
Tremor, III, 100.
Tremulo, I, 21.
Tremulos, III, 87.
Trepida, I, 74.
Trepidare, I, 20; V, 170.
Trepidas, V, 35.
Trepidat, III, 88.
Tres, V, 123.
Tressis, V, 76.
Trientem, III, 100.
Triplex, VI, 78.
Triste, I, 9; II, 27.
Trita, I, 54.
Troiades, I, 4.
Trossulus, I, 82.
Trutina, I, 7.
Trutinantur, III, 82.
Tu, II, 3; III, 94; IV, 37; V, 10, 36, etc.
Tuque, II, 25.
Tua, V, 23.
Tuba, III, 103.
Tuceta, II, 42.
Tui, VI, 80.
Tulit, I, 75.
Tum, V, 185, 186.
Tumebit, III, 63.
Tumet, II, 14; V, 183.
Tumidas, V, 13.

Tumulo, I, 39.
Tun', I, 22; V, 146.
Tunc, I, 9, 11 *bis*; III, 12, 102; V, 37, 60, 175, 176.
Tune, VI, 37.
Tunicatum, IV, 30.
Tuo, V, 40.
Turba, VI, 42.
Turbæ, IV, 7.
Turbida, I, 5.
Turbinis, V, 78.
Turdarum, VI, 24.
Turgescat, V, 20.
Turgescere, V, 56.
Turgescit, III, 8.
Turgidus, III, 98.
Turpe, I, 3.
Tusco, III, 28.
Tuscum, II, 60.
Tutor, III, 96.
Tuus, VI, 71.
Tyrannos, III, 35.

U.

Ubi, I, 21, 71; IV, 6, 11; VI, 65, 79.
Uda, II, 32.
Udas, V, 165.
Udo, I, 105.
Udum, III, 23.
Ulcus, III, 113.
Ullo, IV, 41.
Ulmo, III, 6.
Ulterior, VI, 41.
Ultra, III, 15; V, 69.
Ultro, V, 172.
Umbo, V, 33.
Umbra, III, 4.
Umbris, III, 74.
Una, V, 75.
Una, *adverb.* V, 50; VI, 29.
Uncis, I, 40.
Uncta, III, 102; IV, 17.
Unctaque, V, 180.
Unctis, II, 30.
Uncto, VI, 16.
Unctus, IV, 33.
Unda, III, 34.
Unde, I, 73, 80, 81; III, 68; V, 124.
Undique, III, 59.
Unge, VI, 68, 69.
Unguem, V, 162.
Ungues, I, 65, 106.
Unguine, VI, 40.
Uno, I, 66; V, 46, 53, 70.
Unum, V, 43; VI, 58, 59.
Unus, III, 7.
Urbem, I, 114.
Urbi, VI, 38.
Urentes, II, 34.
Urget, VI, 37.
Urna, V, 145.
Urnæ, VI, 34
Urnas, II, 60.
Urtica, VI, 70.
Usque, I, 26; VI, 15.
Usum, V, 94.
Usus, V, 52.
Ut, I, 64; IV, 23, 45; V, 6, 19, 27, etc.
Utar, VI, 22 *bis*.
Utile, III, 70.
Utinam, II, 12.
Utitur, II, 68.
Uxor, I, 74; II, 14; III, 43.

V.

Væ, VI, 50.
Vafer, I, 116, 132; VI, 20.
Vago, VI, 72.
Valle, VI, 8.
Vanescat, III, 13.
Vapida, V, 148; VI, 17.
Vapido, V, 117.
Vaporata, I, 126.
Vappa, V, 77.
Varicosos, V, 189.
Varo, *nomin.* V, 138; *nos* Baro.
Varo, *ablat.* IV, 12; VI, 18.

Vasa, II, 59.
Vasta, V, 141.
Vatibus, V, 1.
Vatum *Prolog.* 7; I, 34.
Vectidi, IV, 25.
Veientanumque, V, 147.
Vel, III, 29; IV, 12; V, 47.
Velina, V, 73.
Velis, *verbum*, III, 36; V, 170.
Vellant, IV, 39.
Vellat, I, 133.
Velle, I, 41; V, 53.
Vellere, *verbum*, II, 28.
Vellus, II, 65.
Velox, IV, 4.
Vena, I, 103; VI, 72.
Venas, II, 66; III, 91, 107.
Vende, VI, 75.
Vendo, I, 122.
Veneno, III, 37.
Venere, *verbum*, V, 180.
Venerem, V, 58.
Veneri, II, 70.
Venerit, I, 81.
Venienti, III, 64.
Venimus, III, 16.
Venio, VI, 62.
Venit, III, 11; IV, 5, 48; V, 67; VI, 39.
Venosus, I, 76.
Venter, *Prolog.* 11; VI, 74.
Ventre, III, 98.
Ventis, III, 27.
Ventos, V, 11.
Veratro, I, 51.
Verba, *Prolog.* 9; I, 35; III, 45, 82; IV, 45; V, 14, 28.
Vere, V, 113.
Verecunda, V, 44.
Veri, V, 48, 75, 105.
Vernæ, IV, 22.
Vero, I, 107.
Verrucosa, I, 77.
Versu, I, 21.
Versum, I, 65, 93.
Verte, V, 137.
Vertentem, V, 71.
Verterit, V, 78.
Vertigo, V, 76.
Verum, I, 55 *bis*, 90.
Verumne, III, 7.
Vestalesque, II, 60.
Vetat, V, 101; VI, 49.
Vetavit, V, 90.
Veterem, IV, 29; V, 116.
Veteres, V, 92.
Veteris, III, 83; V, 59.
Veterum, VI, 3.
Vetitos, V, 99.
Veto, I, 112.
Vetuere, II, 43.
Vetule, I, 22.
Vetus, I, 97.
Viatica, V, 65.
Vibice, IV, 49.
Vicem, IV, 42.
Vicini, III, 110; VI, 14.
Vicinia, IV, 46.
Vicissim, V, 107.
Victuri, III, 67.
Vide, I, 108.
Videant, III, 38.
Videas, I, 19, 80; III, 94.
Videmus, I, 69.
Vidi, I, 120 *bis*.
Vidit, III, 91.
Vigila, V, 177.
Vin', VI, 63.
Vina, III, 100.
Vincere, II, 48.
Vincique, V, 39.
Vincula, V, 158.
Vindicta, V, 88, 125.
Vino, V, 183.
Violæ, I, 40.
Violas, V, 182.
Violens, V, 171.
Virbî, VI, 56.
Virgine, II, 70.
Viri, I, 36.
Viridi, III, 22.
Virtutem, III, 38.

Virum, I, 96.
Vis, *verb.* I, 56; II, 19; V, 144.
Visa est, III, 109.
Viso, IV, 47.
Vitæ, V, 34, 94.
Vitam, V, 61, 83.
Vitanda (*lege* evitanda), V, 107.
Vitiabit, V, 97.
Vitiarunt, VI, 40.
Vitiato, II, 65.
Vitio, II, 68; III, 32; IV, 13.
Vitium, I, 116; III, 21.
Vitrea, III, 8.
Vitulo, I, 100.
Vive, V, 153; VI, 25.
Vivere, I, 9, 61; II, 7; III, 31; V, 84, 104, 139.
Viveret, I, 104.
Vivis, III, 62; V, 152.
Vivitur, IV, 43; V, 53.
Vivo, VI, 31.
Vivunt, VI, 2.
Vixisse, IV, 17.
Vixit, VI, 54.
Vocat, VI, 27.
Voce, I, 19; V, 28.
Voces, *nom. Prolog.* 11; V, 1, 26.
Vocet, V, 171.
Vocum, VI, 3.
Volet, I, 91.
Volo, V, 84, 87.
Voluit, V, 84.
Voluntas, V, 89.
Vomuere, V, 181.
Vos, I, 61; II, 68.
Vota, II, 39; VI, 28.
Voti, V, 109.
Voto, II, 7, 35; III, 49; V, 53.
Vulfenius, V, 190.
Vulgi, VI, 12.
Vulnera, V, 4.
Vulnus, IV, 44.
Vulpem, V, 117.
Vultum, V, 40.
Vulvæ, VI, 73.
Vulvas, IV, 36.

AUCTORES

EX QUIBUS

LUCILII FRAGMENTA

COLLECTA SUNT.

Ælius Donatus, in Terentium.
Ammianus Marcellinus,
Apuleius.
Arnobius.
Asconius Pedianus.
Auctor Rhetoricæ, scilicet ad Herennium.
Aulus Gellius.
Ausonius.
Cæcilius Vindex.
Calpurnius Piso.
Caper.
Censorinus.
Cicero.
Commentator vetus, in Horatium.
Commentarius in Juvenalem.
Consultus Chirius Fortunatianus.
Cornutus.
Diomedes.
Festus.
Fulgentius, de prisco sermone.
Glossaria Henrici Stephani.
Glossarium Fornerii.
Glossæ Veteres in Persium.
Helenius Acron, in Horatium.
Hieronymus.
Isidorus.
Julius Capitolinus.
Julius Rufinianus.
Junius Philargyrius.
Juvenalis.
Lactantius.
Macrobius.
Marius Victorinus.
Martialis.
Martianus Capella.
Maximus Victorinus.
Nonius Marcellus.
Paulus, Festi abbreviator.
Plinius.
Porphyrion, in Horatium.
Priscianus.
Probus, in Virgilium.
Quintilianus
Servius, in Virgilium.
Sinnius Capito.
Sosipater Charisius.
Terentius Scaurus.
Varro.
Velius Longus.

INDEX

RERUM ATQUE VERBORUM

MEMORABILIUM

QUÆ IN LUCILII FRAGMENTIS OCCURRUNT.

A.

A longa et brevis est. *Pag.* 359
A *ante* EE *veteres sæpe omittebant, ut* Pretor, *pro* Prætor. 314
Abbire. 359
Abstemiam. 350
Abundans. 339
Acceptoris. 318
Acceptum. 413
Accumbimu' mensam. 374
Accurrere. 359
Aceroso farre. 389
Aceratum cœnum. 364
Acipensere. 341
Adfuvissemu'. 329
Adipatam pultem. 349
Adjutatus. 402
Adoritur. 340
Adversa hyeme. 384
Æqualem. 347
Æra perversa. 415
Æserninu'. 343
Ætas, *pro* tempore longinquo. 330
Agitator, auriga. 325
Agipes, *pro* Senatore pedario. 313
Agrariu' mergus. 321
Ἀγύλιποι montes. 337
Alburnum portam. 337
Albutius Græcus quam Romanus dici maluit. 302
Ἀλγη ἔθηκαν. 321
Algu, *pro* algore. 312
Alfia. 375
Altilium. 342
Aluta. 372
Ambitio, *vide* aurum. 305
Amia. 342
Ambivi. 361
Amphitapæ. 332, 352
Amplexetur. 311
Ampliter, *pro* ample. 374
Amptruat et redamptruat. 365
Amyclas. 311
Ancipites. 417
Ancipiti acuto ex utraque parte. 417
Andronius. 312
Animosus, *pro* iracundo. 421
Annibal, lupus vetus. 413
Anu, *in dativ. pro* anui. 319
Anquina. 304
Anseris herbilis. 318
Antiquius. 373
Ἀπεψία. 392

Apisci. 393
Apollo pulcher dici non vult. 320
Appellem. 402
Appellant. 391
Appepeli. 422
Aprinum viscus. 321
Aptus, adeptus. 418
Aquam intercutem. 410
Aquales. 332
Aquilum. *ibid.*
Arabus. 389
Ardum, *pro* aridum. 401
Arenarius. 350
Argutamini. 408
Aristocratem. 382
Armamenta. 304
Armillum. 407
Arquatos. 305
Arutænas. 332
Asparagi. 312, 339
Aspiraverunt ad ostium. 400
Assederet. 405
Assensus sum. 371
Atarnæ. 331
Athones asperi. 337
Attendas. 393
Atticon. 317
Auceps. 306
Auris. 307
Aurum nequam. *ibid.*
Aurum et ambitio virtutis specimen. 305
Austellos. 380
Autumant. 407
Auxiliatus, passive. 317
Averruncassint. 398

B.

Balistas centenarias. 408
Barbula. 357
Bello. 391
Bilingui Brutace. 316
Blanditia certare. 302
Boa, serpens aquatilis. 305
Bovinator. 370
Bracæ 369
Broncus. 339
Brutace bilingui. 316
Bulga. 350, 395

C.

Caballi. 334
Cacosyntheton. 359
Cadum. 383
Cædunt. 425
Cælicolæ. 329
Cala, fustis. 319
Caldum. 354
Calvitur. 382
Calx, *gen. masc.* 389
Camelos. 312
Campanus sonipes. 376
Canaliculam. 322
Canes. 325
Canicis. 404
Capere, delectare. 392
Capital. 395
Capidas. 365
Capitata. 334
Capronas. 353
Capua Campana. 336
Capulare cadaver. 320
Capulo. 333
Carbo. 329
Carcer, vix carcere dignus. 317
Carchesia. 338
Caries. 355
Carissam. 321
Carnaria. 342
Carneaden. 330
Carpathium pelagus. 310
Carpere, celeriter præterire. 417
Caseus. 375
Cassinas oleum. 321
Catapirates quid? 304
Catapulta. 349
Catax. 333
Catillo. 342
Catino curto uti. 375
Cato vetus. 374

Catuli. 345, 355
Caupona Syra. 340
Cavere et vitare differunt. 396
Cento. 410
Centussis misellus. 319
Cepa et cepe. 348
Ceparius. *ibid.*
Cephalea. 331
Cephalonem. 368
Cerebrosi. 378
Cernere, rursum disponere. 356
Cernuus. 339, 402
Cercurus. 356, 374
Chartus, *gen. masc.* 400
Chenopodas. 362
Chorago. 371
Cibicidæ. 405
Cicatrix. 402
Cillus. 326
Cinædi, quinam. 334
Cinerariu'. 352
Cippos. 337
Circumferre ferto. 335
Clandestino. 390
Clepere, *pro* corripere. 325
Clinopodas. 362
Clopus, *pro* claudipus. 326
Cluere. 352
Coacla. 315
Cognoscere rem. 393
Cohors Prætoris. 310
Colere, diligere. 392
Collo. 377
Collare, *vinculi genus.* 413
Collus, *mascul. gen.* 365
Colubra. 386
Columellæ, servi majoris domus. 388
Columna Mænia. 315
Colustra. 357
Combibones. 397
Comedones. 343
Comest, *pro* comedit. 344
Commanducari. 344
Commanducatus. 382
Commissuræ rimarum. 347
Committere se alicui, *pro* conjungere. 408
Committere, facere. *ibid.*
Commodum, *pro* integro. 336
Compernes. 381
Componere labra labellis. 356
—— pectori pectus. 357
Concerræ. 308
Conciliatrix. 355
Concilium habere. 329
Confector cardinum *vel* carnium. 409
Confectus doloribus. 394
Conficere, colligere. 392
Conjicere, *pro* furari. 335
Consortio, *gen. fem.* 412
Constare. 392
Contemnificus. 398
Contendere, comparare. 354
Conturbare animam. 340
Convenire, interpellare. 408
Corbita. 376
Cordi est. 393, 310
Cordulum. 342
Corpus siccare. 396
Corolla. 312
Cortinipotens. 354
Coxendices. 311
Crepera, res dubia. 347
Crissare. 370
Crucium vinum, *pro* insuavi. 314
Cruribus crura dilaxat. 349
Crustula, *pro* placentis. 316
Cubitum, *gen. neutr.* 380
Cuja, *pro* cujus. 426
Cumanus panis. 289
Cuneo ipso. 345
Cupiditas et cupido differunt. 388
Cyma, *neutri gen.* 312

D.

Damnare, *pro* exheredare. 368
Dapsilius. 420
Dare, *pro* petere. 346
Date bibere. 352

Dare, *pro* dicere. 409
De, *pro* ab. 389
Deargentassere. 391
Deblaterare. 423
Decalanticare, 391
Decimæ male me accipiunt. 396
Deciminutia. 422
Decollare se. 371
Decumanum oleum. 389
Deducta voce. 420
Deferre nomen. 406
Difflare. 395
Delinire, delinitus. 405
Delirare, unde dictum. 395
Delphinus. 354
Delus minor. 336
Demagis, *pro* valde magis. 380
Demittere animum. 404
Depeculassere. 391
Depilati. 416
Depostus bubulcus, *pro* desperato. 339
Depugnare. 304
Depuvere, cædere. 313
Despoliare. 387
Desquamor. 354
Destinare. 400
Desubito, *pro* subito. 366
Deverrere. 404
Dicæarchum. 336
Dicare, *pro* indicare. 427
Dicere diem capitis. 407
Difflatur vento. 395
Dimidiatum. 304, 307
Dimidium horæ. 386
Discerniculum. 428
Disrumpere cantu colubras. 386
Docere, dicere. 413
Dominia vocantur convivia. 372
Dominus exhibitor convivii. 351
Dominus dispar. 325
Domuitio. 394
Domus antiqua. 325
Dormio non omnibus, *proverbium*. 313
Ducere, *pro* volvere, 386

E.

Ecbatanam. 374
Echinus. 306, 315
Edit. 346
Efferre se. 394
Efferre, proferre. *ibid.*
Efferri ira. *ibid.*
Elephanto. 312
Elevit, maculavit. 350
Elidere animam. 333
Eligere, defatigare. 405
Eluvies. 391
Emblemate vermiculato. 303
Eminulus dens. 381
Empleuron. 304
Endo. 382
Enni annales. 363
Enthymema quid. 363
Episeo. 371
Epiteginæ. 422
Epulæ Jovis. 374
Eques antiquis, et homo equo insidens, et equus qui insidetur. 304
Equitare eodem modo utebantur veteres. *Ibid.*
Ergastulus. 377, 378
Erinnys. 344
Euntur. 309
Euplocamo. 428
Εὐρώνα. 321
Evadere ægritudinem. 389
Exanclare. 423
Exauctorem. 397
Excantare, ore excludere. 334
Excidere, dissentire. 404
Excludere servitutem. *ibid.*
Exigere, excludere. 398
Exigere vitam. 407
Exlex. 334
Exodium, exodiarius. 310
Expergitus. 339
Explicatorem. 404
Exsculpere, extorquere. 333
Exsculpere prædam ex ore. 309

Exspirare salem amarum. 326
Exui, pro liberari. 418

F.

Facere. 377
Facie, non faciei dixere veteres. 353
Facsint. 347
Facul, *pro* faciliter. 350
Fames, fami. 379
Famosus, *pro* infami. 367
Fannia lex. 319
Fascelitis Diana. 338
Fastidire bonorum. 335
Favitor, *pro* fautor. 417
Febris querquera. 305, 313
Ferre, laudare. 424
Ferre vestigia. 420
Ferto. 335
Fervere. 362
Festo atque profesto. 302
Ficus, fici. 318
Filum ducere. 418
Firmiter, *pro* firme. 367
Fiscina. 349
Flaccet. 358
Flacci. 312
Flacita familia. 397
Flagitium, periculum. 414
Fluctus. 367
Folliculum, *pro* corpore. 394
Fora itant. 318
Forcipibus dentes evellere. 385
Fors et fortuna quid distent. 372
Formosus, dives, liber, etc. 305
Forus, *mascul. gen.* 339
Fovere ventrem. 414
Frigdaria. 357
Frontem ferire. 325
Frunisci, *pro* frui. 383
Frustillatim. 325
Fulgit, *pro* fulget. 354
Fulmenta, *femin. gen.* 254, 411
Fungi munera. 330, 347
Fungi officium. 395
Fulgurivit. 397
Furei. 360

G.

Gallam bibere. 389
Gallia Cottæ. 326
Gallonius gurges. 341
Gangræna. 331
Gannis. 356
Gausape tergere mensas. 387
Genium defrudare. 392
Gerdius. 422
Genu, *masculin. gen.* 345
Genuæ gulosi. 420
Gibber. 318
Gigeriæ. 358
Gladium, *neutro gen.* 309
Glutino, *pro* glutine. 395
Grabati. 352
Gracila, *pro* gracilis. 356
Gradarius equus. 375
Græcia Sulpicio sorti data. 326
Granii de se ipso judicium. 324
Greges. 335
Gruma, degrumari. 338
Grues, *gen. femin.* 345
Guberna, *pro* gubernacula. 387
Gullioca, gullioeæ. 322
Gumiæ. 341
Gurges Gallonius. *ibid.*
Guttur, *mascul. gen.* 312

H.

Ἢ πᾶσιν νεκύεσσι, κ. τ. λ. 373
Hæmatium. 303
Habere iter, *pro* dirigere. 418
Halicarius. 379
Haruspex. 310
Helops. 307
Herpestica. 331
Hexametro versu, 354
Hilum, *pro* ullum. 373
Hippocampi. 312
Hir, vola, manus. 343

Holerorum, *pro* olerum. 378
Honor, sepultura. 407
Hornum. 334
Horret et alget. 316
Horridulum. 381
Hortare. 351

I.

Ibus. 325
Icadion pirata. 305
Icterus morbus. 331
Idiota. 394
Idola Epicuri. 405
Ignaviter. 381
Igni et aqua interdicere. 411
Ilignis. 356
Im, *pro* eum. 363
Imbalnities. 398
Imbubinat. 307
Imbulbitat. *ibid.*
Impendet. *ibid.*
Impertire salutem. 399
Improfundies. 398
Improviso. 306
Impune, *pro* impudenter. 334
Incerniculum. 398
Incilare, improbare. 424
Incita. 340
Incita (ad) redire. *ibid.*
Incrustatus calix. 383
Incumbat gladium. 393
Indigere argenti, *cum genit.* 356
Indu foro. 302
Induci studio. 393
Iners, *pro* eo qui sine arte est. 361
Infantes. 384
Inguen. 305
Innubere, *pro* transire. 352
Insignis cauda. 399
Instila. 349
Institis. 309
Insultare in aliquem. 419
Intercus aqua. 410
Interdicere aqua et igni. 411
Interficere, *pro* consumere. 309
Interfici, de rebus inanimatis. 309
Interpellare. 410
Intorquet tempus in ipsum. 303
Intro, intus. 362
Intybus, *gen. mascul.* 348, 386
Inuncat. 379
Invasse in fauces. 333
Invidiosam. 390
Invitare, repleri. 312
Ire, ambulare. 410
Irrigarier pectus. 395
Irritata canes. 332
Isasamitis. 406
Ixionas Archilochio. 331

J.

Janu'. 329
Jubere. 352
Jugerum. 321
Jureperitus. 335
Jus mænarum. 386

K.

Καλλιπλόκαμον. 381
Καλλίφυρον. *ibid.*
Καρυοτόμια. 322

L.

L et S commutatio. 361
Labosum iter. 337
Lubia, *gen. fem.* 388
Lacesso, lacessi. 374
Lælius Decimus. 314
Lælius sophos. 341
Lamberat. 389
Lamia. 420
Lanificam. 350
Laniorum. 307
Lanx. 342
Lapathus. 341
Largi, *pro* largiri. 373
Laterali' dolor. 305
Latere pendens. 384

Latrina. 352, 371
Lautus. 396
Laverna, Dea furum. 382
Legere, *pro* surripere. 406
Lenonem. 400
Lentet opus. 358
Lentus solvere nulli. 368
Leontado. 311
Lex Fannia. 319
Lex Licinia. *ibid.*
Lex Tapulla. 308
Lexeis compostæ. 308
Libenter cœnare. 343
Licinia lex. 319
Ligna. 341
Ligurris. 381
Locare insidias. 408
Longe, *pro* præcipue. 336
Lora. 366
Lucani montes. 350
Lucernas. 362
Lucifugus. 373
Lumbos. 308
Luna alit ostrea. 306
Lupari. 347
Lupus. 329
Lupus Tiberinus inter duos pontes captus. 342
Lurcare. *ibid.*
Lurcones. 343
Lustrare. 335
Lustrare, expiare. *ibid.*
Luvit pœnas. 340
Lychnos. 362
Lymphor, *pro* lympha. 313

M.

Macellus. 351
Maconis manus. 404
Macte virtute. 348
Mænius. 315
Magnificare. 302
Malta qui mollis erat dicebatur. 402
Maluisti contracte tribus syllabis. 302
Malvanum. 397
Manducatur, *pro* manducat. 375
Mamphula, panis syriaci genus. 304
Mandones edaces. 312
Mansti, *pro* mansisti. 346
Mansum. 422
Mantella, mantelia, mantilia. 316
Mantica. 337
Mantisa, additamentum ponderis. 313
Mappas. 316
Marculus quid. 304
Mastigia. 390
Me, *pro* mihi. 307
Mechanici. 308
Mediastinus. 382
Medimnus. 383
Meile, meilia. 360
Meilitia. *ibid.*
Mendæ, *gen. fem.* 306
Mendacei. 360
Mensor campi. 338
Mercatura. 351
Mercede merere. 332
Merere, *pro* militare. 369
Merere publica lege. 428
Meret religiones. 332
Merum. 317
Messanæ freta. 338
Messis, *masc. gen.* 401
Metaxam. 304
Metello. 310
Metrophanes. 388
Mictilis. 386
Miles Hyberus. 378
Mille, *numero singul.* 336
Milli, *pro* mille. 365
Minutatim. 325
Minutim. 347
Miraculum, *pro* monstro. 332
Mistarius. 348
Mœchocinædus. 422
Molere. 355
Monogrammi. 401

Monogrammus homo. 335
Monstrificabile. 396
Mordicus. 402
Mu facere, *pro* mutire. 370
Muginamur. 355
Munes et munifici. 394
Murex marinus. 315
Muribu'. 306
Muscipula. 423
Musimonem. 352
Mutino. 342
Mutius. 324
Muto. 359
Mutuum facere cum aliquo. 404
Myconi juventus calva. 317
Mysteria efferre foras. 390

N.

Næ. 367
Nævum pictum. 381
Namphulas. 304
Nasum, *gen. neutr.* 355, 388
Natrix crassa. 334
Natus ad aliquid. 310
Naumachiam. 373
Nebulo. *ibid.*
Nefantia, *pro* nefanda. 340
Nemo homo. 419
Nequam aurum. 307
Nexit, *pro* nexuit. 347
Ninguis. 321
Nigror noctis. 347
Niti opibus. 393
Nobilis. 355
Noctiluca. 336
Nodum in scirpo facere. 332
Noltis. 320
Nox, *pro* noctu. 338
Nuculam. 303
Nundinus. 395
Nutricatur, *pro* nutricat. 428

O.

Obducere, aperire. 417
Obmarcescebat. 377
Obrigefacere. 395
Observare aliquem. 401
Obsidat. 355
Obtursi ebrius. 346
Occaso sole. 333
Œnophorum. 340
Offendere, invenire. 395
Offendere, lædere. 400
Offendere, percutere. 417
Offerre sibi molestiam. 390
Oleum Cassinas. 321
Olim, temporis futuri. 384
Operari. 428
Opposivit. 377
Opsonia. 313
Optare, eligere. *384*
Opus, *cum genit.* 364
Oraria. 335
Ostrea, *gen. femin.* 338
Ostrea, *gen. neutr.* 306, 364
Oufens fluvius. 325
Oufentina tribus. *ibid.*
Oxyodontes. 420
Ὀχληροῦδες. 346

P.

Pactolo. 356
Pædidus senex. 363
Palæstra. 310
Pallam. 377
Palinurum promontorium. 338
Pallor, *pro* carie. 425
Palpari, *pro* palpare. 415
Palumbus, *gen. masc.* 376
Pamphilum quæris. 319
Panus rectus subtegmine. 358
Papulæ. 305
Parcere, *pro* servare. 403
Parectati. 357
Parectaton. 387
Parnime. 311
Partisses. 345
Pascale pecus. 308
Pasceolus. 372

Passus senex. 364
Pausa. 330
Paxillum. 304
Pedetentim. 318, 400
Pedes, *pro* pediculis. 415
Pelles tentæ, *pro* extensæ. 371
Peila. 360
Pellis, pedem pellibus imponere, in pelle propria quiescere, intra pelliculam se continere, *proverbia*. 306
Peniculamentum. 384
Pensum. 384
Penula. 377
Penus, *omnis gen.* 310
Percitus pede. 408
Percrepare. 397
Perditus tussi. 305
Perlabi colles uno gradu. 309
Pernix. 403
Persius doctissimus fuit, hinc Lucilius noluit ut legeret suos versus. 314
Pertisum. 303
Pessulus. 345
Petaurus, petaurista. 308
Petigo. 387
Petilis. 371
Petimen. 308
Phryne. 355
Pigror. 367
Pila duplex. 396
Pinnis cum septem redit. 339
Piscinensis. 311
Pistrina. 381
Pistricem validam. 304
Placideianus gladiator. 343
Plure vendere. 318
Podagrosus. 363
Poeseos et poematis differentia. 378
Polyphemus cyclops. 376
Polypus. 418
Pomani. 311
Popina. 332
Porcere, *pro* prohibere. 352
Portenta. 398
Portorium. 399
Postica. 340
Posticum, *neutri gen.* 357
Postomis. 378
Potisset, *pro* posset. 309, 330
Potus. 425
Præciso. 342
Præcox et præcoqua. 358
Præficæ. 388
Præstare. 403
Prætorum est præire. 314
Presse auferre. 406
Pretium, *pro* præmio. 411
Primitus, *pro* primo. 346
Priores et primores quid differant. 356
Priva singula. 331
Probatur. 396
Prodenda dies. 349
Prodigitas. 351
Producere, instituere. 390
Proferre. 401
Promontorium Minervæ. 337
Propala. 346
Propitius. 399
Proprium, *pro* perpetuo. 382, 403
Prosferari. 397
Prosiciem. 375
Prosicies extorum. 375
Protelare. 350, 371
Protollere, differre. 331
Ψολοκοποῦμαι. 356
Publicitus, *pro* publice. 371, 381
Puellus. 345, 370
Puerei. 360
Pugna, *pro* stupro. 310
Pugnare pugnam. *ibid.*
Pulcher. 320
Pullipremo. *ibid.*
Pulvino fultus. 341
Pumicor. 354
Punctum, *pro* momento. 375
Puls adipata. 349
Pyrgentia scorta. 320
Pytho. 420

Q.

Quadrans ratitus. 314
Quæsticuli instituti. 351
Quartarius. 337
Querquera febris. 305
Quintus Opimius. 367
Quiritans. 350

R.

Rabula. 323
Rador. 354
Ramice magno senex. 353
Rapinator, *pro* raptor. 334
Rausurus Orestes. 385
Recipere, *pro* revocare. 414
Redimicula. 377
Redundare, abundare. 408
Refferre. 396
Religiosi dies. 409
Remittere repudium. 414
Remora. 311
Repandum. 348
Repedare, pede iterare. 310, 392
Reprehendere. 384
Resalutem. 318
Resultantes ædes. 319
Rhegina freta. 338
Rhetoricotero'. 303
Rhinoceros Æthiopus. 339
Rhodi. 310
Rices. 335
Rictu uti. 340
Ricini. 335
Rodus *vel* rudus, *pro* massa. 304
Rogare, poscere. 390
Rogator. 403
Rondes pirata. 305
Rorarius. 354
Rostra. 308
Rostrum hominis. 348
Ructare. 326
Ructus exhalare. 340
Rudus. 369
Rugas conducere ventri. 389
Rugosi. 364
Rumices. 308
Rumpere, defatigare. 399
Rupicum. 308
Rutellum. 364

S.

S, sigma græce. 361
Saga. 355
Saga conciliatrix. *ibid.*
Sallere. 357
Sambucum. 401
Samiam. 353
Samnis bonus in ludo. 343
Samio catino. 374
Sanute. 347
Saperdæ. 342
Sarcinator. 410
Sardinensis terra. 353
Sargus, piscis genus. 307
Sarisses. 349
Satias, *pro* satietas. 415
Satis, diverse accipitur. 346
Satira lex. 330
Saturnu' pater. 329
Scabere. 365
Scabies. 387
Scalprorum. 385
Scelerosi, pro scelerati. 330
Schedia, navigii genus. 314
Scipiadæ dictum in asellum. 368
Scirpus sine nodo, *unde proverbium* : nodum in scirpo quærere. 332
Scriptuarius. 391
Scruta et scrutarius. 304
Scuta, *gen. fem.* 349
Seges, *pro* ipsa terra. 355
Segestre. 377
Semisse. 376
Senecta. 410
Senium. 377
Sententia, sensibilitas. 340
Sermone bono. 343
Servare, *pro* observare. 426

Sibilus, *masculino gen.* 309
Sicyonia, genus calceamenti. 307
Sidat. 344
Siet. 374
Singillatim. 384
Silarum flumen. 337
Siluri jura. 342
Simare. 354
Simitu, *pro* simul. 426
Siplæ. 332
Sirpiculæ. 378
Sodalitia. 372
Sole occaso. 333
Solla, *pro* tota. 307
Solœcismorum centum genera. 317
Solox. 308
Sophista. 316
Spara, teli genus, 308
Spargere, madefacere. 384
Species vitæ. 425
Spira. 377
Sponte ipsa. 306
Spurcus. 343
Spurcus homo. *idem.*
Spurcus ore. 368
Squallitas. 390
Squarrosa. 308
Squilla. 341
Stadium acclive. 357
Stare, prominere. 413
Stare, *pro* esse. 318
Statura. 410
Stlembus equus, *pro* tardo. 313
Strabones quinam. 410
Strenuior. 380
Strigosus. 370
Strigilim. 321
Strigilem præfractam. 304
Stulto nihil satis. 383
Suasa. 307
Subcisivum. 409
Subducere rationes. 415
Subulo. 320
Subvellor. 354
Succussare. 344, 376
Succussator equus. 334
Sucerdæ. 423
Suere centonem. 410
Sufferctus. 379
Suffocare. 320
Suggeri'. 308
Sumen. 342
Sumina. *idem.*
Sumere, *pro* eligere. 338
Sumere, *pro* suspicere. 396
Sumicere hastam sub vitem. 308
Συμμαιραχιῶδες. 346
Summittere. 407
Sumpti, *pro* sumptus. 426
Suppus. 308
Susque deque esse. 337
Sustinere currum. 325
Sustulere. 356
Syrophenix. 377

T.

Tallæ. 348
Tama, sanguis in crura descendens. 305
Tangere. 394
Tangere venas. *idem.*
Tapulla, lex convivialis. 308
Taxim. 354
Tempestas, turbo ventorum. 404
Tentum, *pro* extensum. 371
Terentiæ Orbiliæ. 315
Tergere mensas gausape. 387
Terricolas lamias. 853
Tesserulæ. 302
Thaunomeno. 350
Theognis priusquam nasceretur *proverb.* 315
Thestiadas Ledæ. 331
Thynnos. 342
Tiberinu'. *idem.*
Tintinnabulum. 378
Tirei. 311
Tiresia. 305
Toga. 378
Tollere. 303
Tollere, occidere. 392

Tolutim. 309, 357
Tongere. 389
Tonsillas. 367
Torques, *gen. masc.* 369
Tragula. 308
Triclinî. 305
Trico numarius. 368
Trico vadatus. 370
Tristis philosophus. 408
Trulleus. 378
Tuditantium. 304
Tuditanus quæstor. 373
Tunica. 332

U.

Uncum. 304
Unguem. 344
Uti aliquam rem. 375
Utria, *gen. neutr.* 312
Uxori legata penus. 320

V.

Valeri sententia dia. 315
Valva. 350
Vannere clunibus. 370
Vannere cunnis. 355
Vappones. 322
Vari. 381
Varicosu' vatrax. 406
Varronum. 308
Vectis, *mascul. gen.* 345
Vector optimus. 375
Veles. 309
Ventrem fovere. 414
Ventres. 343
Verba dare. 302
Vermiculato emblemate. 303
Verrere, mundare. 403
Verna, qui vere sacro natus. 312
Verruca. 402, 381
Versipellis. 390
Verticulæ. 345
Vescum. 396
Victu, *pro* victui. 342
Vindemiam. 401
Vindiciæ, *res de quibus controversia est.* 308
Vinibuæ. 358
Vinum defusum. 343
Viriatus Annibal. 393
Virosa mulier. 353
Virtus, *pro* flagitio. 317
Virtutis definitio. 301
Viscatis manibus legere. *406*
Viscus aprinum. 321
Viscus, *pro* viscere. 373
Vita est vis. 307
Vitem (sub) præliari. 311
Vitem (sub) hastas sumicere. 308
Vitiligo, maculo in corpore. 305
Vix diversimode sumitur. 317
Volam, *pro* velim. 405
Vomica, loca concava. 416
Vulcaniam vim. 389
Vulgus, *gen. neutr.* 373
Vulga pilosa. 335
Vulturius, *pro* vultur. 333
Vultus et facies, quid differunt. 331

Z.

Zephyri. 363
Zonatim per gyrum. 352
Zopyrion. 388

X.

Χαῖρε. 302
Χίοστε δυνάστης οἶνος. 320

FINIS.

TABULA

RERUM

QUÆ IN HOC TERTIO SATIRICORUM LATINORUM VOLUMINE CONTINENTUR.

PRÆFATIO editoris N. E. LEMAIRE.....

PROLOGI Argumentum et Analysis..... 1
PROLOGUS, cum interpretatione..... *Ibid.*
Variæ lectiones et notæ in Prologum..... 5

SATIRÆ PRIMÆ Argumentum..... 12
——— Analysis..... *Ibid.*
Satira prima cum interpretatione..... 14
Variæ lectiones et notæ in Satiram primam..... 25

SATIRÆ SECUNDÆ Argumentum..... 69
——— Analysis..... *Ibid.*
Satira secunda cum interpretatione..... 71
Variæ lectiones et notæ in Satiram secundam..... 77

SATIRÆ TERTIÆ Argumentum..... 102
——— Analysis..... *Ibid.*
Satira tertia cum interpretatione..... 104
Variæ lectiones et notæ in Satiram tertiam..... 113

SATIRÆ QUARTÆ Argumentum..... 147
——— Analysis..... *Ibid.*
Satira quarta cum interpretatione..... 149
Variæ lectiones et notæ in Satiram quartam..... 153

SATIRÆ QUINTÆ Argumentum..... 177
——— Analysis..... *Ibid.*

Satira quinta cum interpretatione..... Pag. 180
Variæ lectiones et notæ in Satiram quintam..... 193
Excursus in Satiram quintam..... 251

SATIRÆ SEXTÆ Argumentum..... 256
——— Analysis..... *Ibid.*
ira sexta cum interpretatione..... 258
lectiones et notæ in Satiram sextam..... 264

LIUS.
vi editoris de fragmentis Lucilii Sati-
..... 291
et scriptis..... 293
m quæ supersunt fragmenta. Ex in-
..... 301
ersus aliquot Lucilii esse existimati..... 324
Ex triginta libris..... 328
Centones aliquot Luciliani..... 433

SULPICIÆ satiricon Carmen..... 441

D. Junii JUVENALIS Vita, auctore Suetonio..... 447
D. Junii Juvenalis Vita per annos probabilibus conjecturis digesta..... 450

A. PERSII Fl. Vita, auctore Suetonio..... 464
A. Persii Fl. Vita per annos probabilibus conjecturis digesta..... 467
De Satira Romanorum..... 476
De satiricis Romanorum poetis..... 507
De diversa Satirarum Lucilii, Horatii, Persii, Juvenalis indole, deque fructu ex earum lectione percipiendo. 524
Elias Vinetus de Cornuto philosopho et grammatico... 555
Quædam de Satira per Joannem Britannicum..... 560
Persiana Horatii imitatio..... 562
Index Codicum manuscriptorum qui ad recensendum Juvenalem adhibiti sunt..... 593
Index editionum Juvenalis..... 611
Recensus editionum Persii..... 661

Testimonia veterum de Juvenale et Persio..... Pag. 676
Index vocabulorum omnium quæ in Satiris Persii leguntur..... 679
Index auctorum ex quibus Lucilii fragmenta collecta sunt..... 712
Index rerum atque verborum memorabilium quæ in Lucilii fragmentis occurrunt..... 713

FINIS TERTII ET ULTIMI VOLUMINIS



This book should be returned to the Library on or before the last date stamped below.

A fine is incurred by retaining it beyond the specified time.

Please return promptly.